62553/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

HAEN, A. de

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3053768x_0001

U3

ANTONII DE HAEN

Conſiliarii Aulici, ac Medicinæ Practicæ, in Alma ac Antiquiſſima Univerſitate Vindobonenſi, Profeſſoris Primarii,

RATIO MEDENDI

IN

NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.

SOCIETY OF LONDON·MEDICAL



LUGDUNI BATAVORUM

SUMPTIBUS SOCIETATIS.

MDCCLXI.

AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM
IMPERATRICI,
HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,
CROATIÆ, SCLAVONIÆ, &c.
REGINÆ,
ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c. &c.

MARIÆ THERESIÆ,

DOMINÆ
SUÆ CLEMENTISSIMÆ,
ANTONIUS DE HAEN.

Tanto tempore Munificentia, ac Benevolentia Tua, *immeritus fruor, Auguſtiſſima Imperatrix, neque unquam quæ me iisdem haud penitus indignum, gratum ſaltem, teſtarentur, ſpecimina dedi. Equidem ſpecimen nullum me reor allaturum unquam, quod me Tuæ Majeſtatis favore, quo cumulato me beas, dignum probet; at vero tale duntaxat, quod evincat, quantopere eo me dignum efficere quavis mentis contentione adnitar, quovis conamine ſtudeam, viribus animi, corporisque, contendam totis. Quo id Majeſtati Tuæ teſtatum facerem, convenientius arbi-*

trabar non dari, ſubmiſſa enarratione eorum, quæ, ſub Baronis van Swieten, *Majeſtatis Tuæ Archiatri, Medicinæ per Auſtriam Præſidis, ac Stabilitoris, auſpicio, in hujus almæ,* TIBIQUE *adeo caræ, Univerſitatis Vindobonenſis, emolumentum; inque gregis egeni, quem dilecta* TUA *Vienna alit, calamitates, ac miſerias leniendas, moliar, intendam, diu mediter, noctuque. Argumento ſaltem erunt, inter fideliſſimos* TUOS *ſubjectos, qui ſeſe, qui omnia ſua, qui diurnos ſuos nocturnosque labores, & curas, donec ſpiritus regit artus, Auguſtiſſimæ Majeſtati Tuæ, muneribus, quibus eosdem condecorare benevolentiſſime dignata es, conſecrent, devoveantque totos, aliquem me locum mereri. Quod immerito mihi confidere dignabare grave munus, ſuperat quidem vires, ſed non vincit conamina; corpus fatigat, non voluntatem, non enitentem animam; agendorum crebritate obruit frequenter, mentis audaces haud frangit niſus. Vere luctor & emergo. Lætusque jam contueor eruditam juniorum Medentium turbam, quam conjuncti Profeſſorum* TUORUM *labores formaverint; ut Majeſtatis Tuæ Regnis, cunctæque* TUÆ *vaſtiſſimæ Ditioni, ut* TUIS *formidandis Exercitibus, ut denique Civibus* TUIS *Viennenſibus manus vere medicas adhibeant. Quod porro reſiduum vitæ eſt, id,* AUXILIANTE DEO, *impoſito mihi a Tua Majeſtate muneri excolendo, perficiundo, ornando, do, dedico, conſecro.*

Idibus Octobris 1756.

LEC-

LECTORI.

Habes hic, Benevole Lector, collecta in unum, volumina quatuor, quæ quatuor proxime elapſis annis Viennæ ſub oculis Doctiſſimi Autoris ſucceſſivè in lucem prodiëre; Verum quandoquidem exaratio amplior & literis facta majoribus molem libri ſine neceſſitate augeret, hinc pretium ejus propter impenſas transportationis neceſſariò auctum obſtaculo artis ſalutaris cultoribus fuit, quominus commode ſibi comparare eum poſſent, fuit etiam impedimento, quominus tam utiles generi humano obſervationes & experimenta ſatis cum publico communicari poſſent:

huic igitur incommodo hac Editione proſpectum eſt.

Non tamen hæc utcunque magna, hujus Editionis unica eſt præſtantia: Inveniet quippe Lector hic Indicem ſive Elenchum capitum totius operis tanquam unico proſpectu poſitum, dum in Editione Viennenſi quatuor tabulæ inſpiciendæ erant, ſaltusque ab uno tomo ad alium faciendus, quotiescunque Clariſſ. Auctor ex antecedenti quodam capite obſervationem vel præceptum &c. aliquod citabat.

Inſuper huic Editioni & hoc accedit boni, quod totius operis præcipua ſive remedia ſive obſervata generaliora indice quodam Alphabetico reperiantur concinnata, quo id effectum, ut commodius uti libello poſſit, ut jam nihil dicam de addendis & omiſſis Edit. Vienn., quæ hic quæque loco ſuo poſita ſunt.

Annus 1756. continet priora capita novem, ſequens tredecim, tertius ſex, quartus denique octo.

Vale Lector & fruere labore noſtro.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

Cap. I. *De Diæta Ægrorum.* Pag. 1
II. *De Medicamentis in Morbis Acutis.* 5
III. *De Aëre, Decubitu, Seſſione, aliisque circa ægros moderandis.* 13
IV. *De Diebus Criticis & Criſibus Variis.* 19
V. *De Urinis.* 26
VI. *De Sanguine Humano.* 28
VII. *Quædam Anatomica.* 41
VIII. *De Vi Electrica.* 51
IX. *De Variis.* 54
X. *De Methodi Hippocraticæ, Sydenhamianæ ac Boerhaavianæ Præſtantia.* 57
XI. *De Generatione Puris.* 60
XII. *De Variolis.* 75
XIII. *De Herniis.* 81
XIV. *Nonnulla de Tympanite & Ileo Morbo.* 85
XV. *De Nonnullis Infortuniis Noſtris.* 95
XVI. *De Polypo.* 104
XVII. *De Singulari modo Reſpirationis & Motus Cordis.* 107
XVIII. *Quædam de Pulmone Innatante aut Subſidente in aqua.* 114
XIX. *De Supputando Calore Corporis Humani.* 116
XX. *De Vario Tumorum Genere.* 126

Cap. XXI.

CAP. XXI. *De Mira Variorum Medicamentorum Efficacia.* Pag. 132
XXII. *De Machina Electrica.* 141
XXIII. *De Morbis Malignis.* 145
XXIV. *De Colica Pictonum.* 175
XXV. *De Sanguine Humano, ejusque Calore.* 193
XXVI. *Experimenta in Calculoſis & de Calculo Varia.* 203
XXVII. *De Virtute Singulari Quorundam Medicamentorum.* 219
XXVIII. *De Machina Electrea.* 228
XXIX. *De Febribus Malignis Dictis.* 243
XXX. *De Aneurysmate.* 246
XXXI. *De Tympanitide & Hydrope Cyſtico Varia.* 271
XXXII. *De Coxario Morbo.* 304
XXXIII. *De Apoplexia & Nervorum Morbis.* 322
XXXIV. *De Sanguine & Calore Humano.* 341
XXXV. *De Singulari Quorundam Medicamentorum Virtute.* 353
XXXVI. *De Viribus Electricis.* 361

RATIO MEDENDI
IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.

CAPUT I.

De Diæta Ægrorum.

Per biennii, & quod excurrit, decurſum, multi, iique ſpeciei fere cujuscumque, morbi acuti, curæ meæ ſubjecti fuere. Quorum nonnullos ex urbe, ſuburbiisque ſuſcepi, plurimos ex variis Noſocomiis ſelegi mihi: partim, & potiſſimum quidem, ut qui felix eorum cura tum ſuſcipi, tum perfici debeat, Almæ huius Universitatis Medicinæ Studioſis demonſtrarem: partim ut, ne quis Medicum glorioſum ageret, caſus exhiberem ipſis, qui quavis Medicamentorum virtute, omni Medicorum induſtria, quacumque demum ope humana, ſuperiores eſſent: partim denique ut quorumdam incurabilium morborum cauſas, mortalium quemque latentes, poſt ægrotantium obitum, demum intelligerem, exponeremque, quo nimirum vel arctiores Artis limites extenderem; vel æque *ἀγνώστως* poſt obitum, quam ante illum, demonſtrarem: quo diſcerent *μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν, εἰς τὸ σωφρονεῖν.*

Igitur poſt ſummas laudes DEO T. O. M. fuſas,

quod, pro ſua ineffabili clementia, noſtra conamina dirigere, obſecundare, perficere, dignatus fuerit, id præfabor modo, quod quamvis ab immortali *Boerhaavio* Medicinam edoctus, nullique ſyſtemati mancipatus, praxin in *Hollandia*, ſimplicitatem Hippocraticam ſequendo, exercuiſſem; adeoque eandem breviter, practice nimirum potius, quam theoretice, docere potuiſſem; animus tamen Illustrissimi Præsidis nostræ Facultatis, Baronis van Swieten, meusque fuit, ut doctrinam Hippocraticam & theoretice tyrones publice docerem, & ad lectos ægrorum practice iisdem demonſtrarem.

Hanc viam ingreſſo, primo conſtitit *Diæta Hippocratica* nihil dari præſtantius: Obſervavimus in ægris noſtris, quo acutior, ideoque brevior, morbus eſſet, eo parciora alimenta exhibenda eſſe; ſi contra, pleniora.

Materies paſſim fuit Decoctum, Puls, Cremor, Hordei, aut Avenæ, cum Melle; & Jus carnium. Equidem jura carnium in *Hollandia*, fateor, rarius ægris conceſſi, quod in putrefactionem quodammodo inclinent; verumtamen ex ipſa doctrina Hippocratica, debui ea Auſtriacis concedere ægris.

Quippe univerſæ *Auſtriacæ*, peneque omni *Germanæ* Genti id moris eſt, ut aut prandeant nunquam, aut cœnent, quin a jure carnium inchoaverint. Hisce ita aſſueverunt, ut quibus diebus *S. Catholica Eccleſia* carnibus abſtinendum juſſerit, jure piſcium utantur: quæ quidem conſuetudo plane ignorata *Batavis*. Lex igitur *Hippocratis* jubet *Aph.* 1—17. „Concedendum „aliquid & conſuetudini, & tempeſtati, & regioni, „& ætati. 2—38. Paulo deterior & potus, & cibus „jucundior autem, eligendus potius, quam meliores quidem, ſed ingratiores. 2—50. A multo tempore conſueta, etiamſi fuerint deteriora, inſuetis „minus turbare ſolent.

Hanc

Hanc porro in putridum inclinationem emendaturus, grata acida iisdem addenda eſſe docui. Succum citrei, Aurantiorum acidorum, Granatorum ditioribus; tenuioris vero ſortis hominibus, Cremorem tartari, aut juri incoctam Acetoſam. Juvat & ſua acescens natura panis, albus, bene coctus, ac fermentatus, quem, dum longior futura videtur ægritudo fore, aut dum ejus apicem æger jam eſt transgreſſus, juribus incoquimus. Pultes avenaceæ intermediis temporibus conceduntur iis, qui nec ægrotant valde, nec prædictis appetitum ſedare valent: quales, moderamine Diætæ noſtro, plurimos reperire eſt. Criticis evacuationibus prægreſſis, blande ſolent, ſi opus eſt, purgari, poſteaque tenerioribus carnibus pedetentim aſſueſcere, ut & vini aqua diluti uſui. In acutis ἀκμὴν necdum adeptis unc. VI. VIII. X. ter, quater, quinquies, nucthemeri ſpatio, juris boni, non meraci, dantur: plus minus ſcilicet prout aut aſſueti ægri fuerint copioſiori alimento, aut appetitus ferat, aut demum εὐφόρως φέρουσι. Plures 1æ ſectionis Aphoriſmi hanc nobis agendi normam præſcribunt.

Alterum ægrorum noſtrorum nutrimentum eorundemque ſimul potum, ſupra innueram eſſe Aquam Hordei, vel Avenæ, cum Melle. Quod decoctum aut meracius, aut tenuius, major minorve nutriendi neceſſitas moderatur. Si neque ſpiſſum, neque tenue, eſſe oporteat, coquuntur unc. VIII. Hordei crudi aut Avenæ cum aqua pura, donec crepet, ut ſuperſint menſuræ quatuor. Menſura capit quatuor Libras medicas. Menſuræ cuique unc. I. II. mellis adduntur. Ægris vehementer exæſtuantibus, cum ſicca nullave alvo, ſingulis menſuris dr. I. II. Cremoris tartari, vel totidem Nitri, adduntur.

Decocti hujus uſus adhibetur aſſiduus, ut quantum poſſint ægri, potent; recuſantesque, blande admonentur neceſſitatis bibendi. Qua equidem in parte noſtros

pauperes plerisque divitibus dociliores experimur. Rarius unica menſura, fæpius binæ, non raro tres, & plus adhuc, per diem aſſumuntur, idque aut calide, aut tepide ſaltem.

Forſitan hæc quantitas exuberantior, adeoque oneroſior, quibusdam videbitur. Sed his regero, ſumto a juvantibus ac nocentibus judicio, ægros noſtros inde minime gravari, quin potius multis hinc gaudere emolumentis.

1. Quicunque ægri ad nos afferuntur faſtidioſi, nauſeoſi, vomiturientes, vomentes, copioſo ejusmodi demulcente ac ſaponaceo potu, id acre diluunt, ſolvuntque, quod Ventriculum turbet. Unde rariores apud nos illi caſus, quod dicta ſymptomata ultra biduum perennent.

2. Sitis, ægrorum illa miſera crux, mox ita levatur, emendaturque, ut multæ de eadem querelæ non exaudiantur.

3. Ipſum acre quod vel a principio morbi, vel eodem currente, humoribus innascitur, continuo hoc potu diluitur, inviscaturque ita, ut neque febrim, doloresque augere; neque ſubtiliſſimis vaſis, ſtaminibusque nervoſis, ulla queat ratione nocere. Ex principiis Hippocraticis, & Boerhaavianis edocemur infortunia in morbis curandis, qui a Veneno, a Peſte, a Malignitate ſic dicta, oriantur, ex eo potiſſimum oriri, quod ægri haud ſatis potent. Curarum fortunatarum noſtrarum numerus ſatis abundeque hanc methodum probavit.

4. Potu hoc & ſalutifero, & aſſiduo, efficitur id, ut ab ipſo morborum principio ſecretiones quæcumque longe minus, quam alias ſolent, langueant. Vix viderunt Studioſi noſtri cutis diu aridæ, linguæve exuſtæ, exempla. Perſpiratio quippe impedita brevi redire incipit; urínaque, aut alvus rarius intercipitur; & reſpiratio, præ ſiccitate ſolidi, fluidique denſitate,

la-

laborioſa & anxia, cito mollior faciliorque redditur. Laxatisque hac lege quibuscumque excretoriis organis, Natura viam qua vel juvantem, vel criticam, materiam eliminet, paſſim patulam reperit.

5. Continua novi ejusdem liquidi admiſtione præpedimus corruptionem humorum: ita ut in Noſocomio noſtro fere ignoremus Petechias, ac Miliaria; quæ alioqui Morbos acutos in his regionibus tam frequenter ſubſequuntur, a corrupto, eoque diſſoluto, ſanguine. Id, inquam, novus chylus, ſua natura acescens, & aſſiduo ſanguini admiſtus, averruncat, præpedit.

6. Eadem opera ſordibus primarum viarum tam cito emendatis, appetitus ipſis in morbis renasci ut plurimum ſolet.

7. Præcavetur egregie moleſtus in morbis ſive vomitus, ſive alvi fluor: acri, quod hosce generaret, correcto, abluto, expulſo. Si qua tunc Diarrhœa aliquando obſervatur, ea a Natura, per ſyſtema meſentericum ſe expurgante, nascitur; utiliſſima quidem, ſi Critica; bona, ſi, crudo exiſtente morbo, cum bonis ſignis, contingit: levat enim hæc, ſibique dimittenda eſt, exemplis id demonſtrante *Hippocrate*, maxime in historia *Virginis Lariſſææ*: quod idem & de aliis quibuscumque excretionibus, morbo necdum cocto, verum.

CAPUT II.

De Medicamentis in Morbis Acutis.

Horum curam *Emetico* inchoare conſuetudinis eſt. Quippe adſunt ſæpe in eorum principio cibi fastidia, vertigines, os amarum, ſordidumve, vomitus. Qua agendi in methodo Medici credunt & autoritate ſeſe, & experientia, ſuffultos eſſe. Autoritate qui-

dem magni *Hippocratis* Aph. 1—22. 2—29. 4—17. Experientia vero immenſi temporis, quo ſuos acutos vix unquam citra emeticum curaverint. Maximum porro argumentum deducunt ex obſervatione, ut vocant, *Climatis*; quod tale perhibetur, ut emeticorum in acutis neceſſitatem ponat inevitabilem

Qui Emeticis non utuntur, aut raro, in morbis acutis, iidem quoque & Autoritate magna, & evidenti Experientia, munitos autumant ſeſe. Eorumdem quippe textuum *Hippocratis* autoritatem celebrant pro ipſorum methodo, quam ii, qui contrariæ ſententiæ ſunt, pro ſua: putantque eosdem textus, ſedato, nec præoccupato animo, examinatos, Emetici dandi neceſſitatem adeo rariſſimam ponere, ut, quæ ad frequentem ejus uſum argumenta afferuntur, penitus corruant. Quamobrem magnus *Boerhaavius* Emeticorum in Acutis uſum rarius adhibuit, niſi in caſu *Hippocrati* laudato. Hæc de autoritate. Si vero de Experientia agitur, dicam etiam, ante *Boerhaavium*, Germanorum morem, etiam in *Belgio fœderato*, apud multos obtinuiſſe, hodiedumque obtinere: *Boerhaavium* tamen, quique eum ſecuti ſint, Medicos, curam acutorum ſine Emeticis fortunatiores edidiſſe.

Imo ipſa quoque ratio Autoritati, & Experientiæ, adſtipulatur. Sunt enim eo tempore omnia in corpore tam violento in motu, ut qui eosdem tum mature, tum ſufficienter, compeſcat, modereturve, vix noverit Medicus. Igitur moti ferventisque ſanguinis copiam demit, externe & interne omnia diluere annititur, refrigerare, ſedare, moderarique. Porro Emeticum, aut Purgans, aut Sudatorium, quod equidem vel ſaniſſimum moveat, turbetque, eo magis homines, acuta febre petitos, movebit, turbabit, calefaciet. Quare minime mirandum, ſummum noſtræ artis Dictatorem Emetica intra tam arctos concluſiſſe limites; quum iis utendi neceſſitas exiſteret oppido rara, uſusque eorum cæteroquin formidoloſus eſſet.

Hæc ratio quod *Hagæ Batavorum* hoc in caſu vix unquam Emeticum præſcripſerim; & tamen profiteor de felici ibidem praxi, & de ſumma *Haganorum* exiſtimatione, maximoque erga me amore, infinitas DEO optimo gratias me agendas habere.

Cum tamen prudentia juberet me, *Vindobonam* adpellentem, decantatas adeo *Climatis octavi* varietates ſedulo, religioſeque, obſervare, ne *Batavo* more medicinam *Germanis* faciens, obeſſem iisdem; attentum in omnia animum a principio attuli. Quo equidem tempore cadaver puellæ ſeptennis nactus, cui principio morbi Emeticum datum, quamque ſæva Pleuritis ſeptimo morbi die ſuſtuliſſet, horrens profecto vidi, horrentes videre mecum ILLUSTRISSIMUS PRÆSES NOSTER, BARO VAN SWIETEN, ac Perilluſtris & Venerabilis eo tempore Medicæ Facultatis DECANUS ab HENTSCHEL, quam miſerrime in illa thorax, totusque pulmo, affecti eſſent. Ut Emetica in inflammatoriis pectoris morbis etiam in hac regione, jam tunc ſuſpecta habere inceperim.

Quantum ad Febres acutas, continuas, putridas; cernebam expoſita Cap. I. methodo, a prima jam die nauſeas, vomitusque, fieri mitiores, imo eodemque, alterove die, penitus ſilere. Quibus crebrius obſervatis, clamores de climatis varietate vaniſſimos ſalutavi. Factumque hinc ut intra 2½ fere annos me, Emetico in hoc caſu utentem, ne ſemel quidem adhuc conſpexerint Studioſi.

Si igitur octavum hoc clima, dato in caſu, Emetici inevitabilem neceſſitatem poſceret, quid, quæſo, cauſæ, quod citra hoc inevitabile auxilium, noſtrorum in Noſocomio ægrorum tam felix, tamque expedita paſſim, obſervetur in ſanitatem reſtitutio? Atque de his ſatis.

Medicamenta in hiſce morbis petuntur ex acidis, ſaponaceis, aperientibus. Infuſa Radicum Fœniculi, Florum Althææ, ac Rhoeados, Chærefolii, Hede-

ræ terreſtris &c. Decocta Radicum Althææ, Graminis, Bardanæ, Scorzoneræ; Fol. Malvæ, Althææ, Parietariæ, Acetoſæ, Acetoſellæ, Portulacæ, &c. quibus ſeu infuſis, ſeu decoctis, adduntur Mel, Oxymel, Oxymel ſquilliticum, Rob Ribeſiorum, Mororum, Ceraſorum, Prunorum Pomorumque acido-dulcium, Sambuci; Syrupus e ſucco Citrei, Acetoſæ, Acetoſellæ, Endiviæ, Berberum, Ceraſorum, Fragorum &c. Additis pro rerum neceſſitate ſalibus neutris; nitro, ſale prunellæ, polychreſto, ſtibio diaph. non abluto, &c. Cardiaca noſtra ſunt decocta panis albi, cum Ceraſis, aut Fragis, aut Rubo idæo, aut Ceraſis acidis, aut Ribeſiis. Hæc & ſimilia diluunt humorum maſſam, ſpiſſa attenuant, ſitim exſtinguunt, leniunt acre, ſtricta laxant, dolores moderantur, incipientem putredinem corrigunt, averruncantque futuram, vires denique refocillant, ſuſtentant.

Didicere Apollineæ artis alumni hac via ſe longe tutius progredi, quam ſi magniloquas, ac vaniloquas, *Diſpenſatorii Viennenſis* formulas, & promiſſa, imitarentur. Cujus *Diſpenſatorii* vanitates, ſi ingenue fari detur, oſtendere omnes qui vellet, næ totum fere illud exſcribere ipſum oporteret. Quid ad Pleuritidem *pulvere pleuritico* inanius? Quid ad Malignitates in morbis aut præcavendas, aut emendandas, *Pulvis de Gutteta Riverii? Pulvis Marchionis? Bezoardicus? Pulvis Pannonicus ruber? Pulvis pretioſus albus?* & id genus alia? Illuminatius vivimus ævum, quam ut his nugis fidem adhibeamus. Sed, inquiunt, horum uſum noſtra nobis experientia probavit. Et nos experientia didicimus hæc crepundia vituperare. Inſpicite rerum in Noſocomio ſucceſſum! Ne unquam tamen talia noſtras ædes ingreſſa ſunt.

His quippe præter inania multa accedunt Lapides multi pretioſi, Aurum, Margaritæ orientales, &c. quibus quid damnoſius? Implentur corpora rebus a Natura non domandis, quæ vi ſua mechanica agant, &

irr

irritando, vomitus, convulſionesque, producant, aut non palpandi pulveris forma cum ſucco gaſtrico & enterico in moleſtas, imo lethales, abeant concretiones.

At vero, inquiunt, additis acidis hæc corpora ſolvuntur, mutanturque cum illis in ſalem neutrum, qui oppilata reſerat, morboſa vehat ſecum, & de corpore eliminet.

Bona verba! ſiccine cum hominum ſimplicitate ludere animus? Examine accurato inſtituto, lapidum, oſſiumque, & cornuum animalium, & dictorum in Arte terreorum, reperiuntur nonnulla cum acidis efferveſcere, inque ſalem, ſive corpus tertium, cum iisdem mutari; alia cum iis efferveſcere, nec tamen acidum mutare; alia, quæ cum acidis efferveſcentia, parumper modo id immutent; alia neque cum illis efferveſcere, nec eadem mutare; alia denique cum nonnullis acidis efferveſcere, eadem immutantia, cætera vero acida nihil immutare. Ut inaugurali themate in Academia *Leydenſi* evicit Clariſſ. *Paulus s'Graauwen*, qui clariſſimi *De Gorter*, in *Ruſſiam* profecti, cathedram, in Academia *Harderovicena*, tanta cum laude conſcendit, exornat.

Quæ igitur neque immutant acidum, neque ab acido mutantur, indomita manent quantumvis redacta in pollinem. Ut Cryſtallus montana, Hyacinthus, Smaragdus; Terræ Sigillatæ omnes, excepta vulgari & ruberrima; non uſta ſive oſſa, ſive dentes animalium; & fere etiam C. C. tam uſtum, quam philoſophice præparatum. Ex Lapidibus ſeptem pretioſis ne unus quidem citrei acidum tollit; quatuor acidum abſorbent aceti; tria nullum acidum vegetabile, aut foſſile, deſtruunt, nempe Hyacinthus, Sardius, Smaragdus. Quantum ergo in rebus inane! dum plura horum ne eas quidem poſſideant vires, quibus cum acido in tertium corpus commutarentur. Optimus *Felix Platerus* 150. ab hinc annis de vanitate Gemmarum, Lapidum

pretioſorum, & Auri, in curandis morbis, egit, Cent. Quæſt. poſth. N°. 91.

Sed nunquid eorum ſaltem talia, quæ cum acido in tertium mutenter, explicatos ob effectus, non laudanda?

Immo vero eam ipſam ob cauſam vituperanda. Vim tertii hujus corporis aperientem agnoſco, vires ejusdem in quadam Intertriginis ſpecie expertus; ut & in Stranguria, Dyſuriaque, quæ potius apto ad id potu, quam a notabili Renum, Veſicæve, vitio originem ducerent: ſunt omni nota & proprietate ſat valide aperientia, humoresque moventia, remedia.

Quæ cum ita ſint, eo ipſo nomine nocent 1° in Acutorum principio. Πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν, μὴ ὠμά. Aph. 1—22. Nocere 2do poſſunt circa Criſin, materiem nimis urgendo ad Urinæ vias: nam Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. Aph. 1—21. Neque regerat quis nitro nos uſos ejusdem vitii reos agi, cum hoc blando agere modo, violentiore illud, compertum ſit.

Verum quo Hippocraticæ methodi præſtantiam præ illa demonſtrem, hoc unico utar argumento. Si ad curandos acutos morbos ſit abſoluta horum remediorum neceſſitas, cur omnes noſtri in Noſocomio non moriuntur? Ne granulum quidem horum omnium præſcripſi unquam; & tamen centeni teſtes fatebuntur vix paucos ab acutis morbis toto biennio aut interiiſſe, aut poſtmodum languiſſe.

Fit hac noſtra methodo Medicina longe tolerabilior egenis, totique infimæ ſortis genti, quos Medicus cum faſtuoſa ſua culina, præ ipſo morbo, gravis premit. Studioſi noſtros ægros paucioribus, ut vocant *Groſſis*, quam aliter *Florenis*, curatos ſalutarunt.

Purgantia æque parum, quam Emetica, præſcribimus, memores haud modo laudatorum *Hippocratis* Aphoriſmorum, verum etiam eorum, quæ idem circa hæc

hæc differit in fragmento Heurniano. N°. 19. Ὁκόσοι μὲν οὖν ὑπὸ πυρετῶν ἰσχυρῶν λαμβάνονται, οὐ χρὴ τούτοισι φάρμακα διδόναι καθαρτήρια, ἔστ' ἂν μεθῇ ὁ πυρετός. N°. 20. Εἰ δὲ μὴ, μὴ ἐντὸς τεσσάρων καὶ δέκα ἡμερῶν.

Verum cum ibidem N°. 27. dicat Ἀλλὰ ἥν τινα δέῃ, ὑποκλύζειν χρὴ, ὁποσάκις ἂν βούλει· ἀκινδυνότερον γάρ, enemata quotidie, ſi alvus non reſponderet, adhibita ſunt. Immo licet clauſa non eſſet alvus, ſi modo in principio ſiccitas major obſervaretur, Enemata emollientia, diluentia, bis, ter, de die injecta, id effecerunt, ut alvus nunc minus, quam antea, moveretur. Acre enim expellunt, quod irritando alvum copioſiorem produceret. Eorundem igitur ope, ſi quid acre in inteſtinis craſſis fluctuet, hoc expellitur, aut dilutum ſaltem infirmatur: fotu illo blando venter emollitur, concreta in tenuibus inteſtinis calido eorum accubitu ſolvuntur, redduntur que, quæ profluant, apta. Obſtructa Hepatis, Ventriculi, Renum, Ureterum, Uteri, reſolvuntur blando, eoque humanum parumper ſuperante, calore. Per bibula etiam, quibus & craſſa Inteſtina gaudent, oſcula, abſorbtus humor diluit humores, corpora nutrit.

Medicamentorum ratio apud ægros noſtros ejusmodi eſt, ut copia ipſis ſufficiens detur. Multi bonis medicamentis datis non curantur; curandi iisdem, ſi ſufficientem eorundem copiam aut ſumere vellent, aut ſumendam acciperent. Sane ut corpora nimio alimento prave nutriuntur, tenuiore collabaſcunt; ita medicamenta redundantia Naturam turbant, non curant; pauciora inepta ſunt, quæ morbum, ejusque cauſam, debellent. Hæc alio atque alio modo in variis ſe ægris habent, eaque, niſi intento in rem animo, non addiſcuntur. Fuere quibus in Pleuritide ac Peripneumonia ſequens Miſtura per diem ſufficeret: ℞. Oxymell. ſquill. unc. iij. Stibii Diaph. non abl. dr. 1. Aq. Hyſſopi unc. viij. Extitere, qui & duplo indigerent. Neque

que enim unquam Oxym. ſquill. uſus largior nauſeas noſtris excitavit: id quod copioſo potui aquæ Hordei, aut Avenæ, adſcribendum reor, quo ventriculus perpetuo abluitur. Si homo aquam biberet cum lacte, coagulum faciens cum eodem Oxymel, ipſum reddere in nauſeas procliviorem poſſet; cum Hordei, aut Avenæ decocto minime.

Cum dico plures fuiſſe, qui ea horum copia indigerent, inde id ſignificatum haud velim, quod illi ſputis fuerint judicati. Certe nunquam inflammationis pectoris ſollicitudo nos anxit, etſi nihil expuerent ægri; perinde fuit quam evacuandi viam Natura capeſſeret, modo Reſpiratio emendaretur. Numerus eorum, qui vel Pleuritide, vel Peripneumonia affecti, ſive alvo, ſive utroque, judicati convaluerint, eorum jam ſuperat, quos ſputa judicarint. Diæta, ac medicamenta noſtra, videntur quibusvis ſalutaribus Naturæ moliminibus ex æquo obſecundare.

Juvat & monuiſſe hic loci, quod nonnunquam, omnibus adhibitis, ſævæ inflammationes haud miteſcerent. Idque etiam licet diu noctuque fomenta, ac cataplaſmata, tædioſo opere continuo adhiberentur. Oleoſa tunc mira præſtitere quandoque. Quin & Vomitus, Nauſeaque, ſordes primarum viarum indicantes, epoto ob dolores oleo, ſimul ceſſaverunt; involuto eo, unde oriebantur, acri. At vero hic paucæ unciæ vix juvant. Bis, ter, de die, unc. v. vj. Ol. Lini cum grano opii, aut una uncia ſyrupi Diacodii, dedimus.

Verbo dixerim, dum indicationes aliquid agendum jubent, omnia, quæ tendant eo, auxilia Artis prudenter augenda ſunt In colica clauſa dicta operarentur aliquando purgantia, ſufficienter ſi exhiberentur. Videre Studioſi, in Colica Pictonum, alvum a 14. diebus pertinaciter clauſam, feliciter brevique reſeratam, ſaturatiſſimo infuſo purgante, quod quadruplicem ejus doſin excederet, ſed per vices dato, donec venter li-

que-

queſceret. Qui ejusmodi Purgans per epicraſin præſcripſit, ea lege ut, ſoluto obſtaculo, tum tardior ejusdem tum parcior ſit uſus, peccabit nunquam.

Idem verum quum unica ſalus ab Opio pendet. Sunt quibus ſemigranum ſufficiat, alii qui, ſumtis per vices 6. granis, vix afficiantur. Indicatione rite ſumta, per vices eo usque detur, donec incipiat vires exſerere ſuas.

Eſt adhuc quod moneam, deſperatis Pleuriticis, poſt ſufficientes, ſaltem copioſas, evacuationes, epotum cum opio oleum, & amplum ad dolentem plagam veſicans, nec opinatam adduxiſſe ſalutem.

CAPUT III.

De Aëre, Decubitu, Seſſione, aliisque, circa Ægros moderandis.

Aëre aut debito frigidiore, aut calidiore, nil ægris pernicioſius. Rarius cum ægro, ejusve cuſtodibus, propter frigidiorem belligeramus, ſed ut plurimum propter calidiorem. Multis regionibus univerſalis mos eſt, ut, Acutis in morbis, Purperioque, homines primo inter lectorum includantur cortinas; deinde ſub lecti ſtragulis ſepeliantur; ac tandem calore tum cubiculi, tum propriæ ſuæ atmoſphæræ, circiter ſuffocentur. Damnantur ad has miſerias, donec aut convaleſcant, aut moriantur. Nam ipſorum Atmoſphæra, non renovata, magis incaleſcit magisque, ut demum ad calorem illum, qui hominis eſt, accedat propius. Sed præterquam quod calore noceat, nocet & putridis, quibus continuo imprægnatur, ægri exhalationibus fœta. Famoſiſſimus in praxi *Petrus Foreſtus* 200. ab hinc annis hanc peſſimam *Germanorum* conſuetudinem vituperavit, Lib. VI. Obſ. 44.

Hinc 1°. Reſpiratio anheloſa, difficilis, quam quisque ſanus, ejusmodi ægrum inviſens, in ſe experitur. Si ſanguis olim ſat commode pulmones permeabat, jam cum labore: quæque nondum affuerat Peripneumonia, jam naſci eam in proclivi eſt. Nonne ipſi nos, ardente Sirio, in reſpirando deficimus; ni aut vento, aut artificio aër mutetur? In illo aëre æſtuante qui motibus ſe & validis, & diuturnis, exercet, aut Peripneumoniam ſibi conſciſcit, aut alium ex genere Acutorum morbum. In morbis acutis motus eſt ingens; cui ſi calidiſſima Atmoſphæra jungatur, intelligimus facile quantis anxietatibus torqueantur.

2. Nihil potentius expellit ſudores; quibus aut crudo in morbo, aut per ſudores non ſolvendo, nihil excogitari calamitoſius poſſe, ſuo jam tempore *Thomas Sydenham* lugebat, lugent hodie omnes Boni. Subtiliora e ſanguine diſſipantur, reliqua incraſſeſcunt: idque ſæpe ita, ut nova liquida cum iisdem vix ultra commiſceantur, ſed & præterfluant, & avolent cum ſudoribus.

3. Inſomnia, deliria, oriri inde apta nata. In nimio æſtu quisque ſanus aut vix dormit, aut dormit turbulente.

4. A minimo frigore ſuſcepto peſſime afficiuntur; ſudore, aliqua ſaltem corporis in plaga, per vim introverſo. Quod cum Medici metuunt, oſtia quæque, & feneſtras, & rimas, religioſe claudi curant: ſed & eo gravius, ut mox conſtitit, ægros angunt.

5. Exanthemata varia hinc oriuntur. Miliaria alba dicta, rubraque, ac Petechiæ. Quæ periculi ſæpe plena cum ſunt, ſua malignitate multos, morbo principe cæteroquin emerſuros, interimunt.

6. Ægros hic modus agendi & triſtes reddit, & difficiles, & moroſos, ſuoque cum damno immorigeros, ſitibundos, ardentes, aridos, exuſtos.

Quæ profecto omnia ut præcaveam, maxima cum

cura aëra perpetuo temperatum concilio ægris. Hyemali tempore, dum hic ſolent in Noſocomiis calorem pene intolerabilem ope Hypocauſtorum ægris facere; dumque paſſim apud quosque privatos ægros aër ita incaleſcit, ut nemo ſanus ibidem ſine incommodo aliquantisper perduret; ſoleo meis ægris calorem adhibere qui in Thermometro *Fahrenheitiano* 60. 65. gradum ſignet. Eſtque tale in cubiculis ſuſpenſum perpetuo, quo ſimilem caloris gradum diu noctuque ſervent ſtudioſi aſſiſtentes.

Æſtivo autem tempore clauſis, quoad ejus fieri poſſit, cortinis lectorum, feneſtræ, ac januæ tantillum patent; ſique æſtus ſit ingens, plures, eæque oppoſitæ feneſtræ ac januæ, panduntur. Sæpius de die hoc facto, ægri, cortinis apertis, temperatiore aura fruuntur, reficiunturque mirifice.

Modus ægros tegendi ſuis in Lectis petitur tum a tempeſtate anni, tum ab eorum commodo; Unica tegendi regula eſt, ut caleant moderate.

Debiliſſimi ægri in lecto quotidie paulisper eriguntur, ut, pulvinaribus dorſo ac capiti ſubſtratis, ſedeant; primo quidem per $\frac{1}{8}$ horæ, quotidie autem diutius, frequentiusque. Gaudent & recreantur inde admodum, aptique fiunt, qui extra lectum in ſedili parumper ſedeant. In ipſis Acutis necdum apicem adeptis, per 1. 2. 3. horas, ægri lectis exemti, ſedibus ad id aptis inſident, corpore bene tecto: & ſi morbus aut balnea, aut pediluvia poſcit, eodem tempore commode his inſident. Id enim uſu didicimus, quo diutius ægri ſuis ſub integumentis tumulantur, eo eos fieri, qui ſedeant erecti, ineptiores; quo erigantur crebrius, eo alacrius eosdem ſurgere. Sane magna pars debilitatis ægrotantium hinc oritur. Nonne ſanum, robuſtumque virum, aëre ad gr. 80. calente, nec renovato, in lecto ſub ſtragulorum pondere octiduo incluſum, debilem redderemus, & ægrotum, anxieque reſpirantem?

tem? Nihil e contrario quod ægros noſtros adeo refocillet; nihil quo delectentur impenſius; nihil etiam quo reddantur in ſomnos proniores. Raro enim abeſt, quin in lectum repoſitos blandus unius, alteriusve horæ, ſomnus prehendat. Quo etiam multum facit lectus interea temporis refectus, ſiccatisque, aut & mutatis linteis, plane amœnus.

Hinc reſpiratio ægris nunquam redditur anxia ab aëre, putridaque eorum Atmoſphæra. Quæque ratione morbi talis eſt, ea nedum laborioſior mala arte redditur, ſed potius allevata.

Nunquam hinc Sudores contra morbi naturam exprimuntur. Si in acutis habentur moderato ſub tegmine ſudores, ſive levantes, ſive critici, ægris nihil mutamus. Vetitum tunc lecto eximere illos, ne frigeant; vetitumque gravius eosdem tegere, ne vexata nimium Natura debilitetur.

Petechias bis modo vidimus toto hoc tempore; ſed ortas ex neglectu debitæ curæ, priusquam ad nos deferrentur. In ægris qui noſtræ curæ ſubjecti fuere, Petechias ne ſemel quidem hic vidimus.

Unica vice in tanto ægrorum numero Miliaria in morbo acuto Pulmonis viſa ſunt, idque meo, palam fateor neglectu. Ipſo hoc anno, adſpirante vere, cuſtodes hominem, ut hyeme ſolebant, etiam tepidiore illa tempeſtate texerant. Præterea in clauſo ejus cubiculo, cum ſeptuaginta & ultra ſtudioſis, per horam moratus eram, præreptus ardore dicendi; quum alioqui in ſeparatam aulam cum ſtudioſis me confero, examinata ad lectos phænomena expoſiturus. Ex hac duplici incuria factum, ut in Peripneumonia, ſolvi coepta, ſexto die parva ſtigmata pectus obſiderent, quæ ſenſim miliaria alba ſe eſſe demonſtrarunt. Deinceps jugulum, & utraque latera colli occuparunt, rubris multis nunc etiam inter alba, quæ ad pectus erant, interſperſis. Ellychnio cerato admoto, & confertiſſimæ,

mæ, & pellucidæ, per omnia hæc loca, puſtulæ comparebant.

A poſteriore itaque intellexi errore commiſſo idem hic contigiſſe, quod alias adeo frequens in acutis harum regionum. Errore commiſſo, inquam; nam morbus ipſe coqui eo uſque viſus erat, neque ſigna diſſoluti cruoris ex aliis excretionibus obſervata fuerant, neque vires vitæ ullatenus decreverant. Unde, cauſa ſic intellecta, abſtuli prudenter aliquid de pondere ſtragulorum; ac ſemper deinceps, homine cæteris cum ægris in tranſitu, & quantum abſolute requiſitum, examinato, mox vicinam in aulam, viſa exponendi cauſa, me cum auditorum turba contuli. Memorque *Sydenhami*, verbo & exemplo monentis, Petechias, ab aëre calidiore ortas, curari oportere aëre, tegumentisque levioribus, eductione extra lectum, medicamentis diluentibus ac refrigerantibus; ea omnia ſenſim, prudenterque, imitatus ſum effectum inde, ut anxietates pedetentim imminuerentur, ſudoresque decreſcerent, & intra quatriduum Miliaria inciperent exſiccari: novis non renaſcentibus ultra, viribus augeſcentibus, maturanteque ſeſe Peripneumonia. De induſtria hominem, diutius quam par erat, penitus curatum, in Noſocomio ſervavi, ut Medicinæ Doctores, Studioſique, confirmatæ ejus pancraticæque ſanitatis teſtes exiſterent. Quantine faciendus in Medicina *Sydenhamus!*

Miliaria autem vera, quæ cum quadam veluti Rheumatica febre inchoant, 4. 5. 6. 7. 8. febris die, ea ter in Noſocomio conſpeximus. Fuere inter illos, qui per mentum, collum, pectus, brachia, femora, albis ſcaterent miliaribus: quæ admoto lumine quotidie in ſuo ortu, decurſu, decremento, exſiccatione, tum a me, tum a Medicis qui Miliaribus & cognoſcendis & curandis dudum aſſueverant, tum & a Medicinæ Studioſis, examinabantur. Porro jacuere omnes

hi inter medios alios ægros, eodemque puro cum illis aëre utentes, iisdemque integumentis. Subaceſcens eorum fœtor non mutavit quidquam per aceſcentia & acida more. Sed a climatis clamoribus eo tempore adhuc nonnihil perterritus, eosdem necdum auſus eram lecto eximere. Poſt tres, quatuorve ſeptimanas omnes adepti ſunt ſanitatem. Poſthac vero, ſenſim audacior, hominem febre acuta putrida pluribus diebus, antequam in Noſocomium inferebatur, laborantem, & mox apud nos Petechiis refertum, quotidie cum cœteris ægris lecto eduxi, aërem eundem, quem inſpirarent cæteri, & huic conciliavi, diluente potu, cui ſpiritus ſulphuris per campanam dictus additus, eum implevi; quo factum, ut intra octidui ſpatium & a petechiis, & a morbo acuto convaleſceret: ſola hectica diſpoſitione, qua multis ab annis languebat, ſuperſtite.

Sic ſenſim jugum quod humeris meis publicus impoſuerat clamor, excutere potui, volui, debui. Videram in *Belgio fœderato* annoſiores practicos, qui monita *Sydenhami* ac *Boerhaavii* in Variolis, Morbillis, Miliaribus, Petechiis, Scarlatinis, aſpernati, horum morborum in curatione admodum infortunati eſſent: videram alios qui, Boerhaaviana ſchola enutriti, magiſtrique veſtigiis preſſe inhærentes, horum curam feliciorem ederent. Recordabar & me, *Sydenhami* ac *Boerhaavii* veſtigia prementem, hos eosdem morbos ſummo cum famæ ac honoris incremento, cæteris, qui alias longe ſemitas calcarent reclamantibus, felicius curaſſe; hinc audacter vanos clamores flocci faciens, concludere debui, tam felicem eſſe horum morborum curam in aëre *Auſtriaco*, quam ſuadente *Sydenhamo* in *Brittannico*, quam ſuadente *Boerhaavio* in *Belgico* fuiſſe conſtat.

De Diebus criticis, & Criſibus variis.

Volupe maxime fuit, veritatem doctrinæ Hippocraticæ, circa criticos dies, in ipſis ægris, Auditoribus coram, demonſtrare potuiſſe.

Negabunt multi fieri id poſſe. 1°. Quia diverſa *Hippocratis* opera dies criticos alios præ aliis; aliis atque aliis temporibus, ponunt, enarrant. Imo quibusdam in locis bonum criticum adpellant ejusmodi diem, quem in aliis malum, ſuſpectumve, deſcribunt. Ut liquet manifeſto ei, qui eorundem enumerationem indagaverit ex *Aph.* 2—24. *Aph.* 4—36. *Epid.* Lib. 1. *Sect.* 3. Libr. *Prognoſt.* & Lib. *de Criſibus.* Quod ſi quis enumerat omnes, qui laudatis in libris critici habentur, dies, criticos reperturus eſt 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 14. 17. 20. 21. 24. 27. 28. 30. 31. 34. 40. 48. 60. 80. 100. 120.

2do. Ex hiſce forſan quis ita confici arbitrabitur, ut in morbis acutiſſimis & peracutis, qua die judiceris, perinde ſit. Namque a 3. ad 11. diem novem ſibi ſubſequentes dies critici enarrantur; unde in eorum quemquam criſis neceſſario incidet. Præterea poſt 11. diem creber adeo criticorum numerus eſt, ut magna ſemper ſpes ſit, fore ut in quempiam eorum judicia incidant.

3tio. Immo aliis, iisque cæterum doctis, hoc genus argumentandi placuit. Si recenſus criticorum dierum ex æterna Naturæ lege conficeretur, exactus ille, & ubique conſimilis, haberetur. Jam vero *Hippocrates* in iisdem vario tempore, locoque, enumerandis dubius fluitat, inconſtansque alios præ aliis numerat. Ergo certi nihil ex hiſce conficitur. Anxia proinde eorum inquiſitio inutilis videtur, imo quia, quod otium ſtudioſi in certiora indaganda collocare potuiſſent id hæc inquiſitio occupat, damnoſa eſt.

Aptior reſponſio ad hæc argumenta non datur, quam quod eorum, quæ in genere de diebus criticis magnus *Hippocrates* effatus ſit, examen ad lectos ægrorum inſtitutum, rem eodem ſe modo habere, quo ille dixiſſet, abunde demonſtret. Verum ut horum omnium argumentorum vis penitus enervetur, materies eorum paulo altius inquirenda eſt.

Galenus, inconſtantiæ Hippocraticæ doctrinæ ſuſpicionem amoliri conatus ſtatuit, *Cöum* in libris *Epid.* citra ullam quaternariorum diſtinctionem, quoscumque unquam dies judicatorios obſervaſſet, enumeraſſe: in locis vero cæteris Periodos, quæ quaternario dierum numero componerentur, ſermone complexum eſſe. Credibile propterea fieri, Epidemicos libros primo conſcriptos eſſe, qui doctrinam generalem continerent; *Aphoriſmos* vero, aliaque ejus opera, quæ ex generaliore doctrina collecta eſſent, & conſuetiores Naturæ leges referrent, poſt *Epidemicorum* volumina conſcripta eſſe.

Inconſtantiæ ſuſpicionem *Galeni* effata mitigant, non tollunt. 1°. Enim invictis argumentis conſtat, *Hippocratem* plurima opera ſua poſt Aphoriſmos condidiſſe; quæ demonſtratio hujus loci non eſt, ſed in aliam occaſionem reſervanda.

2do. In *Aphoriſmis* ac *Prognoſticis* haud levia manent ejusdem inconſtantiæ veſtigia. Imo ne uterque quidem *Aphoriſmus* idem ſonat. Ergo tantæ diſcrepantiæ aliunde petenda origo eſt.

Græcis moris eſt numeros litteris ut exponant. α' cum accentu gravi in vertice denotat unum; β' duo; γ' tria &c. a Litera ι numeros decimos, ſive ut vocant decimales, ordiuntur: a Litera ρ centenarios: Millenariis accentum ponunt infra literam.

Quia nunc ante inventam Typographiam libri omnes ſtylo vel calamo exarabantur; quique ſcribendi arte victum quæritarent, veloces eos in opere illo eſſe opor-

oportebat, nil committendis in eo erroribus facilius fuit. Potiſſimum ſi manuſcriptorum vetuſtas vietas literas contineret. Unde nam aliter manuſcriptorum complurium varietas tam ſtupenda, tantaque contradictio nata? Id quod eruditus *Foëſius* toties acerbiſſime conqueſtus eſt. Ita ut ad locum, de quo agitur, *Epidemicorum* plurima exemplaria diſſona invenerit: tribus antiquiſſimis octavum diem reticentibus; duobus aliis decimum, ac vigeſimum octavum; apponentibus vero, qui non in prioribus, diem vigeſimum, & vigeſimum quartum. Iterum aliis exemplaribus expungentibus diem quadrageſimum octavum, ejusque loco quadrageſimum quartum laudantibus; aliis addentibus poſt centeſimum, vigeſimum. Nosque hodie in Aph. 4—36. legimus 21. diem: *Galenus* legit 20, & veriſſime quidem; in omnibus vero *Celſi* exemplaribus 21. notatus fuit.

Merito proinde concludimus Notarios, ſive antigraphos, ſimilitudine literarum, numeros deſignantium, deceptos fuiſſe, quod in vietis manuſcriptis facile; ſæpiusve eosdem numeros, quod feſtinantibus ſolemne, omiſiſſe. Adeo hoc *Galeno* perſuaſum, ut quod *Pythio* tertio *Epid.* non 11. ſed 10. die obiiſſe legatur, librariorum errori adſcribat.

Sed Notariorum errore demonſtrato, ut cauſa, veraque origine, diſcrepantiarum in *Hippocrate*, ſequiturne inde id, ut ultra ex hiſce incertis nil firmi certique eruere oporteat?

Sequeretur omnino, niſi alia certi indagandi adminicula & inveſtigaſſemus, & deprehendiſſemus. Nihil hic dicam, quod mea 20. ferme annorum in *Belgio* praxis me ex hoc dubio plane exemerit: nam ut ſupra monui, non ex mea modo praxi, ſed ex ipſo *Hippocrate*, legitimus medendi ordo, coram auditoribus meis, datus mihi fuit exponendus & demonſtrandus.

Conſulendus igitur Divus ſenex fuerat, non in

dogmatica Criticorum dierum recenſione, ſed in clinicis ejus obſervatis. Hinc ſequentia didicimus.

Dies 3. dabat judicia	7.	3. bona. 3. mala. 1. bonum, ſed quoad diem dubium.
Dies 4. judicia	12.	6. bona. 6. mala.
Dies 5. judicia dabat	14.	4. bona. 5. cum recidivis. 4. mala. 1. lethale, ſed quoad diem dubium.
Dies 6. judicia	25.	13. lethalia. 11. cum validis recidivis. 1. ambiguum an ad 6. pertineat, bonum tamen, *Virg. Lariſſæ.*
Dies 7. judicia	28.	11. lethalia. 8. perfecte bona. 9. dubia, aut cum recidivis.
Dies 8. judicia	4.	1. bonum. 2. lethalia. 1. cum recidivis; & tota Conſtitutio ſic erat.
Dies 9. judicia	6.	3. lethalia. 1. cum recidivis. 2. bona.
Dies 10. judicia	3.	2. mala. 1. cum recidivis.
Dies 11. judicia	9.	3. mala. 4. bona. 2. aut dubia, aut cum recidivis.
Dies 12. judicia	5.	2. lethalia. 1. bonum. 2. imperfecta.
Dies 14. judicia dabat	19.	3. mala. 15. bona. 1. cum aliqua recidiva.
Dies 15. judicia	2.	1. bonum. 1. malum.
Dies 16. judicium	1.	1. malum.
Dies 17. judicia	8.	6. bona. 2. mala.
Dies 18. judicia	2.	1. bonum. 1. dubium.

Di

Dies 19. judicium	1.	1. bonum.
Dies 20. judicia	16.	10. bona
		1. imperfectum
		5. mala.
Dies 21. judicium	1.	1. malum.
Dies 22. judicia	2.	1. bonum.
		1. cum recidiva.
Dies 23. judicium	1.	1. dubium valde, eo an pertineat.
Dies 24. judicia	4.	2. mala.
		1. bonum.
		1. cum recidiva.
Dies 25. judicium	1.	1. malum, ambiguum an eo die.
Dies 27. judicia	2.	1. bonum.
		1. malum.
Dies 29. judicium	1.	1. cum recidiva ad 40. diem: integra ſic Conſtitutio.
Dies 34. judicia	2.	1. bonum
		1. lethale.
Dies 40. judicia	12.	8. bona.
		2. lethalia.
		2. ambigua, aut cum recidivis.
Dies 51. judicium	1.	1. bonum.
Dies 67. judicium	1.	1. malum.
Dies 70. judicia.	2.	1. forte bonum.
		1. malum.
Dies 75. judicium	1.	1. bonum.
Dies 80. judicia	4.	3. bona.
		1. lethale.
Dies 100. judicium	1.	1. bonum.
Dies 120. judicium	1.	1. malum.

Summa igitur eſt judiciorum *Ducentorum*, tam privatorum ægrorum quam plurium Conſtitutionum Epidemicarum; quæ tamen omnes ſingulari tantum numero indicantur. Adeo ut pene infinitus fuiſſet judiciorum numerus, ſi quid cuique in variis illis conſtitutionibus contigiſſet, *Hippocrates* enarrare voluiſſet. Plura adjicere potuiſſem, ſi quæ in *Vulneratis* obſervaverit, adjeciſſem; ſed *de Criſibus acutorum* modo agendum fuit. Ad diem 7. 9 14. adhuc plura judicia *Hippocrates* refert in *Coacis*, in *Prorrheticis*, &c. in morbis inflammatoriis, maxime pectoris, exponendis, quæ in

data

data mox dierum Criticorum recenſione non notantur. Ita ut hinc illi dies 7. 9. 14. fiant criſibus adhuc famoſiores.

Ex omnium autem recenſione elucescit id, quod Aph. 2—24. omnium maxime cum obſervatis Hippocraticis conveniat, adeoque omnium minime corruptus ſit; dolendum modo quod ultra 17. diem non extendatur.

Secundum hæc obſervata maxime Critici ſunt dies 3. 4. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 40. Quod enim dies ſextus, & vigeſimus nonus plurima judicia continere videantur; nihil contra facit: ſunt enim ſuſpecti, & ſaltem cum validis recidivis, poſt multos languores. Reliqua pauca, diebus aliis vel minus criticis, vel plane non criticis obſervata, vix regulam faciunt.

His ita ex *Hippocrate* examinatis, alterum ſupererat faciendum. Dies nempe iidem, in omnibus, quos Noſocomium exceperat, ægris, ſedulo erant indagandi. Exacta obſervatio demonſtravit veriſſima eſſe, quæ docuiſſet *Hippocrates*. Diebus nempe maxime ab illo notatis noſtra bona judicia obſervavimus, habuimusque iisdem etiam aut imperfecta, aut mala: ea nihilominus differentia, ut, Divina favente Clementia, mortuos numero longe pauciores numeremus: quod dubio procul etiam nonnullis medicamentis, quæ *Hippocratem* latuerant, tribuendum. Judicia nobis & ſexto contigere, & decimo, & duodecimo die; ſed imperfecta ea, & cum relapſu, fuere.

In hæc porro intenti, plura alia magni Viri obſervata, confirmata in noſtris ægris, mirabundi vidimus. Veras easdemque graves *Perturbationes criticas* contemplabamur, ſed & non raro paucas; interdum nullas; critica evacuatione tamen prodeunte. Eodem prorſus modo quo ille eas ſe obſervaſſe tradit. Revera ipſe conſpicuas illas perturbationes frequentiores vidit, quam nos: ſed ſi detur conjecturæ locus, ubi quis cum Hip-

po-

pocraticis Sydenhamiana & Boerhaaviana conjunxerit, ſcilicet Venæ ſectiones crebriores, medicamentaque & plura, & efficaciora, adhibuerit, interea dum ab Hippocraticis ne latum diſcedat unguem, ille videtur in ſuis ægris ejusmodi perturbationes habiturus rariores.

Præterea notabiles obſervationes *Cöi* circa ſubitas, nec opinatas, mutationes ex ſummo lethi metu in ſalutem, mirabundi aliquoties intuebamur. Ut hiſtoriam *Metonis*, *Mulieris in Thaſo*, illius ſcilicet, quæ ardente febre decumbebat, *Virginis Lariſſeæ*, aliorumque, hoc ipſo anno, in binis putridis febribus, tribusque Pleuriticis, veluti coram intueremur.

Cruditatis tempus, ut ſæpe ad 4. diem illa mutatur, ita non raro ad 5. 6. 7. 8. diem extendi vidimus, iis potiſſimum in ægris, qui citra medicam opem pluribus diebus cum morbis conflictarentur, antequam ad Noſocomia adducerentur. Didicimus ex hisce cruditatem non tempore metiri, ſed conditione; audacterque eo in caſu morbos aggredi, tanquam ſi primum diem agerent: exemplo *Hippocratis*, qui *Anaxioni* octavo pleuritidis die ſanguinem e brachio tollens, feliciſſime tum ſuppurationem, tum gangrænam, præcavit.

Si quis nunc his omnibus, obſervationes *Hippocratis*, conjunxerit, *Lib.* 1. *Epid. edit. Foëſ. pag.* 941. *&* 945. *tum & Lib. Epid.* 3. *a pag.* 1085. *ad* 1089. circa febres, quæ nullas Criſes ſive ſalutares, ſive pernicioſas, habeant; reſponſum ille habebit in promtu ad quæſtionem, tum apud privatos multos Medicos, tum & apud illuſtria Eruditorum corpora agitatam, *Cur nempe Criſes & citæ, & conſpicuæ, Hippocraticis, quam noſtris temporibus crebriores?* Profecto qui *Sydenhami*, & *Baglivi*, & *Boerhaavii*, & *Illuſtriſſimi noſtri Præſidis, eruditiſſimi in Boerhaavium Commentatoris*, conſilio parentes, Naturam intempeſtivis venæ ſectionibus, aut emeticis, aut purgantibus, aut ſudatoriis,

riis, non turbant, non fatigant, non ſubvertunt, ſed potius eam ducem ſequuntur, juſteque moderantur, eadem in morbis quæ *Hippocrates*, obſervant. Doctiſſimi *Baglivi* hoc reſponſum eſt, toties ab ipſo jam ante 60. annos iteratum.

Unicum modo eſt, quod hic ſubjungi oporteat. Nemo autoritatem hujus doctrinæ, pondusque, inde labefactari autumet, quod ad eandem probandam nonnulla ſunt ex ejusmodi petita operibus, quorum, *Hippocratis* ne ſint, an aliorum, ſit dubia fides. Etenim duo fere trientes omnium adſcriptorum *Hippocrati* librorum germani ſunt. Ita quidem ut ex 70. illius ſive libris, ſive diſſertationibus, quæ operum omnium molem conficiunt, 46. reperiantur fidei indubitatæ; 24. autem aut filiorum ejus ſint, *Theſſali*, *Dracontis*, generisve *Polybi*, aut cujusquam de Aſclepiadarum familia: qui ex venerandi Senis pugillaribus hæc adornaſſe, ideoque, paucis exceptis, apud *Galenum*, *Celſum*, aliosque dignos *Hippocratis* Commentatores, magna videntur autoritate valuiſſe.

CAPUT V.

De Urinis.

Circa Urinas & multa, & egregia, per biennium & ultra, Noſocomium ſuppeditavit: quorum plura, cum aliis experimentis tum demonſtranda clarius, tum augenda ſint, necdum in præſentiarum convenit hisce inſerere. Sed id ſaltem affirmamus, quæ *Hippocrates* de Urinis habeat, eorum pleraque nos veriſſima eſſe, ſtupentes ſæpe obſervaſſe. Patuit quippe judicium medicum tam in Acutis quam in Chronicis, ex ſolis urinis deſumtum, fallaciæ obnoxium hærere; quia 1mo. Urina incredibiliter etiam in ſaniſſimis variat.

riat. 2do. Quia Urina, aſſumtis quibusdam, adeo a naturali aliena reddi poteſt, ut nihil minus, quam hominis, cujus eſt, conditionem denotet: id quod jucundis experimentis captis in Noſocomio demonſtratum fuit. 3^{tio}. Quia ſi cætera in morbis ſigna bona ſint, ea etiam, cum Urinis non bonis, bene ſperare jubent. 4to. Quia Urinæ pravæ, cum multis cæteris pravis ſignis, quanquam metum ingentem pariant, omnem tamen ſpem vitæ non abſcindunt. 5to. Quia Urinæ nunquam bonæ, cum reliquis ſignis bonis judicium paſſim imperfectum relinquunt. 6to. Quia Urinæ non malæ, cum pravis cæteris ſignis, magnum diſcrimen portendunt. 7mo. Quia plerisque ægris, qui intereunt, urinæ non bonæ obſervantur.

Cæterum Urinas vario modo rubras; Urinas ſimilem orobis toſtis gerentes materiem; Urinam ſquamoſam, furfuraceam, craſſiori farinæ ſimilia ferentem membranaceam, ictericam, viridem, ſubnigram, nigram, pinguem, fœtidam, inſipidam, aquoſam; Urinam vario modo crudam; omniaque quæ ad nubeculas, enæoremata bonaque ac mala ſedimina pertineant; horum, inquam, plurima ad lectos ægrotantium reperiimus eodem ſe modo habere, quo obſervata ab *Hippocrate*, deſcriptaque fuerint. Præciſum vero tempus, horamque definitam, qua in Urinis ſedimen maxime criticum, poſt earum mictum, conſpicuum fieri debeat, necdum potuimus definire. In genere vidimus, eo perfectiorem dari criſin, quo ſediminis & citior, & diuturnior, depoſitio eſſet. Cæterum & bonas fuiſſe Criſes, Urinis 6. 8. 10. 12. poſt mictum hora ſedimen formantibus. De aliis morboſis in Urina contentis, idque potiſſimum in Chronicis, multa quoque, quæ Hippocratica confirment, obſervavimus.

Verum cum omnibus hisce incerta, fateor, & dubia, & obſcura, & captu noſtro ſuperiora, circa hanc materiem ſuperſunt: quibus nihilo ſecius & cognos-

cen-

cendis, & explicandis DEO ſanitatem largiente, omnem operam in ægrorum curatione, per ſequentem curſum Academicum, navabimus.

Ut Alcalinorum contra putredinem vim, ſecundum *Pringleanam* doctrinam, exploraremus, Urinæ ejusdem hominis, eodem tempore miſſæ, portiones alias miſcuimus cum alcalinis, alias cum acidis. Acida erant Spiritus Vitrioli, Spiritus Nitri, & Spiritus Salis, fortes. Alcalina erant Sp. CC. Sal. vol. oleoſus, Sal abſinthii, Oleum tartari per deliquium. Experimenta & in ſanorum ſunt capta, & in ægrorum urinis. Repoſitæ ſunt omnes urinæ eodem in loco. Omni examine evictum eſt, urinas longe diutius a putredine acidis, quam alcalinis, præſervari; ea excepta cui ſp. CC. fuiſſet affuſus. Conſtititque urinam alcalicis miſtam longe citius putreſcere, ea, cui affuſum nihil.

Ergo inde nihil, ad alcalinorum præ acidis præſtantiam demonſtrandam, qua res a putredine præſervarent, concludi poteſt: imo contrarium evincitur, citius corruptis urinis, quibus admiſta alcalia, quam quibus acida, aut quibus nihil: quamvis omnes variæ portiones eodem ex homine collectæ, eodem tempore mictæ, eodemque ſervatæ in loco fuiſſent.

CAPUT VI.

De Sanguine Humano.

Hiſtoriam Sanguinis necdum ſufficienter explanatam, eſt quod doleamus. Multa, eaque egregia, protulere poſt *Leeuwenhoeckium* boni in arte viri; *Boyleus*, *Malpighius*, *Bellini*, *Guillelmini*, *Boerhaave*, *Hales*, *Schwencke*, multique alii ſocietatum *Anglicanæ*, *Pariſinæ*, *Bononienſis*, *Edimburgenſis*, &c. præclariſſima membra; quæ utique longo, tædioſoque confecta

la-

labore, magnam lucem affudere, ſed necdum penitus genuinam ſanguinis indolem eruerunt. Quin & edita ab ipſis experimenta fuere, quæ nunc prorſum eadem nobis, quæ illis, viſa; nunc iterum ab iis alia, diverſa, contraria, adparuerint. Unde eadem ſæpius, & cum tædio repetere coacti, nonnunquam paulo aliter, atque illi, tum enarrare phænomena, tum ex iisdem concludere, debuimus.

Facultatem omnia rite explorandi primo ſuppeditavit inſtituta frequenter noſtris in ægris miſſio ſanguinis. Sed & multum juvere *Paſchales Feriæ*. Eſt eo tempore millenorum hominum ex urbe, ſuburbiis, pagisque vicinis, ad Chirurgos Viennenſes confluxus, ut vena ſibi in prophylaxin tundatur. Vicinus Chirurgus, ſeparatis in vaſis, omnem ſanguinem mox ad me mittebat; ubi vero calente, eove actu effluente, opus erat, homines turmatim in Noſocomium induxit, ut ipſis tunderetur, me præſente, vena. Unde facultas longe uberrima mihi nata, ad experimenta inſtituenda. Mens fuit potiſſimum obſervare, quid ſanguini minime mutato contingeret, ut eo tutius vera indoles patesceret.

Ex 150. *variis experimentis, & phænomenis* ſequentia didicimus. Sanguis miſſus ex brachio hominis, thoracem contuſi, minime ut dicitur inflammatus, quatuor puriſſimis in vaſis exceptus eſt. Sexta poſt eductionem hora inſulæ, ex laudabili ſeri copia exemtæ, impoſitæ fuere in vaſa terrea, pura, nova, vitrea cruſta obducta. Ver erat frigidum. Aër eo in loco a grad. 40. ad 46. in therm. Fahrenh. calebat. Binis placentis, ſive inſulis, quavis 12. hora affuſæ ſunt aquæ frigidæ, puræ, fontanæ, unc. 10. Binis aliis eodem tempore, eadem copia aquæ, ad calorem hominis ſani circiter calentis, eſt affuſa. Prima earum inſularum, quibus calida affuſa, in ſex partes diviſa eſt, magnitudine inæquales: reliquis inſulis ſervatis integris. Operatio

hæc

hæc duravit. 12. dies. Ex tædioſis adnotationibus eo tempore habitis, & ſemper ex templo conſcriptis, hæc pauca modo referam.

Aqua ſingula 12. hora effuſa nunquam vel hilum tincta fuit; evaporata tamen ſuper ignem, maxime poſtremis diebus, levem cruſtam reliquam fecit; quæ cum acidis nonnihil effervesceret, & ſaporem ſuburinoſum linguæ guſtata imprimeret.

Poſt 12. diem vaſis, quibus frigida ſolebat affundi, aqua affuſa per aliquot dies renovata non fuit. Aquæ illius portio ſubinde examinata, notas alcali evidentiores dedit.

Senſim porro inſulæ diſparuere ita, ut quibus frigida aqua adjecta fuiſſet, nihil reliqui eſſet, niſi cruſta levis, fusca, aſperior adſpectu, tactu tenera, omnem vaſis ambitum incruſtans, notas alcalini, ut ſupra, gerens. Inſula vero illa, quæ diviſa in partes, calidam affuſam habuerat, ſenſim albidior, pellucidiorque reddebatur; donec tandem 20. diebus elapſis, ſex parvas, fere pellucentes, maſſas relinqueret.

Quæ vero inſula in aqua, quæ calide affuſa fuerat, manſerat integra, ea longe magis mole decreverat: ita ut ſupereſſet demum albeſcens fruſtulum, pellucens, paucos rubros globulos, hinc inde intermiſtos, gerens.

Intentio horum experimentorum fuerat, quid demum a ſanguine ſupereſſet, exacte rimari, videreque an quidquam animadverteretur, ſive Cruſtæ phlogiſticæ, ſive dictæ *Ruiſchio pſeudomembranæ*, conſimile.

At vero, ut dixi, ſuperfuit de tota inſula nihil, præter cruſtam fuſcam ad ambitum utriusque vaſis, quæ frigidam exceperant; aut quid albidi pellucidique, in binis vaſis, in quæ calida aqua conjecta erat.

Quum fruſta hæc, mole reſidua, indies minuerentur, ex aquis illa, exacto menſis ſpacio exemi, & ſpiritui vini, quo conſervarentur, immiſi. Cruſtas quippe pleuriticas dictas ſæpius exploraveram diuturnis

ma-

macerationibus, integras, diviſas; aqua pura, nitroſa; frigida, calida. Quas cum lapſu temporis evaneſcere obſervabam, alias ſimiles cruſtas, dum incepiſſent imminui, ſpiritu vini incorruptas ſervabam. Quod idem omni ex parte & de *pſeudomembrana* verum.

At vero fruſta illa, paucos intra dies, penitus diſparuere; ſpiritu duntaxat paulo turbidiore inde reddito.

Igitur hoc reſiduum caruit durabilitatis nota, qua Ruiſchiana membrana, & cruſta phlogiſtica, in ſpiritu gaudent.

Conſtitit liquido & inſulas plures concreti cruoris, & cruſtas pleuriticas varias, ſemper citius ſolvi, evaneſcereque, quando frigida aqua, quam quando calida, affunderetur.

Membranam ſuam dictam *Ruiſchius* parabat, ramulo quopiam conquaſſando ipſum calentem ſanguinem. Nunquam paravit illam ex ſero ſanguinis, ut per incuriam in operum ejus *indice* ſcribitur: qui legit *Ruiſchium* attente, videt ipſum ſanguinem rubrum, antequam ſerum ſepararetur, ab ipſo conquaſſatum eſſe.

Membranam hanc frequentiore uſu didicimus & tempore citiorem, & mole craſſiorem, præ illo, parare.

Sanguinem mox miſſum, calentem, totum, in lagenam infudi, eamque probe obturatam agitando, paravi eodem temporis ſpatio membranam ea craſſiorem, quam, agitando cum ramulo Olivæ ſanguinem, comparaveram.

Excepi ſanguinem ex ipſo ſani hominis brachio impetuoſe effluentem in lagenam. Obturatam lagenam agitans, craſſam membranam obtinui, quadruplo breviore temporis ſpatio.

Sanguinem e brachio fœminæ, ſeptem menſes gravidæ, raptim fluentem, lato vaſe excipiens, ramulo agi-

agitavi a prima dragma ad finem usque: per 5. horæ minuta membranam maximam confeci.

Ruiſchius Thes. vij. N. 39. ramulo exagitavit ſuum proprium ſanguinem, donec refrigeſceret, tuncque ſuam membranam obtinuit. Ergo forſitan per horæ quadrantem. Si in lagena agitatur ſanguis, augeſcit Pſeudomembrana in molem longe majorem, ea, quæ ramuli agitatione parata. Verum notandum id, quod determinata tantum copia ſanguini inſit ejus, quod hanc filis ornatam membranam, producat; vel ſaltem quod tantum determinata ejus quantitas ex ſanguine extrahi queat. Quantumvis enim agitare pergis, & conquaſſare humorem, membrana non grandeſcit, ſed potius in plura fila diviſa mole decreſcit.

Ruber ſanguis, a membrana factitia ſuperſtes, a ſuo ſero difficulter ſeparatur fluidus perſiſtens, neque 36. horarum ſpatio inſulam formans. Vix, niſi ſumma cum prudentia ac patientia, quid inde effundi ſeri poteſt.

An ergo illa vis plaſtica, quæ ſanguini mox poſt eductionem ex vena quieſcenti adeſt, ſanguini educenda membrana conquaſſato, ablata eſt? Non videtur: ſerum enim ejus, quod ablata membrana ſenſim pauca copia ſeparatur, quodque dixi difficulter a fluido rubro ſeparari; hoc, inquam, ſerum prudenter ſeparatum, ſi cochleari ſupra ignem ponitur, æque cito, denſeque cöit, atque ſanguinis illius, qui conquaſſatus haud fuerit, ſerum.

An Membrana Ruiſchiana ſaltem conflatur ex eo, quod plaſticum in ſanguine vocatur?

Non adparet: nam ſerum ſanguinis diutiſſime ita conquaſſati, ut Pſeudomembrana ultra non augeſcat, ad ignem coit, inſtar ſeri ſanguinis non agitati.

An forte illud quod magna copia de ſanguine exhalat, quamdiu calet, idem eſt, quod factitiam formet membranam?

Minime: nam 1°. ſi ſanguinem mox dum vena egreſſus

greſſus eſt, exactiſſime tegas, & dein parumper ſinas coire, nunquam inde membranam parabis. 2do. Si membranam ramulo paras, continuo ros exhalat de vaſe aperto, donec ſanguis refriguerit, & bonam tamen membranam adornas. 3tio. Sanguinem ſani hominis brachio exſilientem in lagenam excepi, exactiſſime illico clauſi, a 31. Martii ad 3. Aprilis ſervavi, colorum mutationis contemplandæ cauſa: tunc partem ramulo, partem agitatione lagenæ, diu multumque agitavi, membranam Ruiſchianam inde formaturus; ſed fruſtra.

Ergo materies membranæ factitiæ, alia omnino a ſero coagulando, & a vapore fumantis ſanguinis.

An ſaltem phlogiſtica cruſta quid commune habeat cum illo rore evanido? Neque id videtur. Sive enim ſanguinem bene texeris ne quid evaporet, ſive non texeris, diatheſis phlogiſtica ſuam cruſtam format.

Paulo ſuperius monui ex eo, quod conquaſſatus ſanguis, ablata factitia membrana, inſulam ultra non formet, non probari quod vis plaſtica ipſi ademta fuerit; namque coagulabatur, ut antea, ejus ſerum: en vero hic aliud argumentum!

Sanguis ſanus ex conſuetudine miſſus menſe Aprili, & per pauca minuta ſibi relictus, ut modo inciperet tepescere, media ſui parte agitabatur ramulo, altera conquaſſabatur in lagena: & tamen pauca hac quiete effectum, ut neutra pars factitiam membranam dederit.

Nihilominus eodem modo, quo conquaſſatus ille ſanguis, e quo magna membrana parata, inſulas non formavit, liquidus manſit, ſerumque ſuum, quod parva copia in ambitu, ac ſuperficie aderat, ægre a ſe dimiſit. Serum hoc, ut prius, ad ignem coagulabatur.

Ergo, ut jam ſupra concluſi, non eſt Ruiſchiana membrana ablata, quæ ſanguinem vi coeundi ſpoliet. Newtoniana phraſi vis contractilis globorum rubro-

rum, qua in mutuos nitantur contactus; qua etiam frigido in aere ſerum ſæpe ſecum incarcerent, ita ut ſanguis plane ſiccus videatur; & qua in loco tepido ſerum fugent, ita ut in inſulam contracti innatent eidem; illa, inquam, vis, non ablatione membranæ, ſed conquaſſatione, perit.

An motus ſanguinis in corpore vivente nimius, exagitansque, ita poſſit mutare ſanguinem, ut globuli vix ultra cohærere queant, utque proinde errores loci, maculas, aliaque mala, generent?

Sanguinis ex hæmoptoico miſſi, ſibi relicti, inque inſulam concreti, ſerum ramulo olivæ agitavi diu, membranam, ſed fruſtra, inde expectans: quod enim ramulo adhærescebat, id & vix paucum, & poſtera die quid modo muci eſſe videbatur. Serum alius ſanguinis, bona inſula formata, famuli ultra trihorium in lagena agitarunt; ſed nil inde membranoſi produxere.

Adparet igitur id quod membranam formaturum eſſet, concrescente in inſulam ſanguine, adeo intra ejus ſubſtantiam irretiri, inviscari, adunari, ut nulla agitatione deinceps educi inde poſſit. Si enim in ſero eſſet, cumque ſero a coeunte cruore expulſum, membranam dediſſet factitiam.

Cum tanta mihi ſeri copia quotidie adeſſet, varia aliorum circa illud experimenta imitari volui. Exploravi num cum ſpiritu vini coagularetur? Vix parum, ſed aliquando leviter lacteſcente ſuperficie. An cum aceto? nihil nigrescit modo. An cum Spir. Salis ammoniaci? Nequaquam. Cum Sale rorismarini, aut cum ſale volatili C. C.? Nihil minus.

Volui explorare num omni dote referret ovi albumen? Utrumque cochleari impoſitum, ignique admotum, mox in ſciſſilem abivit maſſam. Hucusque idem. Verum ubi albumen ovi, in fervidam aquam immiſſum, mox durum coagulum formaſſet, ſerum ſanguinis, itidem in fervidam injectum, minime cöivit,

lacteum

lactеum aquæ conciliavit modo colorem. Lactea hæc aqua poſtquam friguiſſet, ad ebullitionem reducta, nil coaguli exhibuit, lacteum ſervavit colorem. Ut neutiquam duo hæc ſibi conſimilia ſint omni dote; quemadmodum imprudenter quandoque pronunciamus.

Redeamus ad contenta ſanguinis. Sanguinem alium ex brachio, alium ex pede effluentem, in aquam ad 100. gradus thermometro impoſito calentem, excepi. Sanguis ille obſervatur primo hanc aquam æquabili rubedine tingere, ſi jactus ejus citatus eſt: refrigeratæ dein aquæ innatat plurimum albeſcentis pellucidi, glutinoſi, fugientis adtactum, manu, aut cochleari vix capiundi; Hæc ſi brevi a venæ ſectione rem explores. Si vero per 8. 10. horas aqua illa poſt venæ ſectionem ſine examine reponatur, revoceturque ad examen, habebit nonnunquam parum illius pellucidi glutinoſi, ſed multo ſolidius, colore fuſcum, facilius capiendum.

Hoc contentum quo ſcirem quid eſſet, pluries illud charta emporetica, linteo ſuffulta, percolavi: nonnunquam remanſit nihil; aliquoties quid pauci, glutinoſi, quod exſiccatum furfurum, griſeive pulveris inſtar, in ſpiritu vini perſtitit.

Materies hæc glutinoſa, ex aqua adhuc calente, mox a venæ ſectione excepta, & vel ramulo, aut lagena, agitata, iteratis experimentis, nihil unquam dedit membranoſi. Si experimentum inſtituis longe poſt venæ ſectionem, ubi aliquoties contenta materies ſolidior adparet, eſt tamen idem experimenti effectus.

Hæc porro ſolidior materies, ab ea, quæ ex calente adhuc aqua eximitur, differt in eo, quod percolata plus relinquat materiæ glutinoſæ fuſcæ. Hanc ſuperſtitem a percolatione materiem per horam agitavi lagena, viſurus num membranam daret? Nequaquam; agitatio illa materiem modo ex fuſco reddidit rubicundiorem.

Percolata omnium horum experimentorum aqua rubella eſt, & mucoſi quid in fundo habet. Bidui ſpatio omne id mucoſum fere evanescit in aqua.

Experimenta hæc ſæpius, & in phlogiſtico ſanguine, & in ſano, capta ſunt.

Gelatum ergo illud, quod in aqua calida a miſſo ſanguine colligitur, neque materies factitiæ membranæ eſt, ut mox oſtendi, neque etiam eſt cruſtæ phlogiſticæ materia. Eſt enim gelatum hoc in quavis aqua, in quam calentem ſanguis ſive ex brachio, influxerit. Saltem ſi eſſet cruſtæ materies, ii, quibus neque a morbo, neque a graviditate, neque a diatheſi, cruſta adeſſet, gelato carerent.

Quam inepte igitur inde concluditur venæ ſectionis inſtitutæ urgens neceſſitas! phlegmatisque ſive phlogiſtici, ſive mucoſi, abundantia!

Sanguis frigidam in aquam ex brachio impetuoſe inſiliens, aquam lentius, pauloque aliter, tingit, quam qui in calidam: verum idem dat, quod ſupra, gelatum. Id porro eodem, quo prius, modo exploratum, eadem phænomena dedit.

De cruſta phlogiſtica in tranſitu nonnihil dictum, ſed curatius ea meretur examen.

Conſtitit 1. pleuriticas cruſtas aqua pura, aqua nitroſa, penitus diſſolvi.

2. Conſtitit, cruſtam haud ab ea generari materie, quæ a calente ſanguine evaporetur; aperto enim vaſe cruſtæ formantur.

3. Cruſta talis aliquando adeſt conſimilis coloris, duritiei, craſſitiei quolibet in vaſe.

4 Sæpe cruſta minor ad finem; ad finem non raro cruſta major.

5. Nonnunquam ſanguis initio febris acutæ, aut etiam topicæ inflammationis, miſſus, cruſta caret: habetque eandem aut in altera, aut in tertia, aut in quarta, venæ ſectione.

6. Imo

6. Imo in morbis maxime inflammatoriis, in nullo ſanguine, quotiescumque miſſo, aliquoties cruſta ulla eſt.

7. Haud inſolitum, ut etiam denſa adſit cruſta in quovis ſanguine, in quovis vasculo; quater, quinquies, vena licet tuſa.

8. Certiſſimis experimentis conſtitit, haud univerſaliter veram eſſe ſententiam, qua cruſta eo denſior credatur, quo major ſanguinis rapidiorque fluor, & contra. Vidimus haud infrequenter qui guttatim fluxiſſet, denſiorem dare cruſtam eo, qui rapidius.

9. Neque certior eſt regula ſtatuens magnitudinem cruſtæ gradatim minui, augerive. Pluries vidimus eandem denſam, duramque, in vasculo primo, nullam in altero, in tertio majorem, paucam in quarto, mucoſam in quinto. Uno verbo omnes poſſibiles cruſtarum transpoſitiones variis in ægris contemplati ſumus.

10. Quin ſæpius uno in vaſe ſanguinem rubrum, atque compactum, ſub denſa duraque cruſta reperimus, alio autem in vaſe penitus diſſolutum; idque eodem in morbo, in variis venæ aperturis vario modo, citra vel ullam regulam. Una vice primum, & ſecundum vas, denſam gerebat cruſtam, denſumque cruorem; in reliquis omnibus vel cruſtam ſemiphlogiſticam, ſemimucoſam, vel cruſtam mucoſam penitus, ſolutumque cruorem: eaque omnia ſine ulla lege aut ordine decreſcentia, vel augeſcentia. Alia vice primus ſanguis denſiſſimus, alter diſſolutiſſimus, tertius compactus, & ſic porro. Verbo dixerim, phænomena nullum ſæpe ordinem, nullam obſervant regulam. Imo viſi ſunt ægri, qui ad bonam criſin haud pervenirent, niſi primo diſſolutus omnino ſanguis de vena exiiſſet.

Et licet haud perpetuo, tamen non raro idem jactus, idem lumen, calor æqualis, omnia eadem. Nihilominus tanta varietas!

Quotiesne igitur perverſe de ſanguine craſſo, eodemve ſoluto, ratiocinamur, commentamur? Quam infeliciter ad hæc viſa attenuandi, aut incraſſandi, mutamus methodum! Eſt ſolutio putrida ſanguinis, plena diſcriminis, mortis ſæpe prænuntia. Eſt ſolutio quædam bona, & neceſſaria. Eſt ſanguinis ſolutio in vaſe ita apparens, dum mox ante, dum ilico poſtea, ſpiſſus ille, & phlogiſticus conſpicitur, dumque quævis morbi ſymptomata ſummam denuntiant humorum ſpiſſitudinem.

11. En adhuc aliud! ſanguis ex homine, continua putrida febre detento, omnibus ſignis cruditatis ad quartum usque diem conſpicuis, bis miſſus, hæc dedit phænomena: Utriusque ſectionis ſanguis in pluribus vaſis exceptus, cruſta quidem tectus fuit, verum eadem diſſimilique cruore, citra vel minimum diſſimilitudinis ordinem ratione vasculorum. Sumſi utriusque miſſionis ultimum vasculum, ad accuratius examen. Pellem ſupernam uno in vaſe cultello prudenter ſeparavi: ſeparata ea, mox medio prope placentæ loco deprenhendimus aquam limpidam, ſub eaque pelliculam aliam: hærente ſic ſero illo in ſacco, binis firmis pellibus conflato. Cum infima pelle uno in latere craſſa materies, flavaque, & coagulata, cohæret. Sub infima autem illa pellicula rubra invenitur materies; quæ propius examinata, nil niſi rubellum pulverem aquæ inhærentem exhibet. En ſummam ſolutionem tum ſeri a cruore, tum cruoris globulorum a ſe mutuo!

Limpidum id ex ſacco exceptum, in cochleari igni admotum, in ſciſſilem maſſam coivit, ſeri veram proinde indolem teſtatum.

Unicum modo vas ſecundæ ſectionis cruſtam veram phlogiſticam geſſit, denſamque eandem, & æquabilem; rubram inſulam pro more innatam ſero: cætera vaſcula ad denſum hunc, ſolutumve illum, propius, remotiusve, accedebant.

Pars diſſoluti ſanguinis, una cum pellicula & ſero, in vaſe vitreo commiſta, agitata ad modicum ignem, in maſſam abiit & rubram, & tenacem.

Vasculum vero illud, quod ſerum in ſacco gerere, & ſub inferiore pelle ſerum cum pulvere rubro habere ajebam, charta tegebatur, & in examen ſequentis diei reponebatur in menſa, quæ hinc feneſtram, illinc hypocauſtum moderate calidum, haberet. Hoc ipſum vas ſequenti mane ad examen revocatum, exhibuit nobis denſiſſimam, ad fundum vaſis usque, Cruſtam.

Cernimus itaque, quomodo diſſolutus ille ſanguis, cum ſero ac pelliculis ſuis, tepido loco, in cruſtam vere phlogiſticam mutatus fuerit: ſed phænomeni rationem me hucusque ignorare, ingenue fateor. Plura talia oportet obſervaſſe ac congeſſiſſe, antequam auſim quidquam ſuper his diſſerere.

Si quis hisce de cruſta obſervatis omnibus, addat factas obſervationes in ſanguine gravidarum, quæ, alioqui ſanæ, ſanguinem ſibi in prophylaxin mitti curant, inque ſanguine eorum, quibus ex diatheſi cruſta ſanguinem ſemper tegit; fatebitur cruſtæ hujus aliam longe, quam olim habuerat, ideam ſibi naſci. Atque hæc de cruſta ſatis.

Circa coloris in ſuperficie placentæ mutationes pauca dicenda ſunt. Sanguinem humanum qua parte aëra tangit, rubere, oppoſita nigreſcere; viceque verſa partem inferiorem nigreſcentem, ſi invertatur, iterum rubeſcere, rubeſcentemque nigreſcere, vulgo aſſerunt. Examina vero toties iterata, aliter ut loquar, me coëgerunt. Sanguis de vena effluens, exceptus lagena, ac ſubere, emplaſtroque deſuper, arctiſſime clauſus, ſequenti die in ſuperficie pulchre rubet; etiam ſub ſero, quod in graviore cruore inſulæ ſuperfluit: tertio die læta rubedo per pellucidum vas ſæpe conſpicitur ad medium penetrare cruorem: totum dein nigreſcit ſenſim, diſſolvitur, putreſcit.

Sanguis vaſculis exceptus, ſuperius rubens, ſi ſerum abjicitur, & inſula invertitur, ultra non rubet, ſed nigreſcit penitus. In graviore ſanguine, ſero ad tres lineas ſupra inſulam fluitante, ſuperficies ſanguinis tam amœne rutilabat, quam ea, quæ aër tangebat immediate. Perque pellucida vaſcula rubedo obſervatur non raro totum inſulæ ambitum cingere, ad majorem ejus partem, imo ad fundum usque. In genere id manifeſto patuit, quod inverſa inſula ſæpe ex nigra rubeſcat, ſæpe maneat nigra. Ergo nulla regula firma. Ergo ratiocinia inde deducta cadunt.

Viſurus quid varia ſanguini affuſa in eo generarent, menſe Aprili, ſano ſanguini, ad unc. x. miſſo, unico vaſe excepto, calenti quidem, ſed leviter coire inchoanti, adjeci uncias duas boni aceti vini; Alteri ſanguini ſimili, ſpiritum nitri acidi, ſive fortis; Tertio, ſpiritum ſalis acidum; Quarto, ſpiritum ſalis ammoniaci; Quinto, ſpiritum C. C. ſuccinatum.

Acetum nunquam vel leviter lacteſcens reddit ſerum, nec coagulat; ſpir. ſalis ammoniaci nonnihil ejus ſuperficiem lacteſcentem reddit, ſed non coagulat ſerum; reliqui ſpiritus in firmam maſſam ſerum ducunt: ſed hi tamen omnes quinque liquores mutant inſulam in maſſam tenacem, ſenſim ita indureſcentem, ut jam in pixide lignea, non picta, ſiccas illas maſſas, nigro carboni ſimiles, ultra ſeſquiannum ſervem. Aceti, & Spiritus C. C., odor omnium diutiſſime maſſulis inhæſit. Unde neque hinc in alcalinis antidotus peculiaris quærenda contra putredinem; nam & acida, & neutra, idem præſtant. Præſervant indurando has maſſas, & non peculiari contra putredinem dote.

Ex omnibus concludo 1. Neceſſitatem experimentorum iterandorum inevitabilem eſſe. Quum enim experimenta aliorum, ceu data, aſſumere conſueſcimus, iisque demum ſuperſtruere, addereque nova, pergimus; non infrequenter totum corruit, ſi vel minimum fue-

fuerit in prioribus erratum. Pluries, fateor, & experimentis me falſum eſſe, & falſa concluſiſſe: dumque eadem poſthac ſæpius repeterem, agnoviſſe errorem, didiciſſeque quanam in parte experimentum claudicaret.

2. Longe exiliorem noſtri vitalis laticis nos habere notitiam, quam vulgo credamus. Præſtare tamen ut vere dicamus, quid ſanguis non ſit; quam ut, quid ſit, falſo ſtatuamus.

3. Indefeſſis experimentis Naturam defatigandam eſſe, ut ſuis ſeſe de latebris prodat. Quem in finem ſequenti curſu Academico tum evidentiora proferendi, tum ex prolatis argumentandi, occaſio nulla negligetur.

CAPUT VII.

Quædam Anatomica.

Præmittam ea, quæ cum mox prægreſſis quodammodo connectuntur. 1°. Homo 47. annorum in *Paraphrenitide* prorſum neglectus, quarto demum morbi die ad nos affertur. Quia omni artis ope caruerat, omniaque in morbo penitus cruda erant, ter eodem die miſſus ipſi ſanguis fuit, ſemper, ubique, phlogiſticus. Balnea, fomenta enemata, potuſque diluentes, attenuantes, ſaponacei, profuere nihil. Acceſſit pro more riſus Sardonicus, & quinto die mors.

Diaphragma univerſum, maxime prope ejus capita, tum inflammatum fuit, tum hinc inde gangrænoſum. Flava, craſſa, tenax materies, Pulmones affigebat ad membranam, quæ Coſtas, & Diaphragma, & Pericardium, ambit. Solventes hanc materiem, deprehendimus eam, ut ovum ovo, ſimilem eſſe colore, ac tenacitate, ſanguini phlogiſtico, cruſtam ſuam formare inchoanti.

 2. Com-

2. Comparaveram mihi cadaver ſeptennis puellæ, ſeptimo *Pleuritidis* die extinctæ, cui, ut Cap. II. monui, Empiricus in morbi principio dederat Emeticum, dein pulverem pleuriticum, &c. Ut in priori caſu, ita & hic, cruſta flava, priore denſior, affigebat adeo Pulmonem ad Pleuram, Jugulum, Diaphragma, Pericardium, ut ne unica quidem plaga libera ſupereſſet. Plura talia vidi in cadaveribus. Exempla apud *Hildanum* Cent. 2. Obſ. 27. apud *Bonetum*, in ſepulcr. Tom. I. pag. 603. 624. 626. apud *Heurnium* de morb. pect. Cap. 6. eadem innuere videntur.

Nunquid hæc cruſta eſt tranſſudans, lethalibus in anguſtiis, phlogiſtica ſanguinis materies, per relaxata ultima vaſculorum exhalantium oſcula, e quibus, vigente ſanitate, ros exhalat? Quod alioqui, ſecundis ægri rebus, forma ſputorum prodit? Quale quid etiam in Gravedine mucoſa narium fauciumque membrana exhibet?

An hæc eadem illa materies, quæ citra vel minimam Pulmonis aut inflammationem aut vomicam, ſputi purulenti inſtar excernitur; vel integro pulmone ceſſans, vel Hectica diſpoſitione inducta hominem demum necans? An ideo intelligitur cur horum hominum, qui tanta in vita ſputaverant, pulmo reperiatur a morte integer? *Chriſtophori Benneti Theatrum ac Veſtibulum Tabidorum* ſic intelligeretur.

Ejuſmodi corpora olim luſtrans, reperi aliquoties idem quod *Bennetus*. Etiam caſus ejuſmodi hoc in Noſocomio Auditoribus demonſtravi.

3. Meminere namque illi, miſerrimam me fœminam huc induxiſſe, ut in ſuo ineluctabili fato, quod ſumma, qua erat, inopia, calamitate creſceret, hic blandius foveretur, & miro ſui ſpectaculo nobis ſaltem a morte prodeſſet. Præter inſuperabilem valetudinem, de qua poſtea, Phthiſi pulmonali tanta laborabat, ut ſimilem ſpatio 22. annorum non viderim, quæ

ſpu-

ſputa flava, ſubviridia, craſſa, magna, aquæ ſalſæ ilico petentia fundum, copioſius ejiceret. Menſis ſpatio apud nos degens, die noctuque, in mortem usque, ſputare perrexit. Conſumtos fere Pulmones ſuſpicatus, quale quid etiam in cadaveribus obſervaveram, demonſtravi Auditoribus Pulmonem quidem, ſiniſtro Thoracis in cavo Pericardio adhærentem, Pleuræque, verum, ea cohæſione ſeparata, pulmones totos non collabentes, ſed veluti fungoſos; &, quomodocumque examinarentur ac tranſſcinderentur, ne vel guttulam puris, vel vomicarum vel veſtigia, exhibentes.

4. *Hydropicum* ad nos duxerunt ut illum curaremus Paracenteſi. Quum præter Hydropem, etiam ſputorum qualitate ac quantitate, a longo die videretur Phthiſicus, ac plane Hecticus eſſe, Paracenteſin negavi tuto poſſe fieri. Quin & quarto ab illinc die efflavit animam. In Pulmonibus ad minima fruſtula examinatis, ne vel minima quidem aut Vomicæ, aut Puris veſtigia cernere licuit. In inciſa Trachæa modo quid puris repertum, quemadmodum & in fœmina N. 3. deſcripta.

Itaque Phthiſeos pulmonalis ita dictæ, aut ſaltem ita nobis adparentis, datur origo duplex. An hanc ob cauſam vulgo ajunt Pulmonem, quantumvis conſumtum, omnino recreſcere? Eoquod viderint eundem eorum in cadaveribus integrum & illæſum, qui quondam vera Phthiſi laborare viſi, poſtmodum ſani vixiſſent, vegetique?

Quum Pleuritis, Peripneumonia, Paraphrenitis, imo aliquando Febris Ardens, per ſputa evacuent ſeſe; prætereaque in *Puogenia* multa explicatu difficillima occurrant, operæ pretium foret maturo examine originem puris in genere, ſecundum hujusmodi obſervata, perpendere. Nam latet in eo quidquam non erutum ſatis, non ſatis explicatum. Plurimis experimentis &

ob-

obſervatis indigeo antequam auſim quid certi ſtatuere. Sed hiſce ſuffultus, audebo deinceps *Diſſertationis de pure* periculum experiri.

5. *Uteri, Vaginæve prolapſus*, ut difficulter dijudicandos apud probatos Autores, ita & propria experientia didicimus. Varia exempla ſe nobis obtulere; unum, quod maxime evincat, enarrabo.

Fæmina 35. annos nata, narravit nobis hanc ſui hiſtoriam. Annis abhinc ferme 17. gravem ſarcinam humeris geſtans, & in glaciem prolapſa, elabi ſibi quidquam percepit ad pudenda. Id quod nunc deterius, nunc melius, demum alio ſimili lapſu, quarto deinde anno contingente, peſſime crevit: ita quidem ut duo diverſa corpora extra vaginam propendentia experiretur; durum alterum ovo columbino magnitudine par, alterum & mollius, & mole minus: una cum ingenti dolore ac murmure ab umbilico deorſum tendente, & in ipſo corpore majore propendente percepto. Chirurgus triduo partes emolliens, eaſdem intropreſſit; retropreſſas vero bona ligatura, aut fotu, fumoque roborante, firmare neglexit. Unde per integros quatuor annos continuo prolabebantur, ac mole augeſcebant. Eratque majoris corporis in faſtigio foramen, os uterinum æmulans, ac menſes debito tempore dimittens. Urina juxta hoc corpus effluebat, ſub illo corpore minore anteriore.

Poſtmodum inſolitum quid circa vaginam anteriorem adparuit, origine clitoride altius, iſchuriam faciens. Sequitur inflammatio dolentiſſima, & puris dein effluxus. Urina retenta tunc vi proſiliit, una cum calculo, piſum magnitudine æquante. Seſquialtero deinceps anno, poſt enormes cruciatus alterum calculum, eodem loco fixum, eduxit digitis ipſa ſuis.

At vero hunc ultimum calculum mox ſequebatur parvus ruber tumor, ceu veſica eſſet, quæ quieſcente illa atque calente, mollis erat; frigeſcente autem ea, vel mo-

movente ſe, indureſcebat. Dum hæc veluti veſica collapſa erat, urinam animadvertit effluere ſibi; ſi vero tumidior illa, ac durior erat, urinam non niſi guttatim extillare. Malorum cumulo acceſſit Inteſtini Recti prolapſus.

Hæc ipſa referente, & iterato confirmante. Examinavimus omni cum cura utrumque hunc de vulva propendentem tumorem, ſæpiusque inſtituto examine, definire certi quidquam non potuimus. Invenimus ut illa retulerat, duo corpora elapſa vulvæ: alterum magnum craſſum durum cujus longitudinis diameter trium, latitudinis duorum cum dimidio pollicum eſſet; alterum minus, molle, aliquando collapſum, prope, & ut barbare dicam, immediate, ad anteriora pudendorum ſitum, hærensque in ſinu, qui in corpore majore excavatus eſſet, vix pollicis diametrum habens. Ex illo ſinu poſt hoc corpus minus, effluebat urina. Aderatque, ut ſupra monui, in ſummitate ejus veluti os quoddam oblongius, quo menſes ſemper effluxiſſe fœmina obſervaverat. Hæc eadem illa, quam N. 3. dixi enormem illam puris expuiſſe copiam. Summi laboris fuit partes a Gangræna præſervare. Noſocomii per menſem incola moritur.

In cadavere ventriculus mole ingens, ad umbilicum usque deſcendit, indeque reaſſurgens Pylorum formavit. Cæci ſaccus ferme in pelvi. Inteſtina tenuia examinantium digitum ducebant, continuatione ſua, in corpus iſtud magnum, propendens de pudendis; quod burſæ inſtar inteſtinorum tenuium portionem, prætereaque rubellam aquam, continebat.

Ligamenta falſo dicta rotunda, Ovaria, Tubæ, Fimbriæ, Uterus, loco erant ſuo. Veſica Urinaria deſiderabatur. Digitus ſecundum interiora ſynchondroſeos oſſium pubis ducebatur in cavum extra corpus, quod ipſum illud, quod antea corpus prolapſum minus vocabamus. Peritonæum a pondere ſuperincumbentium,

duos

duos in ſaccos formabatur, quorum alter internam ſuperficiem corporis majoris, alter minoris, ſuccinxit. In eodem corpore majore, a parte exteriore, eademque anteriore, ac ſuperiore, cavitas erat, quæ corpus minus, ceu ſinu quodam, apte exciperet. Ureteres utrinque ſemidigiti amplitudinem habentes, injecto lacte viſi ſunt in infima illa cavitate, ſive ſinu, ſub corpore minore, exire. In pelvi ſi quis peritonæum furſum traheret, corpus quidem minus illud in pelvim trahebat, ſed minime locum quo ureteres exire, effluente lacte, animadverſi fuerant.

Ex omnibus patuit violenta, eaque repetita extenſione, ac veluti dilaceratione partium, prolapſum, non uteri, ut patuit, ſed vaginæ, natum eſſe. Conſtat ex enarratis, cum fœmina ſecundo prolaberetur, dolorem ingentem, validumque, ac veluti dilacerantem ſtrepitum, indicaſſe: quod vagina a ſua cum vicinis, & potiſſimum cum Recto inteſtino, adhæſione divelleretur; unde & inteſtini ejusdem ſequens poſthac prolapſus facile intelligitur. Ex obſervatis in cadavere liquet non Veſicæ, ſed Renibus, calculoſam diatheſin adſcribendam eſſe; quum ex Rene tres adhuc calculos exemerimus: tamen violentam ultimi calculi eductionem effeciſſe, ut veſicæ, ejusdemque inverſæ, prolapſus integer fieret. Compreſſione veſicæ prolapſæ, urinæque poſt illam acrimonia, natum eſſe ſinum in prolapſa vagina. Veſicæ prolapſæ inverſæ partem produxiſſe id, quod vocavimus corpus minus; portionem vero ejus majorem complicatam hæſiſſe in præmemorato ſinu corporis majoris, ut exeuntibus ibidem ureterum extremitatibus conſtitit.

Erat igitur 1. Hernia inteſtinalis, incumbens in prolapſam vaginam. 2do. Prolapſus veſicæ urinariæ, inverſæ, maximam partem collapſæ, portione parva tumentis. 3tio. Prolapſus Inteſtini recti.

Attamen figura prolapſi corporis rotundior, & levi-

viter acuminata, & oris formam gerens, perque illud catamenia dimittens, prolapſum uterum perfecte mentiebatur: quale quid & in aliis pudendorum prolapſibus obſervavimus.

Quum nunc ejusmodi caſus centies occurrant Practicis, & ſæpe lites natæ, Uterine, an vaginæ prolapſus ſint? non niſi, morte judice, dirimantur; præſtiterit nulla bella medica fovere, ſed ſuam cuique ſententiam integram relinquere, ſuſpendereque ſuam.

6. Notabilia aliquot ac plane horrenda exempla habuimus *Neglectæ Inflammationis Lumborum, Crurum, Coxarum:* quam aut Arthritidem, aut Rheumaticam Lumbaginem, Artifices ſalutarant: Dum pure exeſi animam propemodum agerent, ſuſcepimus illos, conſpeximusque in cadaveribus oſſa femoris, vertebrasque lumborum ab acri pure corruptas & carioſas: imo pus ſibi viam pandiſſe a femore, per foramen ovale ſecundum arteriam, venamque, ac nervum, ibidem reperiundum; pelvim impleviſſe; eroſiſſe carnes ſecundum lumborum vertebras; & ſupra muſculos dorſi, ſcapulasque, puris ingentia formaſſe pulvinaria. Unde neglectu diſtinctionis cauſarum, in harum partium affectibus, nihil calamitoſius.

7. *Suſceptionis Inteſtinorum* caſum quoque adferam. Puella 10. vel 11. annorum perpetua Cephalæa laborans, vermium quoque in Inteſtinis latentium ſigna habuit. Purgantia & Antihelmintica optimus Medicus dederat, quæ alvum ſolverunt quidem, ſed, uti nec cætera Artis auxilia, profuerunt. Expiravit.

In Cranio Polypus inventus eſt, occupans ſinum falciformem, quæque in illum ex Encephalo ſanguinem revehant, venas. Ceciderat nempe miſella quadriennis facie in lapidem, eoque ex caſu naſum frontemque complanatam geſſit. Hinc Cephalæa, Polypus.

In Inteſtino illo duæ erant ſuſceptiones, quarum quam maxume notanda prior. Pars ſuperior ſuſcipieba-

batur ab inferiore; ſuſcipiens autem portio & tumidior, & inæqualiter dura erat. Perſciſſa ea ac reclinata, ſuſcepta portio ſemidigitum longa adparuit, ſed cincta contortaque a quinque lumbricis teretibus. His lumbricis devolutis, portio ſuſcepta veluti ſtrias, a conſtringentibus vermibus inſculptas, exhibuit; corrugataque vehementer, videbatur multo longius extendenda, niſi in academicas demonſtrationes eam ita ſervare animus fuiſſet. Vermes pollices 4. 5. longi erant.

Mira ſane & portenti quid habens difformitas eſt, quum eruditiſſimus Medicus, *Leopoldus Erndl*, qui puellæ curæ ultimo tempore præfuit, mihique hæc inteſtina poſſidendi copiam fecit, Puellam ad finem usque Ilei ſymptomatibus immunem, alvoque gaudentem, invenerit. Videntur Inteſtinis convulſiones ſub mortem adfuiſſe, indeque natæ ſuſceptiones: vermes dein ſe circum hanc ſuſceptam partem circumvolviſſe.

8. Ex variis, quæ in *Calculoſis* obſervavimus, unum ſeligam. Adoleſcens undecim annorum, a prima infantia calculi ſymptomata paſſus, ad nos adfertur. Intra paucos dies cum acerbis doloribus, iſchuria, teneſmo, ac tandem apoplectico ſomno, convulſionibusque, moritur.

In Cadavere ventriculus tum inflammatus ita, ut hinc inde inciperet gangræneſcere, tum etiam vehementer expanſus. Proceſſus vermicularis cum Funiculo ſpermatico dextro firmiter concretus, accretus dein tum Inteſtino Recto anteriori, tum Veſicæ poſticæ. Rectum erat & cum proceſſu vermiculari, & cum veſica poſtica, unitum. Ureter ſiniſter unitus cum ſui lateris arteria Iliaca. Veſicam inter Rectumque ſaccus cavus, gangrænoſus, nigro muco plenus repertus eſt. In eumque foramen patuit ex veſica urinaria: quin ipſum Rectum foramine pertuſum, quod

par-

parvum quidem rotundumque erat, ac remotum ab eo quod in veſica, & in recti cavum patulum. Omnia ad anum maxime inflammata. Renes monſtroſæ magnitudinis ambo, at calculorum expertes: Pelves enormes duos pollices, Papillæ ſingulæ pollicem & ultra, digitum Ureteres, capiebant. Erantque hi ultimi & loco pulſi, & inteſtinorum more convoluti, & robuſta membrana celluloſa circumquaque accreti & concreti; figura convoluta diſcrepantes, in veſicam more ſolito patuli. Veſica vero tres lineas craſſa parte poſtica perforata, calculum oblongum, aſperum, ponderis binarum fere unciarum, arctiſſime comprehendebat.

Iſchuria ſpuria adoleſcentem e medio ſuſtulit. A longo tamen tempore hæc in Renibus, & Ureteribus, diſpoſitio nata videtur; Dyſuria, ac Stranguria fere perpetuis, id demonſtrantibus. Ad ultimum tamen quum ſenſim parcior urina prodiit, ureteres, pelvis, papillæque, ita videntur ab urina extenſæ fuiſſe, ut fiſtulæ Bellinianæ penitus comprimerentur: utque compreſſi hi urinam ultra a ſanguine non exciperent. Hinc ſanguis manſit ſuo oneratus acri, & communibus Iſchuria ſymptomatibus extinxit puerum.

An forſitan veſicam explorans catheter tum veſicam perforavit, tum Rectum?

Vix videtur: 1°. quia catheter obtuſus. 2do. Quia immobilis hæſit, vertendi ſe impos. 3tio. Quia & tres lineas craſſa Veſica erat, & ſimul dura. 4to. Quia Veſicæ foramen non reſpondebat ei, quod in Recto.

Quare mirari ſubit undenam hæc foramina? Calculus enim non habuit ibi loci, qua efficeret id, ſcabritiem. Forſan calculus olim horizontali circiter ſitu a Veſica comprehenſus, uno extremo ſuo paulo acuminatiore, raſit, perforavitque illam. Foramen in Recto forte a materiæ, quæ inventa in ſacco, acrimonia: & quia jam guttulæ acerrimæ urinæ ex veſica in ſaccum, atque ex ſacco in Rectum fluere poterant, ortos

D hinc

hinc teneſmos eſſe, podicisque inflammationem, probabile admodum.

Patuit hinc 1. contractiſſima in veſica calculum difficulter indagari, cathetere immobili reddito. Vidi id evidenter in alio puero calculoſo, quem experti viri cathetere explorantes, calculi præſentiam mihi negarent. Eadem nocte infans convulſus moritur. Die poſtera Chirurgus attulit mihi Veſicam, ita ad incluſum calculum corrugatam, ut vacuum nullum ſupereſſet. *Tulpius* Lib. 3. Cap. 6. ſimile quidem quid habet; ſed unciam urinæ propemodum illa veſica capiebat, hæ ambæ nihil.

2. Lithotomiam hiſce in caſibus vel impoſſibilem eſſe, vel inutilem. Impoſſibilem quidem, quando artifex in veſicam inducere ſua nequit inſtrumenta: inutilem vero, quia Renum illa, ureterumque, & veſicæ degeneratio, educto quamvis calculo, vix quid ſperandum relinquit. Præterquam quod parva illa veſica, longitudine tota fere perſciſſa, ob ſuam & craſſitiem, & duritiem, ægerrime coalitura videtur.

3. Catheterem cum difficultate in veſicam inductum, prudentiſſime verti oportere, & ſimulac reſiſtentia notabilis deprehenditur, re infecta, eximi: vi enim illata poſſe veſicam lædi. Verum iterato tertioque eſſe repetendum tentamen, ut pateſcat utrum catheteris immobilitas vitio proprio, perennique veſicæ, an vero ſpasmodicæ ejus contractioni, debeatur? ſolent quippe viſcera cava nos ſæpe ludere; inter multa exempla eo, quod *La Motte* habet, id demonſtrante. Deſperatam parturientem ipſe cum alio Chirurgo derelicturus, ac re infecta abiturus, ultimum adhuc parturientis tentamen inſtituit. Inveniunt ambo conſtrictiſſimum eo usque uterum nunc adeo laxum, ut felicem partum intra ſemihoram expediant.

CAPUT VIII.

De Vi Electrica.

A Menſe Decembri 1755. ad Septembrim 1756. *viginti quatuor homines* ad *Machinam Electricam* noſtram adhibiti ſunt.

I. Vir 50. annum agens, latus ſiniſtrum paralyticus factus, Menſe Aprili anni 1755. ad nos æſtate media 1756. adductus eſt. Remedia interna ex claſſe Neuroticorum Roborantiumque petita, interpolata purgantibus, varii generis frictiones, cucurbitæ alternis diebus numeroſæ adplicatæ, rem equidem in melius verterant, non percuraverant. Ad machinam denique intra 7. ſeptimanarum ſpatium convaluit integre.

2. Homo 39. annorum, poſt Arthritidem Paralyſi ſiniſtri lateris cum dolore affectus, ſummo cum affectarum partium marasmo, vi medicamentorum ingenti uſus erat, balneoque Badenſi, ad 34. vices, citra vel minimum levamen. Bimeſtri ſpatio ad machinam electricam ſanitati integræ reſtitutus eſt, crure tamen adhuc ſubclaudicante; verum ob id pauculum ultra ad machinam redire recuſavit.

3. Fæmina 48. annorum, ab octo retro annis ex puerperio, in quo illam vehemens terror de occiſo marito invaſerat; primo pedibus reſoluta; dein pedibus reſtitutis, utroque brachio paralytico, lividoque eodem, & frigido, & inſenſili pene, laboravit. Trium menſium ſpatio ad machinam adplicata, brachia calida, agilia quamvis in partem, digitosque mobiles, habuit. Sed necdum penitus vis reſtituta digitis firmius aliquid tenendi. In ſumma id obtinendi ſpe neglexit redire.

4. Puella 14. annos nata, tribus elapſis abhinc annis, achoribus, aut favis, in capite laborans, externo quopiam curatur unguento. Mox colli induruere glandulæ, iisque reſtitutis tumor ſub mento ingens comparuit, quem Agyrta diſpulit aurea ſua dicta aqua; paucis-

que poſtea diebus toto ſiniſtro latere facta paralytica eſt. Per menſes $3\frac{1}{2}$ ad machinam electricam penitus convaluit, ſolis manus digitis necdum alacrius ſe moventibus: quod pauculum labore huc redeundi indignum cenſuit.

Notandum hic ſub ipſa machinæ operatione Achoras rediiſſe: hiſce igitur regreſſis, an vi electricæ, cura adſcribenda?

Utrique; ſed vi Electricæ magis: Levamen quippe ingens, vel ante regreſſos Achoras, percepit.

5. Novem annorum puellam, cui poſt Variolas, Morbilloſque, primo tuſſis frequens, deinde ſputum purulentum aderat, ſputumque demum plane ceſſabat; Chorea *S. Viti* prehendit, ſiniſtro potiſſimum brachio, pedeque, ac diverſimoda faciei convulſio. Bimeſtri ſpatio adhibita vi electrica, puſtulæ copioſæ, eæque turpiter cruſtoſæ, brachium & crus cingunt. Interpolatis purgantibus perfecta ſalus redivit.

6. Puella nata 13. annos adverſus eandem, ſed graviorem, Choream *S. Viti*, a ſeptem retro menſibus, varia, eaque optima, auxilia artis, incaſſum adhibet. Ad machinam noſtram ſesquimenſis ſpatio integre curatur; nonnullam in membris gravitatem aliquoties experta: quam flocci faciens non rediit.

7. Vir quem alebat ſcribundi peritia, a binis retro annis, poſt Arthritidem vagam, fiebat paralyticus; ita ut ægerrime pedibus uteretur, ultraque calamum ducere non poſſet, & infantis inſtar eſſet alendus. Sesquimenſis ſpatio ad machinam ita convaluit, ut & bene ambulare, & victum iterum ſibi calamo comparare, ſcriba potuerit.

8. Puellæ 14. annorum, ignota de cauſa ſiniſtra manus ingraveſcit, tumeſcit, liveſcit, digitique firmiter in pugnum contrahuntur, & lævum pedem *S. Viti* chorea invadit. Per menſem ad Machinam integre propemodum curata, non rediit.

9. Pu-

9. Puella nata 12. annos, cauſa latente parentes, incœpit balbutire, oculos vagabunde horrendeque verſare, continuo agitare labia, terrificos motus faciei muſculis exercere, nunc exerere linguam, nunc eandem intra os convolvere, cæterum *Choream S. Viti* artubus perfecte æmulari; Dæmone obſeſſa, his de cauſis, credita. Cautelis primo adhibitis, quæ, num ſubdola fucum parentibus faceret? manifeſtarent, ad machinam adhibebatur. Spatio ſeptem ſeptimanarum tam perfecte curata eſt, quam quæ perfectiſſime.

10. In morbo pectoris fœmina 23. annorum, alio in Noſocomio degens, tremore totius corporis affecta eſt. Datis remediis manus minus, pedes ſemper peſſime tremuerunt. Intra 16. dies omnis ille tremor ad machinam noſtram perfectiſſime eſt curatus.

Sex fuere homines, qui ad virtutem electricam ab initio quidquam lucrarentur, ſed poſtmodum (vel quod tardius emendarentur, vel quod cum invidia expeditiorem aliorum ſalutem contuerentur, vel quod ſui plane negligentes eſſent, quale ineptorum hominum genus ubique reperire eſt) ſolito rarius, demum vix, tandem non ultra, ad nos acceſſerint.

Tres fuere, qui perfecta amauroſi laborantes, etiam experiundi gratia ad machinam adhiberentur. Oculis omnes doluere. Per aliquot dies abſiſterent, tumque redirent, hortatus ſum. Verum aut doloris forte pertœſi, aut aſſueti miſeriis, non redierunt.

Fuerunt unus alterve, qui initio nonnihil, deinceps nihil omnino a paralyſi emendarentur. Quippe videntur in his canales minimi ita & concreti, ut eosdem vis Electrica ultra pervios efficere non poſſit; interea dum quosdam, minus coalitos, uſui reſtituat.

Quidam adhuc adſunt, quorum alii lucrantur, aliorum necdum determinare ſortem licet. Surdus a tenera infantia juvenis trium menſium ſpatio nihil adhuc lucratur; verum cum Lipſienſes Eruditi curam ejus-

modi poſt 7. menſium labores peractam narrent, pergimus.

Problema hisce ſubjungere liceat. Si Paralyſis, vel Chorea *S. Viti*, omnes haud afficit artus, verum alterutrum modo brachium aut crus; cur lævam potius, quam dextram corporis partem, occupet? In recenſitis decem caſibus, unicus modo dextri eſt lateris; in cæteris, hic non recenſitis, plerique omnes ſiniſtrum latus ſunt reſoluti. Dumque adnotata mea practica revolvo, videor dudum idem obſervaſſe. Facileque crediderim, ſi annoſior quisque Medicus præterita ſua ſive ex ſcriptis, ſive ex memoria, refricet; rem quoque eandem illum deprehenſurum eſſe. Quid cauſæ horum?

CAPUT IX.

De Variis.

Circa *Lithiaſin* varia experimenta edimus aqua calcis, vario modo, ſolaque, vel & cum additis, adhibita; uva urſina; &c. Eoque alacrius, ac fidentius, hæc experimenta proſequimur, quod calculus humanus, binarum ferme unciarum pondere, in aqua calcis ſæpiſſime renovata, trium menſium ſpatio a me poſitus, potiore ſui parte penitus friabilis eſt factus: argumento quod calculus humanus, eo eſt in liquore diſſolubilis, qui ab homine copioſus cum fidentia bibatur. Eſt & Endemium malum in *Auſtria*, *Styria*, *Croatia*, *Tiroli*, &c. ut Glandula Thymus, Parotides, cæteræque in collo, tumoribus infeſtentur maximis, & duriſſimis, & pertinacibus, & non raro malignis. Horum in curam varia tentamus, videmurque profuturi, etiam in pertinaciſſimis, quæ diu varia artis molimina eluſiſſent. Verum a paucioribus experimentis

nec-

necdum concludimus firmi quidquam: pluribus vero, iisdemque certiſſimis, deinde gaviſi ſi fuerimus, ea cum publico communicaturi erimus.

Mercurii ſublimati cum ſpiritu frumenti uſum, quem ab Illustrissimo Præside, *una cum pluribus aliis egregiis remediis*, didici, audax laudare ac commendare auſim in Lue Venerea, in deſperatiſſimis hujus tyrannici morbi reliquiis, ad Oculos, ad Veſicam, ad Urethram, ad Fauces, &, ſpecie Arthritidis, aut Immobilitatis, ad Articulos. Imo ejusdem remedii diuturnus uſus penitus in pluribus percuravit corneam, quæ poſt diras, diuturnasque, inflammationes, ex cauſa venerea, citrave eandem, opaca facta, nullis aliis remediis ceſſerat: cum hoc ſpiritu de nocte ſaltem, ſi de die fieri id non poſſet, impoſitis oculo ſacculis, cum floribus discutientibus, vino incoctis.

Sunt plura alia, quæ certis in caſibus exploramus, quarum rationem, cum nil niſi in commune bonum facimus, poſthac reddituri ſumus.

Unicum modo eſt, quod minime reticeam. *Fumus Tabaci* in Ileo, in Hernia incarcerata, ſummas in arte meretur laudes: verum quibus inſtrumentis in inteſtina impellatur, ea necdum penitus ſatisfaciunt. Jam bina poſſidemus inſtrumenta, quorum alterum follis fabrilis formam habeat, alterum communis ad clysma ſyphonis. Hoc ultimum præſtantiſſimum eſt, quod Illustrissimus Præses, cum optimo Phyſico, aptoque ad omnia Mechanico, reverendo *Abbate Maſſie*, excogitavit. Utrumque ſuppeditat uno momento copiam fumi incredibilem, eundemque vi ingenti in inteſtina projicit. Curam habebo ut plura ejusmodi conficiantur, ne Medici ac Chirurgi tanto invento careant: Fœminam annoſam, ut & juvenem, utrosque ab incarcerata Hernia, adverſus omnia rebelli, pene enectos, hoc noſtrum inſtrumentum mortis faucibus eripuit, intraque pauca minuta reſtituit ſanitati.

Inſitionis variolarum effectus alia occaſione communicare potero.

De *Colica Pictonum* hic quoque nonnulla obſervata communicanda forent; ſed hanc ipſam duodecim ab hinc annis peculiari diſſertatione aggreſſus, nunc iteratis plurimis experimentis & obſervationibus, tractatu elaboratiore, deſcribere conabor, in quo ſane & multa mutentur, addanturque plura, neceſſe eſt. Interim id præfari auſim, hoc diro in morbo olei, pinguiumque, nunquam pœnitendum uſum eſſe. Manifeſto exemplo id didici in fodinis Ducatus *Styriæ*. Quod Paralyſis, & Colica dicta *Pictavienſis*, magnam foſſorum vim quotannis ſternat, ſuo ingenti cum damno experti ſunt Domini Fodinarum. Id quod minime miratus fui, fodinas Plumbi, Arſenici, Argentique, usque in abditiſſimos earundem receſſus, perſcrutatus. Domina Fodinæ, mihi de foſſorum morbis, ac de Colica potiſſimum ſciſcitanti, regeſſit, ſe hanc a triennio penitus ignorare, ex quo Empiricus ſibi id conſilii dediſſet, ut Foſſores *prima luce, ſuos auſpicaturi labores, Lardum cum atro pane præſumerent*. Acceſſit qui horum hominum curæ duodecim ab annis præfuerat, doctiſſimus Græcii Medicus *Menſurati*, hæc omnia amplo ſermone confirmans.

Profecto quandoquidem venena multa ac contagia, deglutiendo potius, quam inſpirando, nobiscum communicantur, ſicque primas vias primo infeſtant; jentaculum tale, difficulter digerendum, inviſcandis venenatis particulis eſt aptiſſimum; Prandiumque, quod ex lardo, aut pingui carne bubula, ipſis quotidie adornatur, eundem ipſis effectum pomeridiano tempore præſtat. Unde quid epotum ſæpius oleum, & frequentiſſima enemata ex oleo parata, in Colica *Pictonum* efficiant, vix niſi expertus crediderit. Eſtque olei, butyri, pinguisque juris, cum multo pane uſus, optima Prophylaxis opificibus illis, qui metallis præparan-

parandis, miſcendis, adplicandis, victum quæritent: ita ut nunquam vacuo cum ventriculo, ſed munito ſimilibus, ſuis ſeſe accingant laboribus.

Verum, ne longus ſim, manum de tabula. Enarraturus enim alioquin operationes Chirurgicas varias, interque easdem tum graves, tum fortunatas, quas noſtro in Noſocomio perfecerint, Clariſſ. Vir *Joſephus Jaus*, Augustissimæ Chirurgus, ac Chirurgiæ in hac Alma Univerſitate Profeſſor; Doctiſſimus *Palluci* Augustissimi Imperatoris Chirurgus; tum & expertus *Leber*, Noſocomii civici Chirurgus dexterrimus; has, inquam, enarraturus, Hiſtoriæ Noſocomii, quam brevem eſſe deceat, limites tranſilirem: quamobrem, hoc ſaltem tempore, hisce enarrandis ſuperſedebo.

CAPUT X.

De Methodi Hippocraticæ, Sydenhamianæ, ac Boerhaavianæ præſtantia.

Ad hanc theſin probandam unice dicam ea, quæ in prima *Ratione medendi*, Cap. 1. 2. 3. 4. 5. adtulerim ultimo nunc elapſo anno academico invictis confirmata exemplis eſſe; neque ullo argumento huc usque conſtitiſſe, quod *Hippocratica* doctrina aut fefellerit quemquam, aut in errorem duxerit. Adplicatione enim regularum hujus Medicinæ Parentis, tam dubiam, quam certam, ſive ſalutem, ſive perniciem, ſive morbi unius in alium mutationem, audacter quis prædixerit. Morborum quoque ſeu curatione, ſeu levamine, additis ad *Hippocratica* iis, quæ ſerior ætas, ad ſublevandas humanas calamitates, ſapienter excogitavit, frequentiſſime, ſummo nobis opitulante DEO, abundeque, lætati fuimus.

Quin etiam hanc ipſam *Hippocraticæ* doctrinæ præſtantiam variis exploraturi modis, de induſtria homines ejusmodi nobis in morbis acutis comparavimus, qui aut ſine ullo, aut cum præpoſtero, auxilio, jam 6. 8. 10. 12. morbi diem numerarent. Manuducente autem *Hippocrate* regulas diagnoſticas, prognoſticas, therapeuticas, hic æque certas invenimus, æque veras deprehendimus, effectu æque confirmatas contemplati ſumus, quam ſi iisdemmet morborum principiis admoti fuiſſemus.

Tandem in pertractandis malignis, quos vocant, morbis, *Hippocratem*, *Sydenhamum*, *Boerhaavium*, ejusque *Illuſtriſſimum Commentatorem*, Duces in Arte ſequuti, confirmata læti conſpeximus, quæ ſuper iisdem, ſuperiore anno, in *Ratione Medendi* animadverſa, geſtaque fuerant. Imo ex iisdem principiis ultra progredi auſi fuimus. Acutas quippe & putridas febres cernere licuit, quas a principio comitarentur, inque progreſſu non relinquerent, ſive haud ſedandi vomitus, ſive dyſenteria pertinax, ſive uterque ſimul junctus affectus. Quæ equidem aliis in locis purgantia, & emetica, nedum ſedaſſent, at irritaſſent potius: ita ut hæ febres occiderent complures. Hos autem, favente DEO, ſic brevi percuravimus, ut ſi magnum pulſum valida febris concomitabatur, vena tunderetur; impetus naturæ ferocior opio compeſceretur; tum ſequenti methodo ſubtile acre involveretur, nudaque, villoſa dicta, ventriculi ac inteſtinorum membrana inveſtiretur, muniretur que; nempe oleo lini, cum tantillo opii hauſto; enematibus meri olei lini tepide injectis; decoctis largis totius Althææ, Malvæ, Parietariæ, Mercurialis, citra ſal, citra mel, exhibitis; tum denique emollientibus ſive fomentis, ſive cataplasmatibus, ventri univerſo, epigaſtrioque, admotis. Horum nimirum ope compeſcebantur ſymptomata, & vel febris ſponte miteſcebat, vel facilem ſui curam admittebat. Igi-

Igitur cari mei Auditores ea occaſione mecum animadverterunt 1mo. Emetica tunc pulcerrimas edere curas, quando putrida bilis, ſuis ſignis conſpicua, hos tumultus crearet: expellere namque illa tum ſurſum, tum etiam paſſim deorſum, morbi cauſam; datisque deinde mox paregoricis, reliquum morbum & tranquillius tolerari, & curari facilius: eandemque ob cauſam & purgantia auxiliari.

Didicere 2do. eadem ipſiſſima haud raro dari in morbis ſymptomata, cum ſtimulus vix perceptibilis, vix definiendus, (cujusmodi v. g. venenum varioloſum eſt) in ventriculo hærens, aſſidua irritatione evacuationes producat, hærentis non modo in ventriculo, & inteſtinis, materiæ, ſed etiam copioſi illius, qui internos horum viscerum parietes inungat, defendatque, Muci, & appellentium in ea aliunde humorum: in variolis ſolere hoc virus cum earum eruptione ventriculum deſerere, in morbis vero malignis aliis ſæpius perennare.

Perperam proinde materiæ morboſæ copiam ab excretorum copia quis concluſerit. Nunquid enim oculo inerant copioſi illi humores, quos rivi inſtar, illapſo ſabulo, effluere cernas? An dentienti infanti fluvius humorum in ore præſto fuerit, quos, dente irritante gingivas, cernere datur? Ubique ſane a vicinia, imo toto de corpore, humores affluunt, ad acre, ad peregrinum quodque, ad quidvis inſolitum, alicubi ſtimulans, abigendum; ita ut hac ſola de cauſa poſſit integrum corpus liquidis exhauriri ſuis: hanc qui noverit irritationem ſedare, aut ſolida, nervosque, ita disponere, ut affici nequeant, is aut integrum morbum, aut ſtimuli ſuſtulit effectum. Ergo opium irritabilitatem demit nervis; nudatos nervos oleoſa obliniunt, acria inviscant. Qui vero emeticis hoc, aut purgantibus, malum ſatagit oppugnare, is auget nervorum irritamenta, ac nudam tunicam villoſam acriter, & crudeli-

deliter, vellicando, eo forſan totius corporis liquida advocat, viresque exhaurit vitales. Unde evidenter nobis hac occaſione ratio conſtabat, quæ ingentem *Sydenhamum* docuiſſet, quibusdam *Choleram morbum* provocato vomitu curari, aliis indubiam mortem inferri: ejusdem igitur natura morbi variam haud raro curam requiri. Quæ vero alia circa *Malignos morbos* obſervavimus, in ſequentibus ſparſim reperientur.

CAPUT XI.

De Generatione Puris.

Prioris *Diſſertationis* Cap. 7. varia obſervata enarravi, quibus evidenter evictum, quod pus quidem multis in morbis in abſceſſu, ſeu vomica dicta, locetur, coacervetur, diverſisque exeat de corporis plagis: multoties vero purulenta materies copioſe, diuque, de corpore exeat, quamvis nullis ullibi receptaculis reconderetur. Innueram ibidem me de *puris ortu* quondam nonnihil ediſſerere auſurum, modo plura exactius obſervandi facultatem Noſocomium ſuppeditaret. Quum igitur ſuppeditaverit, fidem datam liberabo.

Conſilium petiturus ad me acceſſit 34. annorum homo, qui in dextro oſſis ſacri latere mollem, fluctuantemque tumorem, jam a quatuor ab illinc menſibus gereret, ex cauſa minus certo determinanda. Dubium enim erat, utrum diatheſi pulmonum purulentæ, ſe ſputis evacuanti, metaſtaticeque huc delatæ, originem deberet, an vero caſui ab alto, quo, paulo antequam tumor adparuerat, lumbis in terram cecidiſſet. Prognoſis utroque funeſta in caſu: ſi enim a poſteriore cauſa; quinque caſus jam docuerant nos, prius acrimonia puris & oſſa, & ligamenta, eroſa fuiſſe, quam

ma-

materies exitum foras moliretur: ſi autem a priore; corpus nimis cacheɛticum erat, quam ut ex depoſitione ejusmodi materiæ purulentæ ſalutem præſagiremus, licet tamen felix extaret, alterve caſus. Alterutra porro cauſa obtineret, loci indicabatur apertura, parva ſaltem, ut malum palliaretur, vitaque labens utcumque protraheretur. Aperto tumore, pus craſſum exivit, impenſe flavum, idque per 13. continuos dies.

Sed enim vero, quinto die poſt aperturam factam, alium nobis tumorem exhibet in ſupremo dextro thorace, mollem omnino, plenumque, ut videbatur, pure; quem ipſum, jam ante ſex dies natum, celaverat. Quum in ſequentem diem apertura decreta eſſet, disparuerat tumor, & colliquans Diarrhæa, cum ſputo tamen purulento pergente, ſucceſſerat. Diagnoſis jam evidentior, ad diatheſin purulentam potius, quam ad caſum ab alto, mali referendam originem eſſe. Diarrhæam hanc nulla artis molimina compeſcere integre potuere. Dein die XI. recrevit tumor, leviterque apertus, pus ſanioſum per quatuor dies fudit: quo toto tempore appetivit, ambulavit per ædes, bonoque animo fuit. Subito tandem voce cepit deficere, adpetitu carere, ſub veſperam laborioſiſſime reſpirare, frigeſcere totus. Marmoreum frigus omnium extremorum 24. horis perſeveravit, ne minimo quidem pulſu, per totum hoc tempus, unquam percipiendo. Adhibitum tamen eo die pluries thermometrum, gradus 97. notavit. De hoc phænomeno deinceps cap. 18. Artus interim, corpusque totum, quamcumque in partem aut vellet, aut rogaretur, apte flexit; bona mente paucis exceptis minutis valuit, & 15. die a prima apertura obiit.

Integumentis Thoracis prudenter ablatis, ſinus eo in loco adparuit, in quo tumor fuerat. Stylus caute immiſſus hinc verſus axillam. illinc ad colli vertebras, iter oſtendit; ſed prudentiſſime quancunque in partem agi-

agitatus, cavum thoracem ingreſſus non eſt. Thorace prudenter aperto, pulmones inventi ſunt toti ab omni concretione liberrimi, colore liveſcentes: dexter modo, lobo ſuperiore ſuo, cum ea pleuræ regione junctus, in qua deſcriptus mox ſinus penetraverat. Igitur ſinus per eroſam pleuram in ipſam lobi ſuperioris ſubſtantiam abiverat; ſed margines ſinus in pulmone tam arcte, toto ſuo ambitu, cum pleura coiverant, ut aër externus ſinum quidem intrare, in cavum vero thoracis minime penetrare poſſet. Exeſa autem pulmonis ſubſtantia, ſaccum cavum repræſentabat; nullis ſaccis lateralibus, nullis vomicis, tum ibi, tum per reliquos pulmones, reperiundis.

Abſceſſus alius 8. 9. 10. vertebram thoracis, nec non coſtarum tegebat principia, nihil omnino cum pulmone communicans. Pauca in eo contenta materies vertebras leviter carioſas reddiderat; qualem cariem & vertebra ultima colli, primaque thoracis, contraxerant. Os ſacrum eroſum, carioſum omne; ſtylusque aperturæ ulceris a principio inductus, ultra ſpithamæ longitudinem adſcendit, & ſine ulla reſiſtentia ipſum ſpecum vertebrarum intravit. Porro nulla detegi potuit, hos tres abſceſſus inter, communicatio.

En iterum pus, tum ore excretum, tum ſupremo pulmonis dextri lobo, prodeuns, copioſum, diuturnum; nullo detecto ejus in pulmone domicilio: cujusmodi exempla plura, ſuperiore anno adtuli. Horum omnium occaſione en quæ de puogenia cogitem!

Communis ſententia fert pus prægreſſa ſemper inflammatione generari. Inflammationem namque in abſceſſum verti, dum inflammatus ſanguis in ſinibus vaſorum ſtagnans, & tamen a tergo pulſus, ſuorum vaſorum extrema ſolvit, inque albam cum iisdem vertitur pultem. Hanc ob rem & in diuturna puris excretione oportere ingentem reperiri ſubſtantiæ conſumtionem: id quod multa etiam exempla confirmant.

At-

Attamen neque in caſu enarrato, neque in tot aliis ſuperiore anno communicatis, hæc ita inveniuntur. In multis nulla prægreſſa ſubſtantiæ inventa eſt conſumptio. Unde cum vulgaris ſententia partem ſuppurationis duntaxat, non integram, complectitur; alia puris eſt nobis quærenda origo, quæ forte rem totam complectatur. Si igitur in Phthiſi v. g. pulmonali pus copioſum, diuturno tempore, ore excernatur, nec apta poſt mortem, qua genitum, locatumque fuerit, ſedes inveniatur, neceſſe eſt illud ab ipſo ſanguine, immediate ſecretum fuiſſe, cum aliud nihil, quod cum pulmone communicet, aſſignari poſſit.

Attamen nil puri ſimile ſæpe deprehendimus in horum hominum denatorum ſanguine, vaſis contento. Rubicundus enim plus minus reperitur ille, ac nonnihil coagulatus; an in eo ſaltem non oporteret quidquam materiæ albæ, flavæque, ac craſſioris, reperiri?

Reſp. 1mo. Sanguis eorundem hominum, dum aliquando de vena mitteretur, liquor ruber, homogenus, adparebat; qui tamen ſtagnando extra vaſa corporis cruſtam phlogiſticam, eamque denſam, formaret. Ergo materies, cruſtam formatura, in ſanguine antea adfuerat, ſed minime conſpiciunda.

Reſp. 2do. In ſanguine ſaniſſimi hominis, in quo, ex naturali diatheſi, nulla phlogiſtica diſpoſitio, minime deteguntur principia craſſioris ac flocculentæ membranæ, *Ruiſchianæ* dictæ, quam inde tamen agitatio poſtmodum & conquaſſatio educit.

Reſp. 3^tio^. Sæpenumero etiam in cadaveribus invenienda eſt materies eadem, quæ pus formare videtur; albida, ſubflava, compacta, polypoſa; quam eandem alii circa mortem generent, alii ad vitalia vaſa per annos gerant.

Reſp. 4to. Non detegitur mortuorum in cruore materies, quæ tamen paulo ante in eodem præſens eſſe debuerit, quæque ſub mortem extremis vaſculo-

rum

rum oſculis transſudans, circum viscera omnia, vitalia, naturalia, animalia, cruſtas denſas, lardoque ſimiles, formet. Cujusmodi *Heurnius* toties inveniſſe ſe ſcribit, nosque in Noſocomio pluries jam demonſtratas vidimus, ad totos quantos Pulmones, Pleuram, Diaphragma, Pericardium; ad Hepar, & Inteſtina; imo in dimidii cranii lethali fiſſura ad Medullam oblongatam, ad Cerebrum externum, Cerebellumque, & in cerebri Ventriculis anterioribus. Unde in omnibus hisce caſibus ſuſpicari licebit, hanc materiem vel ſanguine valide concuſſo manifeſtam fieri; vel quieti, aërique, commiſſo: ſed de his poſtea latius.

Unde licet in ſanguine omnia adpareant homogenea, conſtat tamen quidquam eidem ineſſe, quod collectum adpareat eſſe tenax, albidumve, aut ſubflavum, quodque puris adpellari materia debeat. Quæ porro materies, ut cito ſæpe a ſanguine ſeparatur, ita non perraro multis in Phthiſicis, menſium annorumque ſpatio, pedetentim ſecernitur. Exempla ſuperiore anno enarrata, ipſaque præſens hiſtoria, id innuere videntur. Sed en adhuc aliam!

Decima Junii præſentis anni ad me homo acceſſit, quem principio anni tuſſis vexaverat immanis, violenta, diuturna; ut firmorum ſane laterum, qui eam ſuſtinuerit, eſſe debeat. Ex quo vero collo tumere cœpit, tuſſis contigit moderamen: imo vix ultra exauditur, ex quo tumores magni, iique plures, in collo, ſuperioreque thorace, partim natura, partim arte aperti, pus bonum, coctum, copioſum effuderint: ita quidem ut primo menſe hominis veſtes pure madescerent, & etiamnum, quarto menſe, pus continuo abundanterque manet; interea dum homo adpareat optima frui ſanitate. Huic pulmone olim ejecta materies nunc externis eliminatur abſceſſibus; poteritque ſic omni diſcrimine homo demum eripi, ut pluribus exemplis, horum ſimilibus, didici.

Fu-

Furunculi nonnunquam in his, qui a variolis convaleſcunt, conſpiciundi, qui teſte *Mead*, in inſitivis variolis, quam in naturalibus, frequentiores ſunt, non fiunt prægreſſa inflammatione, niſi ſolius tenſæ, a materia, cutis; ſed tumor unica die naſcitur, augetur, & apertus incipit nonnunquam eodem illo die pus fundere.

Quotiesne dantur *Anginæ*, *Paraſynanchæ*, altero morbi die jam pus exſudantes? Et *Chriſtophori Benneti*, in *Theat.* ac *Veſtib. Tabidorum*, obſervationes, quotidianis confirmatæ exemplis, quid aliud docent?

Ex quibus cunctis colligimus in ſanguine noſtro diſpoſitionem dari, qua materia, quæ, poſtquam collecta fuerit, phlogiſtica purulentave vocatur, a reliquis ſanguinis principiis ſegregetur, viisque variis de corpore expellatur, ſine intermedio ſacco, in quo alias, poſtquam a ſanguine producta eſt, moram trahere ſolet, antequam expellatur.

Eruditiſſimus *De Sauvages*, Monſpel. Prof. *Libr. de inflam.* ubi circa puris & cruſtæ inflammatoriæ generationem quædam profert, quæ experimenta mea, ſuper ſanguine humano facta, (vide in præc. cap. 6.) admittere me vetant; tamen §. 87. multum inclinat in eam, quam hic trado, explicationem, ſubjungitque: „*Et ce qui produit la coëne, pouroit fort bien produire du* „*Pus.*

Cauſas nunc indagare juvat, quæ ejusmodi materiem in ſanguine generent: has ſane invenimus multiplices.

Prima cauſa eſt frigus corpore exæſtuante ſuſceptum. Homo egregie ſudans, gelidam aquam affatim haurit, aut quo loco eum ventus amœnus recreat, aliquantiſper ſedet. Impune forte hoc decies tulit. Jamvero illico poſt horrores experitur, & laſſitudines, tum nauſeam, vomitum, cephalalgiam, febrim. Miſſus altero die ſanguis deponit cruſtam, quæ vel ſingulo in

vaſe æqualis, vel in variis vaſis varia ſit. Si mox Pleuritis, aut Peripneumonia, ſe comitem jungit, ſolvetur forte morbus cocta purulenta materie, ſive ore, ſive alvo, ſive urinis, excernenda; aut etiam purulentis eliminanda tumoribus.

2do. Plethoricus homo aut motu nimio ſuum ſanguinem rarefacit aut valida ira, aut pergræcatione. Materies alba, flava, ſpiſſa, ejus in ſanguine, primo, altero, tertio die, miſſo, adparet; itidemque, ſi morbus critice ſolvitur, in excretis.

3tio. Acrimonia Venerea, ut in Teſte Venereo adparet, Acrimonia Arthritica, Rheumatica, ſi de locis, in quos deſævire ſolebat, retroagatur in ſanguinem, virus quoque Varioloſum, Morbilloſum, Scarlatinum, intra ſanguinem ſuſceptum; omnia hæc frequenter materiem talem miſſo in ſanguine exhibent.

4. *Benneti* obſervata docent opiparis in dapibus, in vitæ, otiique mollioris, plena beatitudine, ſanguinem obſervari ſimilem, diuturnoque tempore hujusmodi materiem ſputorum forma ejici, citra ullas inventas a morte vomicas.

5. Sed & contigit *Benneti* obſervatum locum habere in his, infimæ qui ſortis ſint, quibus minime liceat adeo lautis, adeo otioſis, eſſe.

6. Fœminis ſanguis paſſim laxior, & a cruſta formanda alienior, plerumque talem materiem in iisdem gravidis pro cruſta habet, & non raro, ſi hæ fœminæ negligantur, viam ad Phthiſin ſternit.

7. Diatheſis demum naturalis quorundam in ſanguine ſemper hanc materiem exhibet.

Conſtat ergo ſeptuplex hucusque cauſa, ejusmodi in nobis materiæ genitrix. Utinam ſimul conſtaret qua arcana lege dictæ cauſæ hanc materiem producant! In hiſce tenebris aliquid conjectura periclitandum eſt.

1mo. Frigus calente corpore ſuſceptum ſolida arctat, fluida denſat. Nunquid hac arctatione & denſatione

ne hæc materies de reliquis cruoris elementis exprimitur? adunatur?

2. Plethoricus cauſam morbi futuri præparantem invenit in ſuo abundante ſanguine: iraſcatur nunc, peregrinetur, pergræcetur, cauſa excitans ad præparantem adplicata, una cum eadem, poſt horrores intenſiſſimam generat febrim. Rarefactio ſanguinis; vaſorumque, nato eo frigore, arctatio; eundem videntur, qui mox deſcriptus, effectum producere.

3. Acrimoniæ, & contagia varia, mox excitato horrore ſtringunt vaſa, humores autem vehementer rarefaciunt. Nonne hinc effectus iidem, aſt longe violentiores? Ita quidem ut in debili Podagrico, in virgine Chlorotica, ſanguinem phlogiſticum producant. Alio exemplo, in polypis explicandis, hæc confirmare conabor.

4. Menſa opipara hominis ſaniſſimi, ſed otio diffluentis, auget, rarefacitque ſanguinem. Hinc ſenſim in eo id naſcitur, quod mox in Plethorico irato contemplabamur. Verum quomodo idem pedetentim naſcitur his, quibus tenuis menſa? videtur illis, quæ N°. 7. deſcripta, Diatheſis adeſſe naturalis.

Genus variolarum quoddam huc referam neceſſe eſt. *Foreſtus*, *Drelincurtius*, omnesque demum Practici, natas veras Variolas viderunt pluries, citra ulla febris indicia, ſive tempore contagii, ſive eruptionis, ſive etiam nonnunquam maturationis. Pluries præterea viderunt Variolas tum expulſas, tum maturas, adeo modica cum febricula, ut nulla eidem tribui inflammatio poſſit. Attamen genuinum pus, idque ſæpe copioſum, hic gignitur. Obſervaturque idem & in diſcretis, & in miſto genere, & aliquoties in benignis confluentibus. Porro videtur in illis virus adeo aut parcum, aut debile eſſe, aut adeo parum illorum corpora ab hoc miaſmate irritabilia, ut idem virus blande admodum, lenteque, phlogiſticam materiem cogat, adunetque, in

ſanguine. Ita ut homo ſola variolarum eruptione ſe iisdem laborare cognoſcat. Primo ſanguinis tenuior portio ſtigmata pro more facit, ſerum accedens cum ſanguine puſtulas auget: purulenta interim materies bonis vitæ viribus, tertio quartove ab eruptione die locum occupat, ſive verſus latera fugando, qui aderat, liquorem, ſive eum ſecum miſcendo, & ſenſim per cutis poros eliminando. Niſi quis credere malit, quod materia in pus vertenda, tribus quatuorve diebus indigeat, antequam in pus, mora contracta, vertatur. Sed lentius papularum incrementum hanc opinionem minus adprobat; nam illæ minuerentur hac ratione potius, quam augeſcerent. Sed utramvis opinionem amplecteris, rem totam tam blande, tranquilleque, Natura operatur, ut vix levem excitet ægritudinis perceptionem.

5. Gravidarum vero ſanguis cruſtam qui adeo denſam formet, communi lege vix explicabo. Equidem gravidis, arbitrabitur quis, major adeſt, quam aſſolet, ſanguinis copia; cum primo tempore non videatur fœtus catameniorum materiem abſumere; unde hinc cruorem comprimi, & albam, flavam materiem, a reliquis ejusdem principiis ſegregari, coadunarique, poſſibile credet: verum hanc plethoræ ideam mox tollit conſideratio neceſſitatis ſuperflui ſanguinis, quo uterus, ut magnitudine, ita & craſſitie, creſcat. Præterea hanc cauſam expungit contemplatio nonnullarum fœminarum, quæ neque pubertatis, neque conjugii tempore, unquam menſtruantes, iisdem nihilominus incommodis, dum gravidæ ſunt, quibus pleræque aliæ fœminæ gravidæ, ſubjaceant; ut elapſo hoc anno in Noſocomio claro exemplo conſtitit. Deinde complures fœminæ patiuntur eadem ſymptomata, quæ plethoræ adſcribi conſuevere, antequam prima vice menſes retardent; ita ut iterato experimento hæ norint, antequam menſes deficere incipiant, ſe utero geſtare.

An

An ergo præter datas cauſas adhuc aliquid ἄγνωστον, ad talem ſanguinem producendum, concurrit? Imo ſi quis ſtatueret, in Plethora, in ſuſcepto frigore, in variolis, quidpiam ignotum humores latenter afficere, ſive id aër gignat, ſive contagium, ſive ſtupenda mutatio, quam animi affectus creant, multis profecto non obluctabor, cum ſemper eadem concluſio maneat: ſufficit a cauſa quacumque ſic ſanguinem mutari.

Sed contra: Pus alia longe ratione confici Vulnera demonſtrare videntur, adeoque quæ huc usque dicta ſunt Puogeniam minime illuſtrare. Id an verum periculum faciam!

Apte id, concinneque, ut fiat, juvat ordinem ſequi, quem in diſcribendo Vulnere *Boerhaave* obſervat, adjectis conſummatiſſimis *Illuſtriſſimi noſtri Præſidis, Liberi Baronis van Swieten*, Commentariis. Vulnus ſumatur corpori, antea per omnia ſano, uno cultri ictu inflictum: ea lege, ut arteriæ principes, muſculi, tendines, nervi, oſſa, læſa non ſint.

In ejusmodi vulnere 1mo. ſanguis mox undatim exſilit, ſenſim de ſuo demittens impetu, tandemque ceſſans. Vaſa enim arterioſa abſciſſa paulatim ſe contrahunt, & inter carnes, aut pinguedinem retracta, ſibimet ipſa obturaculo ſunt.

2. Ita tamen, ut ſtillicidium ſanguinis ad labia vulneris obſervetur, cruſtam, qua labia tegantur, formans.

3. Lympha interim tenuis tranſſudat, ſed minime phlogiſtica: quantumvis enim in vulnere moratur, nunquam ſpiſſeſcit.

4. Die tertio, aut quarto, labia vulneris tumere, ac retroflecti, inchoant.

5. Quo ipſo tempore febris toto corpore percipitur, rubra cum urina, & reliquis febrium ſymptomatibus. Oritur autem ille tumor, quod abſciſſi vaſorum fines, nunc contracti, nihil transmittant, & ſanguis nihilominus a tergo in eadem impellatur. Hinc pars mo-

le augeatur neceſſe eſt. Præprimis vero adipoſa membrana tumet, diviſo, quo tegebatur, cutis repagulo; unde & circum perſciſſæ cutis margines panniculus adipoſus circumflectitur.

6. Poſt hanc febrim, calorem, pulſationem, tumorem, pus demum prodit. Quocirca advertendum id, quod in crebrius deligato vulnere deſit, ejusque loco tenuis duntaxat liquor adpareat; quo præſente non coaleſcit vulnus unquam: quodque pus craſſum adpareat, ſi juſto tempore pro natura vulneris deligatio fit.

7. Craſſo itaque pure abundanter prodeunte, labia ſenſim concidunt, febrisque, pulſatio, calor, decreſcunt.

8. A toto vulneris ambitu lente propullulant corpuſcula alba, ſive potius eminentia vaſorum extrema, microſcopio pulchre contuenda. Hinc dicitur caro naſci. Quippe ex omni vulneris plaga prodeunt, & vulneris, quod retractis labiis hiaverat, explent cavum. Et albida quamvis, rubra nihilominus productione illud explent, quum omnia in hoc loco rubro ſanguine a corde pulſo vehementer turgeant. Neceſſe autem hoc erat; cum vis cordis, arteriarumque, ſeu Vita ipſa, ingenita ſibi efficacia, hiatum ita complere deberet, ut contingentibus ſeſe extremis undique vaſculorum oris, circulatio per vulneratam partem reſtitueretur.

9. Tandem vaſculis omni ex parte unitis, ceſſat pus, & fit cicatrix. Si pinguetudo multum conſumta haud fuerit, ſuppurationis tempore, ſed manſerit ferme ejusdem, quam antea, molis, bona cicatrix formatur: ſi vero conſumta prorſum, fœda cicatrix fit, & cute ad muſculos affixa, motus impedimentum.

Hæc in genere contemplati, revocemus in memoriam, quod quovis inflammatorio in morbo, enarratis de cauſis, ſanguis phlogiſticam diatheſin inducat. Hac in ſanguine producta examinandum nunc quid inde fiat.

In-

Inflammatoria materies vel ipſo in affecto primum loco ſiſtitur, vel tranſit inde ad alia viſcera, vel demum per deſtinatas eo vias evacuatur. Ponatur nunc inflammatorie ſpiſſus ſanguis per multos arteriæ pulmonalis fines tranſire non poſſe, finibus iisdem aëre frigidiore ſimul conſtrictis. Peripneumoniam natam intelligimus, modo vis cordis a tergo urgeat. Porro in hujus Peripneumoniæ initio, augmentoque, tenuia ſputa prodire conſueſcunt, aquoſa prorſum, glutine miſta levi, lineisque ſanguineis notata. Crudam materiem vocant. Seroſum hoc ſputum morbum non curat, copioſe quamvis ejectum. Vi enim tuſſiendi cum paucis globulis ſanguineis expreſſum eſt, inflammata denſitas, multa ejus excretione, augetur; quodque glutinoſum gerit, id vi a ſuperficie aërea pulmonis abraſum fuit. Quandiu nil aliud prodit, morbi eſt cruditas, curatio nulla, magnum vitæ diſcrimen. Sed tertia aut quarta die lineæ rubræ deficiunt, ſputa ſpiſſiora, utcumque puriformia, flava primo, dein ſubalbida prodeunt, & pergentia ita reddi, perfecte judicant morbum.

Nonne hic cum vulnere conſimilia multa? extillante de vulnere lympha, nulla curatio: idem in Peripneumonia. Utrumque tantum ſymptomaticum eſt.

In vulnere ad diem 3. 4. tumore ac pulſatione auctis, pus verum prodire incipit; ſed ſimul pure facto, beneque prodeunte, febris, tumor, pulſatio, dolor, minuuntur. Ita Peripneumonia creverat febre, & reliquis ſymptomatibus, donec ad 3. vel 4. diem puriformis exſpueretur materies, & omnia tandem ſymptomata mitigarentur.

Si, quo tempore pus inceperit vulneri ineſſe, illud frequentius deligaveris, pus bonum conſolidans ultra non habes, ſed tenue, modo quidquam; quo fluente, nulla conſolidatio. Quietem agat oportet illa materies, ut ſpiſſeſcat, vulnusque percuret. An non in pe-

ripneumonia idem fere? ſi, primo coćto ſputo adparente, tuſſis perennis pulmonem quatiat, coćta materies ultra non prodit, ſed tenuior tantummodo, & delaſſans, non ſolvens morbum unquam. Blandum ſomnum aut ars produxerit, aut natura! En mox ſputa craſſa, colore, conſiſtentia, levamine, optima. Ratio hæc videtur eſſe: Exſudat Lympha ex abſciſſis vaſis vulneris aſſiduo: manenteque eo in vulnere, extremæ arteriolæ emolliuntur; ut ſic, & vi vitæ a tergo pellente, & ablata emolliendo reſiſtentia in vulnere, id phlogiſticum fundant, quod, miſtum cum lympha præſente, pus bonum referat. In peripneumonia frequens, violentaque tuſſis, exprimit ex vaſis roriferis, ipſisque vaſis phlogiſtico infarćtis, Lympham: ita ut materia inflammatoria hinc ſpiſſior reddita, inepta reddatur, quæ per oſcula ſua dilatata in cavum aëreum exeat pulmonis. At vero quiete inducta, tum Lympham ſuam retinet materies inflammata, tum Lympha retenta omnia emolliuntur, dilatantur, phlogiſticum craſſum ipſa hac quiete & tepore coquitur; quo demum omnia ita aptentur, ut bona materies excernatur.

Contingit tamen ſæpe, ut oſcula hæc in peripneumonia haud dilatentur ſufficienter. Unde coćta materies ex arteriis pulmonalibus in venas fertur, duciturque bonis corporis viribus aut ad arterias Meſentericas ambas, aut ad Renales, aut etiam ad varias glandulas, ut harum ope de corpore eliminetur. Nonne hic, quod in tranſitu moneam, facile capimus, quomodo Pleuritis ſe evacuet per ſputa e pulmone? Ut Peripneumonia per arterias meſentericas, ita per pulmonicas Pleuritis.

Sin vero neque per anguſtias arteriæ pulmonalis elabendi nanciſcatur facultatem, colligitur, vaſa ſua, adventante nova materie, dilatat, inque ſaccos diſtendit, ut toties in Hydatidibus videmus; vel rumpit eadem,

dem, ita ut effundatur materies in celluloſum id, quod veſiculis interjacet. Hæc nunc Vomicarum origo; quæ quidem rumpi vi tuſſis vel in cava pectoris poſſunt, vel in cavum aëreum pulmonis: imo contingit etiam easdem non rumpi, ſed extendi incredibiliter, materiemque in iis contentam continuo cum ſanguine misceri; unde Hecticæ febres, Empyemata, Tuſſes purulentæ, intelliguntur. Si bona fortuna abſceſſus in cavum aëreum perrumpitur, & materies brevi tempore tota ejicitur, continuatave excretione de pulmone expellitur; tunc, modo bonæ vitæ vires adſint, crescantque & ſanguis ſit purus, rediviva ſalus eſt. At vero ſi cum tanta per pulmones excretione, ſanguis diatheſin phlogiſticam ſervat, mori demum hominem, ut in *Bennetianis* eſt, oportebit.

Hæc nunc demum illa ſanguinis diſpoſitio eſt, qua ſub vitæ terminum cruſtæ flavæ viscerum ſuperficiei circumnascantur; de qua re ſuperius actum. Nec acutis modo qui intereunt morbis eam cruſtam ſoli habent, verum & qui lentis. Vidi olim id pluries, & anno 1756. menſe Decembri idem demonſtravi publice in Noſocomio poſt chronicum morbum. Nihil hic miri. In media Chloroſi virus varioloſum novit pleuriticum cruorem fabricare. Ipſi polypi ita generantur, ut poſt dicam.

An non phænomena, hisce conſimilia, vulnera dant? Adparet ita. Neque enim ulla ratione videntur vaſa abſciſſa, cum contento in extremis eorum phlogiſtico, tam copioſæ materiæ, integras per ſeptimanas generandæ, ſufficere. Diſpoſitionem inflammatoriam Febris illa, quam 3. aut 4. die, notabiliore in vulnere, accenſam percepimus, ſanguini conciliat; videturque ipſiſſima illa diatheſis vi cordis per locum vulneris minus reſiſtentem, ut exeat, determinari: quippe Clinice docet nos quotidie, materiem in humoribus alienam eo locorum allici, quo Medici reſiſtentiam minuerint.

Sane id ita credamus multa in vulneratis ſuadent. Copia puris nonnunquam adeo enormis ex vulnere amputatæ Mammæ, Cruris, Brachii, prodit, ut homines pereant defectu virium; dum interim vulnus ne centeſimam quidem puris partem ſuppeditare queat: aliunde ergo pus adferatur neceſſe eſt.

Quid quod in rerum natura exiſtant, quæ ſuopte genio hanc ſanguini ingenerent diatheſin? Hæc inter annumenare cogor *Bellam Donam Tournefortii*, *Atropam Linnæi*, *Solanum furioſum*, *Solanum maniacum*, Στρύχνον μελανοκέρασον. Hortatu, & exemplo, celebrium in arte Virorum, dedi, exacte ſecundum datam formulam, infuſam hanc herbam quatuor fœminis; quæ aut Scirrho, aut Cancro, aut Carcinomate maligno, laborarent. Præter dolorum augmentum, præter vertigines & ἀμβλυωπίαν, per aliquot ab aſſumto remedio horas quotidie toleratas, qui tecti Scirrhi, aut Cancri fuerant, ſponte aperiebantur, pusque bonum fundebant; Cancri vero qui antea aperti fuerant, pro ichore copioſum pus dederunt. Spem utique hoc in principio fecit. At vero prodiit demum puris copia tanta, ut per pavimentum deflueret, ne quidem repagulis ex ſtupa Mammæ circumpoſitis coërcenda; ut demum pene extinguerentur duæ fœminæ; Cancro interim æque maligno conſpecto. Binæ vero aliæ, quod breviore temporis ſpatio infuſa hac herba uterentur, minus male ab eadem multatæ fuere; ſed perinde ac priores duæ, nullam Cancri emendationem adeptæ.

Sed ſi res ita, ut dixi, ſe habet, cur parva vulnera aliquando ſine febre inflammatoria, & ſine ejusmodi medicamentis, bonum pus, copioſumque, præbent? Dantur topicæ febres, ita ut pulſus febrilis modo affecta in parte ſit, reliquo autem in corpore plane naturalis. Novum pus ſic poteſt quotidie in vulnere generari. Tumorem, dolorem, calorem, pulſationem, toties in digiti abſceſſu formando experimur, reliquo cor-

corpore prorſum febre immunes. Vide comm. *Ill. Præſidis* in aph. *Boerh*. cap. de febr. in gen.

Sed cur nonnullis in Anginis, aliquoties in inflammatione pectoris, nonnunquam & in vulneribus, altera jam die pus adparet? Vel his naturalis eſt ejusmodi in cruore Diatheſis, ut ſupra conſtitit; vel, antequam topicum malum nasceretur, febris jam adfuerat. Homines ſæpe tribus, quatuor, pluribusve diebus febre laboravere antequam Angina formaretur.

CAPUT XII.

De Variolis.

Quum in Quæſtionibus ſuper *inoculatione Variolarum* nuperrime editis, methodum quandam præ cœteris laudarem, eam publici quoque juris redderem rogatus ſum: oportune ergo hic methodum meam & olim, & etiam hic in Noſocomio, adhibitam, lubens communicabo.

Ab initio igitur manifeſtantis ſe contagii Methodus inflammatoria per omnem modum inſtituitur. Vena ſanguis miſſus vix gerit in principio cruſtam. Emeticis uſus numquam fui: tum quod illa in Vomitum propenſio, non magis Emetico, quam ſine eo, ante eruptionem papularum tollatur; tum quod *febris varioloſæ ſine variolis* non minus ſaltem, citra emetica data, quam poſt eadem exhibita, obſerventur; tum quod æque certe frequentes ſint variolæ benignæ, non datis, quam datis, emeticis. Quid ergo fruſtra corpora torqueamus? Præſertim cum motus violentior excitatus, pluribus, pejoribusque Variolis producendis, aptus natus ſit? Adſtipulatur nobis ipſa *Boerhaavii* circa variolas doctrina, altum de Emetico ſilentium obſervans. Sed remedia conveniunt antiphlogiſtica, alvum le-

leniſſime ſubducentia, nitroſa; Enemata ſimilia; tum pediluvia, ſemicupia, aër humidus & temperatus; ut totus homo, quoad ejus fieri poſſit, laxetur & emolliatur, utque undique ablata reſiſtentia eruptio materiæ fiat ad cutim commodiſſima. Pro ratione febris Venæ Sectiones repetuntur.

Commode ſi exeant papulæ, ægros bis de die per ſemihoram in calido pedum balneo, ad usque genua, & altius, imponimus. Adhibetur aut pura aqua, aut emollientibus cocta, aut miſta lacte. Cruribus pedibusque probe exſiccatis, Epiſpaſtica ad plantas pedum adplicantur, imo & nonnunquam pedes integri, cruraque, involvuntur iisdem. Occaſione balnei extra lectum, mane ac veſpera, ſedent bihorii, trihoriive, ſpatio. Intereaque temporis lecti mutantur, aëre perflantur; & ſi contingat, ut per morbi decurſum ægri putridiſſimo linteaminum lecti, induſiorumque, fœtore male afficiantur, præſertim ſi infantes ſint, linteamina, & induſia, ſanorum corporibus aliquantisper admota, adhibentur. Pro potu & medicamine utuntur Decoctis emollientibus & refrigerantibus, Lacte ebutyrato, Sero lactis, Lacte cum aqua miſto, &c.

Altera a bene prodeuntibus variolis die, datur matura veſpera ſyrupi Diacodii unc. 1. 1½. idem & mane die tertio incipit fieri. Menſura paregorici a ſola ægrorum tranquillitate deſumitur. Cum *Sydenhamo* damus ter, quater, in die hanc doſin, quando malignæ variolæ ſunt. Porro paregorica damus in benignis & commodis variolis, ut facilis morbi tolerantia ad finem usque perſeveret: docente experientia vel benigniſſimas a cauſa vix detegenda in malignas mutari. Uſus paregoricorum efficere videtur, ut funeſta hæc mutatio, ſi unquam, rariſſime ſaltem, contingat. Hinc dormiant, nec ne; vix, vel parum, ægrotent; datur ſemper dicta de cauſa quavis 12. hora paregoricum, ſi-

que

que opus eſt, augetur. At vero in maligniore ac moleſtiore genere datur, ut mox dixi, auctiore ſemper doſi. Syr. *Diac.* Syr. *pap. alb.* Laud. Liq. *Syd.* uſui veniunt. Uſus autem docuit, opium datum v. g. cum emulſis, aliisve remediis, ut ejus tantilla pars quavis hora ſumatur, pulcris iis carere effectibus, quos expoſita ratione exhibitum, producit.

Quum enemata mollia primo laxent totum ſyſtema Meſentericum, cum deinde pro parte abſorbeantur, cum denique alvum ab opio immorigeram blande ſolvant, ſolent a principio ad finem usque quotidie immitti.

Interea temporis curamus a morbo incepto, ad curam abſolutam usque, vel Lacte & aqua, vel Lacte cum Decocto ſeminis Sumach, ſpongiis imbibito, oculos aſſiduo fovere; ut quæ illos cæterum infeſtent mala, averruncentur. Tota quoque facies, ob dicendas poſtmodum cauſas, aqua & lacte aſſiduo humectatur.

Si contingat vel præ vehementia morbi, vel præ virium prolapſu, eruptionem pro votis non ſuccedere, curam ad datam indicationem ſic dirigimus. Si morbi ac febris violentia, nimiave plethora, in cauſa ſint, mox vena ſecatur, ſemel, iterato, pluriesve. Licebit obiter circa V. S. hic animadvertiſſe eam quovis variolarum ſtadio, urgente febre, peripneumonia, phrenitide, inſtitui debere. Sin vero debilior vita in cauſa eſt, eam tunc cardiacis, vinoſis maxime, tam epotis, quam ad axillas & inguina, ubi corpus maxime bibulum eſt, adhibitis, erigere & animare ſatagimus. Mira hic & veſicantia præſtant.

Salivationem in confluentium genere ſæpe nullam, aliquando magnam, habemus. Hac ipſa æſtate in miſto genere habuimus copioſam. Cum corpora liquido blando tota die implemus, moderatumque ipſis aërem conciliamus, cura peculiari opus non eſt ad ptyaliſmum moderandum. Ubi

Ubi vero variolæ maxime malignæ retrocedunt, omniaque peſſima ſymptomata, quæ mortem præ foribus clamitent, adparent, pauca quidem, ſed mira, Ars nonnunquam præſtat. Dabitur id exponendi & demonſtrandi occaſio Cap. 14. Tamen verbo hic dixerim hæc infortunia vix contingere, ſi cura, ut hic dicitur, adminiſtratur.

Ad diem 10. 11. 12. totius morbi, ſiccis jam puſtulis, tenero forfice exitus puri datur tota facie, eaque perciſa, ſpongiis aqua tepida & lacte, madidis abſtergetur. Siccatis brachiis dein, cruribusque, idem fit. Cumque omnes papulæ non ex æquo ſiccescunt, ſed aliæ poſt alias, ita earundem apertura per vices inſtituitur. A Chirurgo hoc opus in facie, totoque corpore, perfici poteſt; licet plures viderim, qui animoſe, ac volupe, manus & brachia ſibi perſcinderent. At vero non ſufficit ſemel aperuiſſe. Puſtulas enim mane apertas, deterſasque, veſpere invenimus pure turgidas: unde idem opus veſpere repetendum, idque quater, quinquies, imo pluries, poſtmodum iterandum; qua in repetitione aperturæ maxima conſiſtit utilitas. Etenim totus panniculus adipoſus pure ſcatet, tumetque, imo pure adhuc ſæpe plenus ſanguis eſt. Frequenti igitur puſtularum perſciſſione, earundemque deterſione, corpus ingenti copia puris liberatur. Si tunc ſiccis omnibus puſtulis venæ ſectio fiat, eaque, ſi opus eſt, iteretur, liberatur ſanguis, ac totum corpus ab illa materie, quæ poſt curatas variolas oculos, aliasve nobiles corporis partes afficere, vel in cute furunculos excitare poſſet.

Purgantia denique antiphlogiſtica a ſiccatis puſtulis alterno, tertiove die, data, idque ad 3. 4. 5. vicem, prout indicantur, hic optimi ſunt uſus.

Ex dictis multorum habetur problematum ſolutio. Ac 1mo. quidem, Cur Variolæ ſenſim, Furunculi cito; Variolæ ad certam modo tum altitudinem tum am-

ambitum, Furunculi tantas excreſcant in moles?

Naſcentibus variolis ſanguis a materie prava paulatim expedit ſeſe, idque eodem tempore innumeris propemodum ſæpe in locis: ſucceſſu temporis novam materiem adjicit, lentaque aggeſtione papulas elevat. Si non pergit replere easdem omnes, diſparent quandoque priorum nonnulla ſtigmata, & reliquæ implentur. Furunculi vero oriuntur a dudum jam præparata, id eſt, a phlogiſtica, ſeu purulenta materie, ſive in ſanguine oberrante, ſive in panniculo adipoſo detenta; quæ eadem creſcentibus vitæ viribus ſub cute effunditur, & in tumorem, qualem adpellens materia requirit, aut in quantum cutis tam ſubito ſe extendi concedit, attollitur: pari ferme ratione, qua critica in Acutis materies, ad aures, inguina, tibias, imo ad brachia crurave, aut alias corporis partes, ſubitos ſæpe creat, magnosque tumores.

2. Undenam ſubita mors viſa aliquoties maturis in variolis, ſine ullo puſtularum prolapſu, imo cum puſtulis ipſo in cadavere pure ſcatentibus?

Pus poteſt in extantibus papulis manere, ſed de toto panniculo adipoſo reſorberi, cum ſanguine ad vitalia loca deferri, & ſic perſcindere vitam.

3. Unde ptyalismus ſæpe in variolis? Oritur is paſſim brevi ab eruptione, inque undecimum diem, vel & diutius, perſeverat. Unciæ 5. 7. 10. 12. 15. 20. & plus, nucthemeri ſpatio, evacuantur. Aquoſa, leviter tenax, ſubalbida, quæ ejicitur, materies eſt. Si variolis ſiccari cœptis, conſidenteque facie, ceſſat ptyalismus, malo id fit ægrorum omine, niſi manus aliquantiſper, ac pedes, tumidi perſiſtant eſſe. Etenim veneno infectus humor, haud ad cutem duntaxat, ſed ad glandulas ſalivales adplicat ſeſe, & ipſo humore ſalivali dilutus, ore excernitur. Porro apertura puſtularum id qualecumque damnum reſarcit, quod a ceſſante maturius ptyaliſmo, aut facie ac manibus citius collabeſcentibus, naſci potuiſſet.

4. An

4. An puſtularum perſciſſio quid confert ad conſervandam venuſtatem? Optimus *Diemerbroëckius* in egregio ſuo *de Variolis ac Morbillis tractatu* eandem condemnat, ut cutim deturpantem: forte ita eſt ſi unica modo apertura fiat; ſed ſi, ut dixi, pluries repetatur, ſane non deturpat, at emendat. Materies enim ultra ſub cruſta ſtagnare, propriumque ſinum erodere, non poteſt. Hinc multi eam ſollicite commendavere. Ducentis fere abhinc annis laudavit eam Clariſſimus meus hac ipſa in Cathedra Anteceſſor *Joannes Marcquardus*, *pract. theoret. empir. pag.* 348. Commendaverunt *Yvo Gaukes*, celeber apud *Emdanos* Medicus, *prax. chir. & med. cap.* 60. *Sidobre* famoſus apud *Monſpel.* Medicus, *Tract. de Variolis pag.* 228. & ſeq. *Drelincourt Leyd. Profeſſor*, *de Variol. pag.* 27. *De la Metrie*, *Traité de la petite verole pag.* 160.

Ratio ex dictis patet. Puri nulla ſuppeditatur facultas denſa ſub cruſta partes ſubjectas erodendi, conſumendique ita celluloſam membranam, ut cutis fœde cum muſculo concreſcat. Certe multis ab annis hac methodo uſus, teſtor me, qui profundis cicatricibus defœdatus eſſet vidiſſe neminem.

Equidem inſitio Variolarum optima audit conſervatrix venuſtatis: hincque Circaſſienſem, ac Georgicam gentem fœmineam illibata pulcritudine conſervans, a tantum non omnibus inſitionis patronis una voce laudatur. Confirmantque itineratores. Scribit *de la Mottraye*, quo per Circaſſiæ montes, prope mare Caſſicum magis penetraret, eo formoſiores ſe fœminas conſpexiſſe; cauſamque expiſcatum didiciſſe, quod uni id deberetur inoculatoni. *Voltaire* omneſque pene alii, ore id uno confirmant. Sed quæ ad commendandam inſitionem undiqe congeruntur, utinam omnia vera eſſent! *Voltaire Lettr. Phil. XI.* ut rem certam, imo famoſus in inoculando *Timoni*, ut teſtis oculatus, aſſeverant *Thracibus Muhammedanis* acceptam adeo inſitio-

ſitionem videri ut eorum Magnates eandem ſuis, mox ubi ablactati ſint, infantibus, inſtituant: cum tamen certo conſtat *Turcarum* neminem unquam inſitionem hucusque admiſiſſe.

Unde ſi teſtes liceat cum teſtibus conferre, tota forte mutabitur ſententia. Eruditiſſimus & exactiſſimus *Tournefort*, *Voi. du Levant. Epiſt.* 18. „ Georgicas „ fœminas quod attinet, certe ipſas nos veneres viſu- „ ros, fide Autorum arbitrati, invenimus illas, quibus- „ cum nobis agendum erat, haud inamœnas quidem, „ ſed minime pulchras - - - - ut neque etiam fœminas „ civicas. Ut meritiſſimo jure concludam id aſſeri „ poſſe, quod Hiſtorici peregrinatores ſuum ludere „ ac fallere lectorem voluerint, Georgicarum jactan- „ tes venuſtatem. R. R. P. P. Capucini una nobiscum „ ſentiebant, potius, quam peregrini ſcriptores, rerum „ gnari, quippe qui *easdem fœminas*, ut ſordido fuco, „ quo facies ſibi ſuas illinirent, abſtinere vellent, lon- „ go jam tempore incaſſum hortati eſſent.

CAPUT XIII.

De Herniis.

Hernia incarcerata quotannis homines plures in Auſtria perimit: & licet fumus Tabaci dexterrime adplicatus inſtrumento, quod prioris anni diſſertatione indicatum fuit, vitam pluribus ſervaverit, non ſervavit tamen omnibus. Quorum caſus adnotaſſe æque juvat, arti æque confert, quam fortunatorum meminiſſe: en igitur memorabiles binos!

1757. Aprilis tertio, tertio morbi die, obiit mercator 20. annorum, cui a biennio Hernia inguinalis inculpate geſta, triduo ante mortem incarcerata fuit. Herniotomiam pertinaciter recuſavit: tabaci fumus

nil ipſi profuit. In cadavere Hernia adparuit inguinalis phalangem pollicis primam mole æquans. Saccus Peritonæi, ope cellulosæ membranæ, arcte undique cum integumentis externis concreverat. In ipsa Hernia Omentum cum Sacco Peritonæi arctiſſime, lata fortique concretione, coïverat. Inteſtini Ilei ad pedis circiter a valvula Bauhiniana diſtantiam portio, dimidia ſuæ diametri parte, intra Herniam erat, reliqua vero ſui portione in abdomine; non accreta aut omento, aut ſacco ſuo. Loco autem ſuæ in annulo conſtrictionis ſtriam impreſſam geſſit, tota in ſacco gangrænoſa, minus in abdomine. Ipſe quoque Peritonæi ſaccus gangrænoſus.

Hernia ergo Omenti inculpate geſta biennio, cauſa proëgumena fuit Herniæ Inteſtini, triduo ante mortem contingentis. Operatio Chirurgica Herniam omenti difficulter, eam Inteſtini facile, curaſſet; dum, repoſito inteſtino, inſtrumentum idoneum, ſeu Brachierium, ne recideret, adplicuiſſet: ejusmodi enim compreſſionem Omentum commode ferre multa exempla docent. Sed mira quam machina ſumus! Media pars inteſtini in Hernia intercepta eſt, altera in abdomine libera, & tamen inde morimur. Quid ita? a morte omnia flacceſcunt; in vita autem videtur portio inteſtini libera a portione altera, vehementer compreſſa, ſimul ſpasmodice conſtricta fuiſſe, adeoque omne per inteſtinum iter penitus occluſum. Quin necdum ſpasmus plane ſolutus erat. Evidenter id docuit inteſtini, a loco compreſſo, ad *Tulpii* valvulam, vacuitas; dum reliqua inteſtina omnia vehementer turgerent. Hanc Herniæ ſpeciem *Heiſterus*, & Chirurgi *Acad. Reg. Par.* pluries notarunt.

2. Fœmina annorum 49. commodam a biennio Herniam, quæ quoties prolabebatur, ſponte retrocedebat, geſſit: Strangulabatur vero pars 1. Aprilis 1757. Auxilia omnia artis, repetita fumi Nicotianæ injectio,

pro-

profuere nihil. Propoſitam ſæpius Herniotomiam ægra recuſavit pertinaciter. In 10. morbi diem protractis miſeriis, obiit. Omnis tenſio, cuncta partium durities in cadavere aberat. Quatuor diverſas craſſasque tunicas perſcindere, ac ſolvere oportuit, antequam ad ſaccum Herniæ pervenerimus. Non inſuetum hoc; vidi ultra viginti varias membranas ſolvi oportere, antequam ad verum Herniæ ſaccum perventum eſſet. Saccus porro in hac fœmina perſciſſus, ne aquæ quidem guttulam fudit; quæ aqua alias operantem convincat, ſe ſaccum peritonæi penetraſſe. Omentum prodigioſa portione cum ſacco concretum erat. Inteſtini Ilei portio integra in Hernia intercepta, accreta nullibi, ad duos cum dimidio pedes a valvula Bauhiniana.

Igitur Hernia Omenti toto biennio videtur adfuiſſe, ea vero inteſtini per vices duntaxat; ultimis vero decem diebus ſtrangulata. Cohæſio firmiſſima Omenti, tunicarum numerus, inteſtini libertas, abſentia ſymptomatum, id ita credere ſuadent. Operationem tunicæ multiplices difficiliorem, ac diuturniorem, reddidiſſent; defectus in ſacco aquæ, incertiorem; Omenti repoſitionem, impoſſibilem; Inteſtini, facilem. In hoc corpore iterum obſervavimus, æqualem, denſam, flavam, cruſtam, fere omnia inflammata inteſtina penitus contexiſſe.

Liceat ob rei affinitatem hic tertiam adjungere hiſtoriam. Homo 74. ann. in Noſocomio Civico habitans, febre ac tuſſi afficitur. Optimus Noſocomii Phyſicus voluit debitam gerere ejus curam. Patiens vero renuit; vixiſſe ſe ſatis, vitamque annoſam ſuam adhuc protrahere velle indecorum eſſe arbitratus; quare & paucos intra dies attigit metam. Cadaver ad me delatum, Herniam enormis magnitudinis oſtendit, quam in ſuo Noſocomio nunquam indicaverat, cujusque nulla unquam ibidem ſymptomata perpeſſus erat: quo enim morbo periit, nullam is habuit cum Hernia ſimi-

litudinem. In ſacco Peritonæi maximo hærebat portio ſesquipedalis Inteſtini Ilei, una cum ſuo ultra quatuor digitos alto Meſenterio; prætereaque totus quantus Cæci ſaccus, cum ſuo vermiculari proceſſu: proceſſus vero hic intime fuit cum Meſenterio, & cum Ileo, concretus. Aderat denique & Omenti portio, quæ nullibi ad inteſtina, arctiſſime autem ad Peritonæi ſaccum, adnata. Hiantem admodum annulum dudum a Natura factum conjicimus, hinc hominem pravis caruiſſe ſymptomatibus. Forſitan Omenti Hernia dudum adfuit, eaque inteſtini olim ſæpe intravit, exivit; a longa tamen die inteſtinum ſuum ultra ſaccum non reliquiſſe videtur, eo quod vermicularis proceſſus cum variis Ilei voluminibus, Meſenterioque, intime coiviſſet. In ſitu enim, quem in ventre inteſtina obtinent, talem concretionem fieri impoſſibile foret.

Ponamus hunc hominem olim ab Hernia, licet non ſtrangulata, metu duntaxat futuræ incarcerationis, radicitus curari voluiſſe: quid hic futurum fuiſſet? Commoda fuiſſet operatio, & reductio facilis, ſaltem inteſtinorum; cum ea nullibi annexa, & adeo hians annulus. Brachierium ampliſſimum locum forte claudere, ne relapſus fieret, potuiſſet; at vero firmiſſima illa non ſolvenda concretio Vermicularis proceſſus, dolores effeciſſet, & ſpasmos, & vomitus, & febres, & denique mortem: quæ omnia aberant, quamdiu omnes hæ partes, ſic apte collectæ, in ſacco hærebant.

Ex omnibus patet, Herniotomiam utilem, imo neceſſariam eſſe, maxime ſi Chirurgi in ea frequenter peragenda dexterrimi ſunt: qualem ſane laudem Chirurgis Haga-Batavis multis debeo: attamen caſus dari, ubi & anceps, & inutilis, imo & noxia, eſſe poſſit.

Cæterum quantus hominum numerus me quotidie inter pauperes accedat, qui Herniis laborent, omnem pene fidem ſuperat. Ita ut Medicorum, ac Chirurgorum induſtria, ſtudiumque, hinc excitetur oporteat,

quo demum artem hernias tum palliative, tum curative tractandi egregie poſſideant.

CAPUT XIV.

Nonnulla de Tympanite & Ileo morbo.

Qui me pauperes quotidie conſilii cauſa adeunt, Tympaniten multi incuſant, ſcatentque mentione ejus monumenta ſcriptorum. Morbus eſt multa externo adſpectu conſimilia cum Hydrope aſcite habens, ſed in eo potiſſimum illi diſſimilis, quod venter in illo rite examinatus fluctuationem aquarum denotet, in hoc vero percuſſus inſtar Tympani reſonet: quam ob cauſam & id nominis eſt adeptus. Conveniunt eo usque Autores: ſed in vera ejus natura determinanda, aſſignandaque vera ejus ſede, titubantem non firmant Lectorem. Unde, antequam propriam meam experientiam afferam nonnulla præfari oportet.

Hipp. Coac. præn. N°. 458. & *Aphor.* 4. *N°.* 11. de Tympania loqui videtur *Hydropis ſiccæ* adpellatione. Veram autem ejus ſignificationem ex eo, ejusve interpretibus, imo ne ex ipſo quidem *Galeno*, habemus.

Celſus Lib. 3. *Cap.* 21. componi hujus morbi materiem ex aëre cenſet commiſto cum aqua: utrum vero in cavo abdominis ejus ſedes, an in inteſtinis ſit, haud determinat. *Aretæus* ſedem cavo in abdomine ponit, materiem nunc aquam, nunc ſpiritum, vocat. pag. 43. 49.

*Goræus Def. med. p.*477. materiem credit flatus eſſe, qui nubiloſi fiant: unde non merus aër, ſed cum aëre miſtus humor ſit. Quo vero in loco hæret, non definit.

Hollerius comm. in Aph. & maxime *Libr.* 1. *de morb. intern. cap.* 39. *in Scholio* vix a *Goræo* differt. *Dodonæus*

obſ. med.: cap. 28. & in *Schol. ad Beniv.* Tympaniam duplicem agnoſcit: alteram acutam, ut in Iſçhuria, & Colica clauſa pertinaci; alteram vulgarem, quam non explicat.

Quicumque præterea autores a *Boneto in ſepulcreto anat. tom.* 2. & a *Mangeto Bibl. med. tom.* 2. laudantur, ii omnes quoad theoreticam, & pathologicam expoſitionem, nihil lucis conferunt.

Boerhaavii aph. 1226. *&* 1251. Materiem ponit aëra eſſe, ſedem vero vel in cavo abdominis, vel in duplicatura Peritonæi; (quam duplicaturam primo tempore ſuo adhuc cum cæteris admittebat) vel in dilatatis glandularum cavis; idque duplici modo: 1mo. a rarefacto vapore humoris extravaſati, aquæ nimirum, aut puris, aut ichoris. 2do. ab aëre, per membranas inteſtinorum putrefactorum perforatas, in cava dilapſo; qui idem, dum retroire non poſſet, calore corporis rareſceret.

De Gorter in Aph. Hipp. Sect. 4. *N°.* 11. credit poſſe in Meſenterio ſuppurationes fieri, effundique materiem in cavum abdominis, quæ putreſcens aërem perpetuo generaret, dum pus copioſius interea fluere pergat.

Riverius, *Sennertus*, *Foreſtus*, aliique boni autores, modo explicant antiquo. Solus *Duretus adnot. in ſuam enarr. in Holl. locum.* mox laudatum, ut *Boerhaave*, & *de Gorter*, materiem modo flatum eſſe definit; ſed in eo ab omnibus diſcrepat, quod ſedem mali non Abdominis, ſed inteſtinorum ac ventriculi cavum, fere ſemper eſſe ſtatuat.

Viſis his, quæ de hoc morbo theoretice ſcriptitata ſint, conſulenda eſt Anatome. *Schenckium*, *Bonetum*, *Mangetum*, aliosque caſuum anatomicorum collectores, conſulentes, invenimus ex innumeris hiſtoriis allatis id colligi oportere, quod materies morbi raro aqua, paſſim aër eſſe inventa fuerit; ſedes autem vix

ca-

cavum abdominis, ſed potiſſimum expanſa inteſtina & ventriculus, ſit reperta. Hæc, inquam, omnes caſus deſcripti clamant, paucis exceptis, qui ut aliter exponuntur, ita etiam, ob dubiam enarrationem, eodem, quo priores, modo, exponi poſſunt. Si nunc his addamus omnia, quæ doctiſſimus, deque re medica ac chirurgica bene meritus, *Littre* habet *Mem. Acad. Reg. ſc. Par. an.* 1713. *in* 8. *a pag.* 314. *ad* 324. demonſtratum fere habemus, Tympanitem eſſe aëris collectionem in ventriculo inteſtinisque extenſis: inventa paucis duntaxat in corporibus aqua in cavo abdominis, quod ob cachexiam univerſam neutique mirandum.

Dabo nunc, quem promiſi, caſum. Homo tympaniticus a triennio, gravi demum Ileo, ſeu Miſerere mei, affectus, in Noſocomium noſtrum inducitur. Imminentis mortis probabilem certitudinem vix ipſe potuit perſuaſam ſibi habere, eo quod idem malum, cum ipſo vomitu ſtercoreo, ſingultu gravi, virium dejectione, triennii ſpatio bis perpeſſus, tamen in vivis manſiſſet. Adplicatis incaſſum omnibus, ipſoque Nicotianæ fumo, intra triduum expiravit.

Inciſo abdomine invenimus ad ſeptem circiter pollicum diſtantiam a principio Recti, coarctationem firmam Coli inteſtini, veluti circumductum filum id arcte conſtringeret. Ad hanc conſtrictionem tota excrementorum moles, potuumque, & aëris, ſiſtebatur. Sub conſtrictione Colon gracile, Rectum non expanſum. Cæterum colon integrum a parte conſtricta, ad Cœcum usque, hic brachium, illic femur, hominis adulti, amplitudine æquabat; ipſaque tenuia inteſtina omnia, ut & ventriculus, duplo, triplo, naturalem diametron ſuperabant. Diuque quod duraſſet Tympanites, nec ſufficienter extendi venter potuiſſet, Thoracis mutata figura fuit: ita quidem ut & latiorem illum & breviorem feciſſent coſtæ quatuor ſuperiores,

 fere

fere ad ſe invicem adductæ; Octo inferiores, elongatis incredibiliter muſculis intercoſtalibus, omnino extrorſum ductæ. Gibboque in carnoſis ſuis partibus Diaphragmate ad quartam ſuperiorem coſtam pertingente, & ſterno inferiore extrorſum valde incurvato, Thorax cum compreſſis pulmonibus, & parvo corde, incredibile quam arctus! abdomen eandem ob cauſam quam amplum eſſet!

Quantum ex hiſtoria mali colligere datur; in primo morbo Ileo, quem homo triennio ante mortem paſſus erat, inflammatio nata ea in Coli regione fuit, in qua nunc calloſitas, & conſtrictio, a morte inventa eſt. Et cum diu, pertinaciterque, alvus ipſi tunc temporis clauſa eſſet, inteſtina ita extenſa fuere, ut Tympaniæ ſpeciem præ ſe tulerint; eamque quod deinceps ſoluto morbo elaſticitatem & vim contractilem non recuperarent, ſemper ſervaverint. Quum ſedes mali primi adeo proxima ano eſſet, videntur enemata crebra eam tunc temporis ita ſolviſſe, ut ſubſtantia quidem Coli vitiata manſerit, tranſitus vero aliquis materiæ inteſtinis contentæ daretur. Manſit tamen cauſa Ilei proegumena; ita ut ſecundo, nata quacumque de cauſa nova conſtrictione, novus Ileus cum omnibus ſuis teterrimis ſymptomatibus prognatus ſit: ſimulque ex iterato Ileo aucta iterum fuerit Tympanias. Tertia vero vice, cum gangrænam expanſa inteſtina minarentur, Ileo ſuccubuit homo.

Confirmat hic caſus manifeſto id, quod ex omnibus ſectionibus cadaverum ſupra concluſi, de ſede, materieque, mali; præbetque morbus ita conſideratus facilem intellectum medicum.

Verum hinc necdum difficultatem ſolutam videmus, quam contemplatio valvulæ dictæ *Bauhinianæ*, ſeu *Tulpianæ*, parit; quum prorſum, quando obex in Ileo hæret, impedire videatur, ne ex Colo quidquam in Ileum remeet.

Doctiſſi-

Doctiſſimus Morgagni adv. 3. *N°.* 9. &c. dubitat de veritate relationum *Matthæi de Gradibus*, quibus fertur, enemata non modo, ſed & ſuppoſitoria, eaque filo circum anum ligata, abrupto vi filo adſcendiſſe, valvulam ſuperaſſe, ore ejecta eſſe. Quidquid de his hiſtoriis ſit, id ſaltem *Hipp. Lib. de ſalubr. vict. rat. Edit. Foëſ. pag.* 374. enarrat, id experientia continuata demonſtrat fœces ex ore quandoque pauca, aliquando magna exire quantitate; deinde enemata ipſo ore ejici non eſt quod negemus. *Ill. Præſes ad Aph.* 960. *Boerh.* „ Clyſmata, inquit, vomitu excuſſa fuerint, uti certiſſime in Ileo factum novimus; nam & probatiſſimi Autores hoc obſervaverunt, & ipſe manifeſte „ vidi".

Quum hæc ita ſe habeant, duæ vix ſuperabiles quæſtiones moventur; quarum prima petit, qui unquam hujus valvulæ reſiſtentiam ſuperent fœces, aut enemata: cum eadem etiam in denatis tantæ reſiſtentiæ ſit, ut neque aquam, neque flatum, transmittere ſoleat? Altera quæſtio eſt, qui fieri poſſit, ut obice inſuperabili in inteſtino tenui tranſitum denegante, enemata tamen tranſiiſſe obſervata fuerint.

Ad primam difficultatem ſolvendam plures varia tentamina edidere. Viri in arte celebres, *Bianchi*, & *Mangetus*, valvulæ, ut valvulæ, functionem negaverunt, remque publica cadaverum demonſtratione ſe confeciſſe putarunt. Verum hos adeo evidenter refellit *Clariſſ. Morgagni.* adv. 3. N°. 9. 10. 11. 12. 13. ut nulla eorum erroris dubitatio ſuperſit. Vidi Clariſſimum B. S. *Albinum*, meum æternum venerandum in phyſiol. anat. & chirurgicis Profeſſorem, de induſtria hanc valvulam ita præparantem, ut præciſe referret id, quod *Bianchi* voluiſſet, ſed ejus ſimul errorem indigitabat. *Albinum* imitatus, idem præparatum Auditoribus meis oſtendi, in quo videre, ſine adparente partium læſione, ſed modo nimia mundatione, valvu-

lam fere diſparuiſſe. Sed ex vitioſa præparatione cum nihil concluditur, totum hoc *Bianchi & Mangeti*, argumentum corruit.

Altera explicatio eſt eruditi *Haguenot*, cujus hac de re diſſertatio habetur in *Mem. Acad. Reg. Scient. Par. anni.* 1713. ad finem ipſum illius tomi; inſertaque invenitur ab egregio *Hallero in Diſp. anat. Vol.* 1. fere in medio, defenſa *Monſpelii* 1715. Credit ille Auctor quantitate liquidorum, enematibus injectorum, ita Colon & Cœcum extendi, replerique poſſe, ut apertura, valvula alias claudenda, nunc ampliorem circumferentiam habeat, quam ut valvula eam ultra expleat: unde fœces cum enematibus, imo cum ſuppoſitoriis, facile in Ileum tranſire poſſint, tumque evomi.

Hæc *Haguenoti* ſententia quandoque poteſt locum habere. Erat enim in noſtro Tympanitico ejusmodi valvulæ *Bauhinianæ* conditio. Aucta quippe Coli, ac Cœci, Ileique, ita diameter fuit, ut valvula ne tertiam forte aperturæ partem tegeret, ſuoque ideo ſungi munere non poſſet. Hic igitur caſus cum *Haguenoti* idea convenit. Eo ſemel poſito, facile ego expono fœcum ex Colo in Ileum tranſitum, earundemque vomitum; cum obex, Ileum efficiens, in Coli fine, Recto proximus, hæreret.

Sic inquam, ego meum caſum commode explico: qua vero ratione ſe hic *Haguenotus* extricet, non video. Namque felibus ac canibus ſuis, vulnerato abdomine, Ileum inteſtinum filo circumſtrinxerat, vulnus conſuerat denuo, exploraturus utrum univerſo periſtaltico motu, quod omnes cenſent, an vero ſolo motu Diaphragmatis, & abdominis musculorum, quod ipſe aſſerit contra omnes, vomitus obtingeret. Mirabile prorſum doctiſſimum virum id præteriiſſe, quod licet modum utcumque explicaret, quo immiſſa enemata & ſuppoſitoria valvulam Cœci tranſeant, filo tamen conſtrictum Ileum iisdem neceſſario tranſitum ne-

negare deberet. Hanc totam impoſſibilitatem prætervidit; non enim Colon ligavit, ſed Ileum.

Tertia explicatio eſt egregii *Hales*, *Exp.* 25. *hæmaſt. anim. N°.* 1. & 3. Duplici exemplo evincere annititur quod valvula hæc enematum, frequenter, facileque, ſuperetur: utroque enim exemplo, elutis primo fœcibus, aquam ex Inteſtino Recto ad usque Pylorum duxit. Verum animadvertimus id mortuis in canibus facilius, quam vivis in hominibus, effici poſſe: ſecundo, id experimentum haud vulgari enematum ope, ſed tubo in Rectum inſerto ita factum eſſe, ut in priore cane aquæ altitudo perpendicularis in tubo esſet 5. pedum, in poſteriore vero 18. pollicum. Hinc demum advertit aquam guttatim valvulam Coli tranſiviſſe.

Equidem *Hales* problematice concludit Medicorum fore, ut in deſperatis enemata ejusmodi excogitarent, tantarum quæ virium eſſent, tantaque de altitudine injicerentur, ut ſuperare valvulam poſſent, inflammato dein loco mederi, ipſumque obicem liquefacere.

Sed dico, quod mox ajebam; hæc experimenta mortuis in canibus facta videntur; ubi omnia flaccidiora, adeoque ad experimentum aptiora ſunt, quam in viventibus. 2. Paſſim & in mortuis hominibus ea invenitur ad hanc valvulam reſiſtentia, ut aër, aut aqua, vix ſumma vi queat transprimi ex Cœci ſacco in Ileum inteſtinum: unde forte firmioris fabricæ in hominibus eſt, quam in canibus. 3. *Hales* non ſcribit quibusnam in canibus experimenta fecit? Forte tenellos catulos ſumſit, recenterque natos. 4. An certus fuit aquam Recto injectam eam eſſe, quam ad Pylorum reperiret? ſi, ut ait, in craſſis inteſtinis invenerit fœces, neceſſario in ſuperioribus, ſemicocta materies, & chylus adfuit, per quam debuerit aqua tranſire, vix, imo nullo modo, a chylo diſtinguenda: hinc egregius ille

Ec-

Eccleſiaſticus forte deceptus fuit. 5. Aqua guttatim valvulam tranſeuns, in præcipite hoc morbo fere nil opis videtur allatura. 6. Homo in hoc morbo jactabundus per lectum, vix tamdiu tranquillus jacet, ut commune enema excipiat; quomodo ergo ſuſtinebit lentam hanc operationem? 7. An tubi diuturna adplicatio non excitabit teneſmos in Recto, quibus operatio turbetur? Tamen *Hales* tantæ eſt in phyſicis autoritatis, ut vana dixiſſe vix credatur. Experimenta igitur repetenda & in canibus, & in hominibus, forſan videntur.

Saltem propoſita manet hucusque circa valvulam difficultas. Hæc ergo ſi manet, & quidem ita, ut non niſi rarus Tympaniticorum caſus, qualis ille noſtri erat, tranſitum per eandem concedat; an vomitus fœcum, toties in Ileo morbo obſervandus, non ſit incomprehenſibilis? Neutiquam. Pluries enim jam publice Auditoribus demonſtravi, reperiri veras fœces ſtercoraceas in Ileo inteſtino; manifeſtius vero nunquam, quam 10. Dec. 1756. ita ut ad diſtantiam 3. pedum, ac. 2. pollicum a valvula Tulpiana, iterumque ad diſtantiam 3. pedum & 8. pollicum, craſſum ſtercus alvinum, conſiſtentia, colore, fœtore, ab omnibus deprehenderetur. Aliis vicibus demonſtravi etiam liquidam illam materiem, quæ a valvula coli incipiens per aliquam Ilei longitudinem continuaretur, fœces fœtore referre.

Rem hanc evidenter demonſtrant denatorum poſt hernias ſuffocatas examina. Stercoreos vomitus paſſi, exhibent ſæpe Ileum in hernia æque ſtrangulatum, quam in vita fuerat. Cum autem nulla via a colo in ventriculum patuerit, fœces evomitas ex Ileo prodiiſſe neceſſe eſt. Hinc nulla videtur difficultas eſſe in fœcum exponendo vomitu, clauſa quamvis coli valvula maneat.

Sed altera quæſtio antea propoſita, cur enemata & ſup-

ſuppoſitoria ano immiſſa ore reddantur, obice intermedio viam intercludente? Hæc inquam, majorem difficultatem parit. Paucis tamen reſpondebo impoſſibile videri, ut contingere id queat. Porro ſi enemata ore reddantur, obicem utcumque removeri neceſſe eſt. Removeri autem illum poſſe arbitror, quando gangrænoſa inteſtini diatheſis nasci inchoat, ita ut conſtrictio laxetur, utque aër in inteſtinis contentus omnia extendat, ventremque tumidum reddat. Extenſis inteſtinis omnibus ab aëre, magis magisque in loco calido ſe expandente, etiam apertura Ilei ad Cœci ingreſſum grandescere poteſt, ut valvula illi claudendæ non ſufficiat. Via igitur nunc patula eſt. Sed jam æque ad inferiora, quam ad ſuperiora, exitus pandit. In ſyſtemate doctiſſimi *Haguenoti* oporteret nunc æque, imo magis, ad inferiora viam affectare, quam ad ſuperiora. Attamen non per inferiora, ſed per ſuperiora, enemata ac ſuppoſitoria exitum moliuntur. Ergo non ſolus Diaphragmatis, & abdominalium musculorum motus reciprocus, ſed quidam adhuc in incipiente Gangræna Inteſtinorum ſuperſtes inverſus periſtalticus motus, omnia nunc ex iisdem per ſuperiora ejicit. Summum vitæ diſcrimen hic adeſſe, imo mortem fere certam, facile quisque videt.

Quid ſi in tali ſtatu nec vomitus, nec alvus adesſet? Cum gangrænoſa inteſtinorum diſpoſitio hanc quietem faceret, mors ſtaret in procinctu.

Si vero vomitus ceſſaret, & alvus flueret, quid tum? Si notabilis gangræna occupat inteſtina, alvus illa nil deſignaret, niſi paralyſin inteſtinorum, & ipſius Recti: mortem proinde jamjam futuram.

An omnis ſtercoreus vomitus mortem infert? Pasſim. Tota id antiquitas, omnesque recentiores, centenis ex caſibus, concludere debuere. Exceptiones tamen regula generalis habet. Nam 1mo. Noſtri tympanitici, poſt tertiam demum vicem morientis, hiſtoria

ria contrarium docet. 2do. *Garengeot in Acad. Reg. Chir. Par. in 8. edit. tom. 1. part. 3. pag.* 355. ab Hernia inteſtinali in foramine ovali oſſis Iſchii & pubis, cum vomitu ſtercoreo, ſcribit ſe fœminam integre reſtituiſſe. 3tio. *Bonetus Med. Sept. Tom. 1. Lib. 3. Sect. 15. Cap. 29. 30. 32.* homines tres curatos refert ab Ileo, cum ſimili vomitu, cum ſingultu. 4. In famoſa hiſtoria *M. de Gradibus* legitur poſtea reſtituta ſalus.

Ratio poteſt eſſe triplex. 1. Poteſt caſus eſſe in aliis, qui noſtro in tympanitico fuit. 2. Potuit materies eſſe ea, quæ ſupra locum obſtructum in Ileo, quæque ſupra demonſtrata fuit ſtercorea eſſe, dum tamen poſthac vel arte, vel natura, morbus ſolvitur. 3. Vel ut alibi obſervatur inceptam gangrænam ſiſti, & a vi vitæ ſuperſtite languentem hanc partem reſuſcitari, ita & in inchoante gangræna inteſtini forte nonnunquam contingit.

Nunquid Tabaci fumus non tranſit valvulam Cœci, ut ad obſtructum in Ileo locum perveniat? Dubia res eſt. Eſt equidem ſubtili ac penetranti huic fumo plus quam aliis corporibus tribuendum; ſed Cap. 13. invenimus Ileum penitus collapſum & anguſtum inter herniam, & valvulam, poſt injectum ſæpiſſime fumum. An aër copioſus, & denſus, compreſſusque, in Cœco præſens, non impedit, quo minus fumus penetret? Exit quidem cum vi ex ſiphone noſtro, ſed vis illa quatuor coli flexibus imminuitur, frangiturque. Et ſi ex eo perveniret, an irritatione annulum non conſtringeret, ut valvula locum arctius clauderet? An hic fumus eos modo liberet, quibus eſt in Colo obſtaculum? Plura experimenta erunt conſulenda antequam certi quidquam ſtatuatur.

De Nonnullis Infortuniis Noſtris.

De felici quorundam malignorum morborum cura cap. 10. & 11., egi; de infelici vero, in qua noſtra nos ars plane defecerit, impræſentiarum agam: quibus demum hiſtorias addam, quæ abunde demonſtrent, ſummam Medicorum attentionem in rebus adverſis & infortunatis, viam ipſis ad magnam curandi fortunam ſternere poſſe.

11. Jan. 1757. filiam 16. annorum Parentes ad me adducunt, cui elapſis duobus ab illinc annis fauces doluerant. Inſpicientes illi, præter rubram, eandemque transverſam, in Uvula lineam, nihil deprehenderunt; menſibus vero tribus poſtea, punctula parva, granorum milii inſtar: poſtquam uvula ſenſim deſtructa, deglutienda per nares redierant.

Ubi annum agebat morbus, utraque narium ala induruit, ſiniſtra autem, ſuperiore ſua parte, mox infra Canthum majorem oculi, tumuit magnopere, iterumque ſubſedit. Fiſtula interim lachrymalis hac compreſſione nata, continuo ſtillicidio excoriaverat naſum genamque. Puſtulæ dein duræ in ſuperiore labio animadverſæ: Labium deinde univerſum exulcerabatur, naresque ſimæ, ut & exedi cartilagines cœptæ. Fœtorem autem nunquam aut puella, aut parentes, in parte percepere, ſpiritumque perpetuo ipſa potuit per nares ducere. Vox vero penitus perierat, ita ut quosvis edendæ vocis ſonoræ conatus fruſtra ederet. Porro puellæ parentes, ac cætera proles, fuerant ſemper, erantque, illibatæ ſanitatis: ut & ipſi teſtabantur, & ſcripta ad me informatione pagi Judex affirmabat.

Accurato, & circumſpecto examine inſtituto, nullam cauſam veneream potuimus ſuſpicari. Dantur malignæ Aphthæ, de quibus egit *Sennertus*, & circa quas pul-

pulcerrima obſervata nobiſcum communicavit *Ill.* *noſter Præſes in Comm. Cap. de Aphthis.* Sed temperies flaccida, acrimonia ſcorbutica, acida, omnis fœtoris abſentia, hanc aphtharum ſpeciem ægrius admittunt. Attamen acido-mucoſa infantum temperies peſſimas, ac diuturnas, in capite, facie, & alibi, exulcerationes progignit: an hinc igitur in hac puella phagedenicum ulcus fuit, quod materies partes molliores, mucoſioresque, aggreſſa ſit?

Remedia antacida, & antiſcorbutica, ſalutaria in minus provecto malo, mihi hic debiliora videbantur; unde ad catholica quædam immutantia animum advorti. Granum dimidium Merc. ſubl. corr. cum unc. 1. Spir. frumenti, quotidie dedi, epotis ſimul lactis & aquæ libris ana binis. Saturatiſſimo Lithargyrii aceto loca externa ulceroſa aſſiduo irrorabantur in principio: quod propter nimias inde enatas cruſtas repudiatum, ejusque loco unguentum nutritum, *ſine corpore* dictum, illinitum eſt. Hinc intra 7. Septimanas effectum id, ut primo redirent vires ſanumque cachecticotata puella nanciſceretur colorem: ſecundo, ut cute, rubicundiore licet, renata, ulcus ſaneſceret: tertio, ut deglutitio iterum perfectiſſime perageretur; quarto, ut in altam perfectamque vocem aphonia mutaretur. Continuavi remedia eadem ad medium usque Aprilem, quando gaudium hoc triſtiſſima ſcena excepit.

Febris 16. Aprilis puellam prehendit, cum ſymptomatibus febris varioloſæ, quæ etiam ut talis tractabatur. Suſpicione futurarum variolarum nata, adeſſe illi propter conſultationes aulicas, eo tempore quotidie adeundas, ultra non potui: ſed doctiſſimus Medicus *Erndl.* pro ea, qua eſt, humanitate, ſuſcepit in ſeſe puellæ curam, Medicinæ Studioſis explicuit, & mecum quotidie ſuper morbum contulit. Quamvis inviſere eam ultra non potuerim, in pleno, tamen auditorio diſcipulis eventum triſtem, ſi forte variolæ ſucce-

cederent, vaticinatus ſum, eo quod eruditi ſodalitatis *Edimburgenſis* Viri triſte exemplum communicaſſent *part.* 3. §. 1. „Nonnulli, inquientes, qui mercurio „ curati, notabili adhuc tempore æthiope minerali „ utebantur, confluentibus variolis petebantur, ac „ peribant".

Quarto igitur morbi die variolæ prodierunt confertim, mox, & ubique, confluentes. Quinto die linguæ ac maxillæ ſpasmus, tetanusque, adfuit, per duas cum dimidia horas, eoque ſoluto, earumdem, 4. horarum ſpatio, Paralyſis: poſtquam ſine ullo ſuperſtite vitio hæc ſymptomata ceſſarunt. Die ſexto maculæ rubræ videri cœptæ, creſcere, diſparere hinc inde, aliis redire in locis; quibus abigendis cum aliis adhibitis remediis Spiritus Vitrioli fruſtra fuit. Ptyalismus adfuit, &, quod præter morem, ſaliva fœtuit, veluti ſi a Mercurio excitata fuiſſet. Cortex peruvianus undecimo die datus, non profuit: interiit decimo tertio.

Alterum infortunium enarrabo. Menſe Junio proxime elapſo puella octennis, univerſo corpore exæſtuans, gelidam aquam affatim hauſerat. Peripneumonia capitur. Quæ demiſſa ſibi, penitusque neglecta fuit. decimo quarto die venit mater petitura conſilium, medelam; geſtans puellam brachio. Febris aderat ſuppuratoria, & jam tum leves inchoabant efflorescentiæ in facie, haud multum ab incipiente ſcarlatina abludentes. Quatriduo poſt, abſumtis remediis, eam mater, ſummo mane, reduxit. Febris aderat tunc valida, Dyſenteria, Eruptio ſcarlatina copioſa. Matri ſuadeo filiam propter evidens periculum ſinat in Noſocomio tractari. Conceſſit. Dum rem penitius introſpicimus, idque microscopio, adparent inter Scarlatinas maculas & elevationes vera dicta Miliaria alba. Quadruplex ergo morbus, ex æquo gravis, in puellæ perniciem collineabat: ſuppurans poſt inflamma-

tionem pulmo, Dyſenteria, Scarlatina, Miliaria.

Ad veſperas ejusdem diei videbamur duas, tresve, veluti naſcentes variolas, intueri. Altera dies veras, pluresque, in facie, collo, brachiis, conſpiciundas variolas dedit. Ergo ad quatuor priores graves morbos quintus, die totius morbi 18., idemque graviſſimus, acceſſit. Ill. D. *Mac-neveu*, Medic. Prof. Celeberrimus *Pragæ*, ibidemque ſtudii medici Director, Exp. D. Medicus Noſocomii civici *Erndl.*, pluresque alii Medici, qui me, meumque auditorium, ſua præſentia cohoneſtabant, meque ad lectos ægrorum publice diſſerentem ſequebantur, mirum hoc ſpectaculum mecum admirati ſunt. Prognoſin abſolute lethalem dedi, cum ne valentiſſimus quidem homo tot tantisque morbis ferendis eſſet.

Die 19. totius morbi, altera eruptionis variolarum, rubræ maculæ adparuere, Urina penitus ſanguinea, ſanguinea ſputa, Dyſenteria cruenta. *Freind.*, *Mead.*, *Huxham*, conſulentibus, ilico corticem peruvianum dedi, accurate cætera, quæ ars in variolis jubet, exſequutus. Re autem ad diem 22. maxime urgente, ſanguis ad meridiem miſſus eſt, phlogiſticus totus; aliquot deinceps horis denuo miſſus, colore, conſiſtentia, miscela, proportione, ſaniſſimus. Sub finem ejusdem diei mortua eſt.

In priore caſu cortex peruvianus morbi paulo faciliorem effecit tolerantiam, at vitam non ſervavit. An ſerius datus? In poſtremo caſu maturius exhibitus, vitam quæ jamjam exſtinguenda videbatur, utcumque forte prolongavit, mitigavitque ſymptomata ita, ut ægra bono animo redderetur, viribus cresceret, & quamvis ſanguinem alvo reddere ad finem vitæ perrexerit, eundem tamen ultra, poſt datum corticem, neque ſputis, neque urinis, redderet.

Nunquid ergo in ipſa eruptione aut malignarum variolarum, aut aliorum exanthematum; imo nunquid

in ſtadio ipſo contagioſo, ſi & Epidemia, & ſymptomata, malignitatem vaticinarentur, teſtarenturve, cortex non conveniret? imo dandus non eſſet? Cruda, quam profero, ſententia; paulisper emollienda, ac ſequentibus obſervatis maturanda erit.

Doctiſſimus *Weſterhoff*, Poliater *Haganus*, hanc circa corticem obſervationem habuit. Juniorem recens maritatam dominam, tertio menſe gravidam, febris vehemens prehendit ita, ut poſtquam deferbuiſſet penitus, inſignem poſt ſeſe debilitatem relinqueret, metumque futuri abortus. Veſpere, priore gravior, paroxysmus adoritur, a quo abſoluto majus denuo virium diſpendium. Unde ilico liberaliore doſi corticem præſcribit. Redeunte poſtmodum adhuc ſæviore paroxysmo, audaciorem dat corticis doſin. Cum ſequenti vero paroxysmo en! variolas discretas, ſenſim admodum numeroſas, faciles tamen, ſuisque ſtadiis commode decurſis, corpus ſanum relinquentes.

Duo hic caſus docet. 1mo. Contagioſam Variolarum febrim e genere poſſe intermittentium eſſe. Talia inflammatoriis haud inſueta prorſum. Pleuritidem inflammatoriam & ſuppuratoriam, una cum *Ill. Barone van Swieten*, adhuc apud *Batavos* degente, in cura habui, febribus ac doloribus extra Tertianæ paroxysmum prorſum carente homine. 2do. Corticem in violentiſſimo ſtadio variolarum contagioſo optimum ſucceſſum habuiſſe, benigniſſimas dediſſe variolas.

Sed en recentius quid, ac notabilius! 24. annorum fœmina, innupta, poſt ancillaria multa admodum defatigata, 31. Julii proxime elapſo, febre corripitur continua, acuta: cujus ſexta die puncta rubra in facie, collo, humero, pectore, adſint. Die ſeptima ad nos defertur, nonnulla adhuc ejusmodi ſtigmata rubra referens. Reſpiratio difficilis, ſicca crebraque tuſſis morbum concomitabantur. Puncta rubra ſenſim disparuere, ut die nono evaneſcerent prorſum. Crevit in-

terim morbus debilitate, anxietate, vomitu, ſingultu, inque peſſimam Hemitritæam verti die undecimo obſervabatur: ſummo igitur imminente periculo, 12mo. morbi die, corticis uncia data eſt, ante futurum paroxysmum binis ſuis tertiis abſumenda. Sequens paroxysmus mitior fuit; ipſaque continua, cum omnibus ſuis pravis ſymptomatibus utcumque mitigata: eodemque jam die tria in collo Miliaria alba ſub conſpectum venerunt. Corticis uſu continuato perſtitere hæc tria, transparentia admodum, ad 17. morbi diem; quando ſenſim per humeros, brachia, dorſum, jugulum, pectus, abdomen, copioſiora prodiere: quæ maturius prodierant, maturius ſiccabantur; quæ vero ſerius, ea demum ad 26. morbi diem plane ſicca fuere.

Porro hic notandum, quod Corticis ope, die ab ejus uſu tertio, eo usque collapſæ vires reſurgerent, ut & in lecto ſedere, & extra eundem commode aliquamdiu degere, valuerit; die quarto extra lectum plures horas volupe transegerit; erumpentibus tunc Miliaribus ſenſim, & cum euphoria, magis magisque; & necdum media Miliarium parte exſiccata, ſuendo, confabulando, ambulando, tempus ſuaviter falleret. Contra eos, qui evacuationes criticas dari poſt Corticem negent, obſervavimus easdem hic alvo, urinis, hæmorrhoidibus, ſudoribus. Id quod ſæpius in Noſocomio obſervatum. Die 27. morbi vegeta omnino, & ſana erat.

Igitur rubra ſtigmata, quæ ſexto die, pridie quam in Noſocomium veniret, multa adfuiſſe ajebat, quorumque adhuc pauca ſecum in Noſocomium induxerat, maligni quidquam portendebant; quod ipſum exire cœptum, maximam partem retroceſſerat, nonaque die omnino diſparuerat. Summum hinc vitæ periculum 9. 10. 11. 12. morbi diebus. Cortex autem mox periculum minuit, miliaria eduxit, vires optime reſtituit, omnes læſas functiones emendavit,

cri-

critice morbum ſolvit, ut, continuato ſemper Cortice, die morbi 27. perfecta ſalus adeſſet.

Quid nunc ad datam prius quæſtionem reſpondendum? Certe præſtantia Corticis affirmantem reſponſionem vel invito videtur extorquere. Attamen tantillum ab ejusmodi reſponſione danda abſtinuerim, donec ſequens annus Academicus abſolutiora cum Bono DEO proferendi dederit facultatem.

Miſſa igitur hæc ad tempus facio; ſed ennarratæ hiſtoriæ problemata quædam ſuggerunt, in tranſitu examinanda.

An inter Cutaneos acutos morbos affinitas nonnulla, quoad cauſas, unde gignantur? quoad effectus, quos edant? quoad methodum, qua curentur?

Unica ſane in puella Scarlatinas efflorescentias habuimus, & Miliaria, & Variolas. Scriptores Medicos conſulentes, eorum qui id ita credant, offendimus plures. Suſpendo tamen ſententiam, donec evidentiora edoctus fuerim; referamque modo, quæ ſcripſerint alii, quæ ipſe viderim.

Clar. *Etmullerus Tom. 2. part. 1. cap. 10. pag. 347. edit. in fol. ex Michaële* Hiſtoriam refert, qui ipſus fœminam curaſſet, quæ uno corporis in latere Variolas, Morbillos in altero gereret.

Sidobre Monſp. Doctor, de Variolis cap. ult. pag. 242.
„ Aliquando, inquit, etiam Variolæ & Morbilli ſimul ægros afficiunt, & intermiscentur; ut aliquoties vidit avunculus meus: illud etiam elapſo anno *Monſpelii* obſervavi, cum *Dno. la Peyronie*, filio, Chirurgo peritiſſimo, in puero cujusdam piscatoris Monſpelienſis, nomine *Nigot*, qui Variolis & Morbillis, uno eodemque tempore laborabat, & ab iis feliciter evaſit.

Diemerbroeck hiſt. 19. Variol. aut Morbill. laborantium, refert die Variolarum ſeptimo cuiquam Morbillos contigiſſe: addit vero bis modo, terve, in to-

ta ſua praxi variolis ſe adjunctos morbillos vidiſſe.

Egregius Harris in obſerv. ſuis credit idem contigiſſe optimæ Angliæ Reginæ *Mariæ*, *Wilhelmi III.* Uxori; idque plus ſimplici vice in aliis obſervaſſe ſe narrat. Sed Reginæ caſum rite expendenti, dubii quidquam ſuboritur, an præciſe res ita ſe habeat, quam credit *Harris*.

Cæterum variolis mox ſucceſſiſſe morbillos, morbillis variolas, exempla habent *Act. Phyſ. Med. Vol. VI. pag.* 370.

Adnotata practica propria revolvens, invenio me hunc caſum anno 1738. habuiſſe: „ Puella habet con- „ fluentes variolas: hæc, ubi febris poſtſuppuratoria „ deferbuerat, illico morbillis maxime epidemicis „ corripiebatur, & moriebatur.

Deinde circa vernos morbos anni 1752. invenio hoc a me ſcriptis inſertum: „ Promiſcue obtinent Vario- „ læ & Morbilli. Symptomata ſunt ſæpe eadem; „ Oculos madidos, ſemiconcretos, Linguam albam, „ Somnolentiam, Vomitum, Febrim, Delirium, &c. „ videas ſucceſſive iisdem in ædibus occupare infan- „ tes; quorum alii morbillis, variolis alii, laborare „ demum incipiant. Fere nulla familia, ubi vel ſolæ „ variolæ, vel ſoli graſſentur morbilli. Deinde aliis „ tertio, aliis quarto, aliis ſexto, ſeptimo, imo 14. die, „ ab inchoata febre prodeunt.

Cum ergo aut eodem, aut ſuccedente mox tempore, varii omnes hi morbi ſimul graſſentur, in eadem familia homines promiſcue afficiant, eadem nonnunquam corpora varii ſimul infeſtent, ſimilitudinem gerant ſymptomatum, adhibendaque vix differant cura; nonne hinc credibile, quod origine, naturaque vix multum differant, ſed vario potius modo, quo cutim afficiant? varia, qua ſanguinem mutent, ratione? An vero quorundam natura diverſa?

Quæritur etiam an malignis in morbis omnis ſanguis

guis diſſolutus eſt, maxime dum maculæ rubræ, purpureæque, cutim deturpent?

Non videtur. Hiſtoriam ſanguinis necdum adæquate novimus. In hujus operis *cap.* 6. demonſtravi ſanguinem eodem tempore, eodem foramine, eodem jactu, de corpore profluum, portione ſui alia dilutum, alia phlogiſtice concretum, adparere: ita ut oppoſitæ hæ ejusdem qualitates eodem ſimul tempore in corpore obtingant. Pluribus experimentis, etiam quibusdam in Noſocomio captis, conſtitit ſanguinem die 14. 17. variolarum miſſum phlogiſtica cruſta tectum fuiſſe, rubra parte compactum. Imo in puella, quam pluribus cutaneis morbis acutis eodem tempore afflictam mox contemplabamur, ſanguis paucis ante mortem horis miſſus inflammatorie ſpiſſus fuit; hora vero ante mortem, ex eodem foramine impetuoſe exſiliens, laudabilis omnino colore, conſiſtentia, miſcela, proportione. Deinde numeroſi ad ſanitatem redeunt, poſt copioſiſſimas petechias. Imo tres mihi noti caſus reconvaleſcentium hominum, quibus in variolis purpureæ maculæ affuiſſent; memineruntque ſimilium hiſtoriarum Autores.

Videtur igitur putrida diſſolutio a ſuſcepto contagio in humoribus naſci poſſe, ſed a vitæ viribus ſive per omnia corporis excretoria, ut vocant, loca, ſive per ſolam cutim, eliminari: ita ut reliquus in corpore ſanguis bonus, minus ſaltem diſſolutus, maneat: ſin vero ſanguis totus ita affectus eſt, tunc ab errore loci in nobilioribus partibus mors brevi timenda eſt: Itidem ſi materies prava ad cutem, vitæ viribus, depoſita, iisdem denuo fatiſcentibus reſorbeatur, & aut reliquum ſanguinem peſſumdet, aut ſtamina vitæ deſtruat. Ita nempe puellæ noſtræ contigiſſe videtur.

De Polypo.

In cadaverum examine frequentiſſime polypos cordis, vaſorumque majorum, invenimus, quamvis nulla ratio præceſſerat, ob quam polyporum præſentiam ſuſpicati fuiſſemus; nullaque ſymptomata affuerant, quæ illos præſagiiſſent. Ad horum exponendam geneſin ex multis, quos deteximus, unum prorſus ſingularem enarrabo.

Fœmina 28. annorum 10. Dec. 1756. moriebatur, quæ dimidio anno laboraverat menſium defectu, febribusque, nunc tertianis, nunc quotidianis. Cacochymica hinc facta, munus tamen ancillare, vires plane exſuperans, ne fame periret, proſequuta eſt, ultimo vitæ menſe excepto. Polypus utroque in corde, ſed potiſſimum in ſiniſtro, maximam cavitatis cordis partem explebat, affixus ita cordis parietibus, ut cordis columnæ carneæ omnes per formata in Polypo foramina & canales tranſirent. Columnæ carneæ ergo integræ erant, integerque Polypus: ſed per foramina & canales in Polypo formatos columnæ tranſibant. Porro ut Polypus erat parietibus cordis affixus, ſic & marginibus valvularum: ita ut valvulæ parumper modo, non vero usque ad arteriarum majorum parietes, reclinare ſe poſſent.

Duplex eſt ſpecies polyporum. Altera, quam dudum adfuiſſe, vivente homine, ſigna demonſtravere. Debilitas & inæqualitas pulſuum, Cordis motus palpitans, manifeſto percepta cordis ad thoracem pulſatio, anhelitus ad loquelam, motumque, debilitas univerſa, cacochymia, ſæpe color faciei purpureus, iis in locis, ubi cutis deeſt, imo & aliquando per totas genas & frontem; polyporum in vita præſentium ſuſpicionem formant. Altera ſpecies ea eſt, quæ adpropinquante morte generari videtur: utramque au-

tem ſpeciem eodem modo produci autumo.

Materies ejus ſpiſſum id, ac lardo ſimile eſt, quod cap. 11. toties videbamus humano ſanguini ineſſe, in eoque variis generari de cauſis. Sanguis utique noſter æque forſan quidpiam ſolidum, quam fluidum, adpelletur. Nonne ſola tritura perenni cordis, arteriarumque, ſervatur fluidus? an non a minima horum quiete extemplo ſolideſcit? Steterit modo in vaſe, de vena ſecta emiſſus, ſolida mox inſula naſcitur, quæ, dum phlogiſtica materia adeſt, vix tranſcindatur novacula. Si igitur a ſubito terrore, ſi a conſpectu rei horridæ, quies oritur in humorum circuitu; ſi quacumque de cauſa homo animo linquitur; ſanguis in hac quiete ſolideſcere incipit: ita ut ſæpius, renatis quamvis vitæ viribus, debitum non recuperet fluorem: maxime quidem ſi vel a naturali diatheſi, vel a cauſa adventante quacumque, denſitas phlogiſtica adſit. Ut enim hæc in vaſe coaleſcit, a reliquis ſanguinis principiis ſegregata, ita & in momentanea illa quiete in corpore humano ſuum niſum ſequitur: & quemadmodum ampla patina ex vena exceptus, ut fundum modo tegat, cruſtam non format, ſed modo ubi magno volumine colligitur, ita coaleſcit idem ſanguis potiſſimum in cavis cordis, inque arteriis majoribus, ubi copioſor adeſt.

Sed præter ſtagnationem datur aliud, quo hæc maſſa polypoſa naſcatur. Si mox miſſum vena ſanguinem corpore ramoſo conquaſſo, polypum ſenſim formo, ſive fictitiam dictam *Ruiſchii* membranam, quæ polypi perfecte æmula. Si exſilientem de vena ſanguinem lagena excipiens, mox lagena agitata conquaſſo, polypum jam, citra baculi ramoſi opem, creo. Si in apertum vas exſilientem de corpore ſanguinem excipio, & ramulo mox a principio agito, intra pauca minuta craſſiſſimam polypoſam membranam conficio. Vid. hujus operis *cap.* 6. Si nunc contempleris

ris quo pacto, in animi deliquio, conquaſſetur cruor inter cor tremulum, & tremulas ſive valvulas, ſive arterias, nonne ſponte liquet polypoſam inde maſſam naſci debere? Et, ſi homo inde moritur, & humores omnes nunc frigore aëris in cadavere coagulantur, nonne hæc inſpiſſata materies corpus referre queat, quod cordis parietibus, marginibusque valvularum affixum deprehendatur, & quod columnis carneis tranſitum præbeat, quas inter conquaſſata antea fuerat?

Ut nunc in frequenti animi diliquio intelliguntur hi polypi naſci, eadem ratione in vita illa pauca, ac minima, prope mortem, naſcuntur; dum ſtagnans fere ſanguis ſolo tremulo cordis arteriarumque motu conquaſſatur. Datque veram iſagogen hæc contemplatio ad curam polypi, poſt animi deliquia, poſt motus nimios &c. naſcentis. Sapones varii diſſolventes hic indicantur, ipſaque cura, antiphlogiſtica dicta, ſæpe malum ſolvit. Quosdam hoc anno læti ſalutavimus curatos, quibus per ſesquimenſem quovis mane unc. $\frac{1}{2}$ Rob. Samb. totidemque pulpæ Tamarindorum & dragma nitri, cum bono hauſtu ſeri Lactis; veſpere vero idem medicamen, ſed leni paregorico miſtum, dabatur.

Sed aliud polyporum genus hic explicandum eſt. Homo 6. die pleuritidis moritur. Sputa non ejecerat, ſed materiem albam denſam, oblongam, ramoſam, arteriæ habentem figuram, præciſe ut *Tulpius Lib.* 2. *cap.* 13. *tab.* 3. *&* 4. deſcribit, figuraque exhibet, quæ tuſſiendo ejecta verum vas ab ipſo credebatur. In pulmone hujus viri prudenter tranſſciſſo, invenimus ramulos aſperæ arteriæ plenos tali materie, quam multam deinde, prorſumque ramoſam, eduximus. Sedes hujus in ſolo lobo ſiniſtro inferiore fuit. Materies purulenta ex perſciſſis vaſis ſanguiferis ſuperioris lobi abunde extillavit. Materies ſimilis tranſſudaverat

rat ex lobo inferiore inque ejus ſuperficie cruſtam flavam denſamque formaverat, qua idem ille cum vicinis partibus arcte cohærebat.

Eadem ergo materies in vaſis ſanguiferis miſta inveniebatur cum ſanguine in arteriis pulmonalibus; eadem inventa eſt tranſſudando externam cruſtam formaſſe; inventa denique in cavis bronchiis, tranſſudando, ſtagnandoque, ramoſa illa corpora produxiſſe. Apud *Haganos* famoſus, & ab artis peritia, morumque probitate, commendatiſſimus Chirurgus, *Erasmus Dringberg*, longo tempore ramoſos hos polypos tusſiendo ejecit, ut ex epiſtola optimi Viri patet, quam Clariſſ. *A. Caaw Boerhaave* inſeruit eruditiſſimo ſuo tractatui *de Perſp. Hipp. cap.* 12. *pag.* 115. Conſulendus & hic *Grætz* ad *Ruiſchium* & Problematica *Ruiſchii ad Grætzium* reſponſio.

CAPUT XVII.

De Singulari modo Reſpirationis, & Motus Cordis.

Inter cauſas incognitæ, ac ſæpe improviſæ mortis, ab Autoribus refertur Pulmonum lata cum Pleura cohærentia *Boerh. Inſtit.* §. 835. Tamen raro cadavera incidimus, quin firmas ejusmodi, easdemque latas, cohærentias obſervemus; quamvis iidem homines, quos tum ſanos, tum ægros noveramus, nulla ſigna præ ſeſe ferrent, ex quibus hoc ſuſpicati eſſemus. Pulmo utique in corpore ſano exactiſſime ſemper pleuræ adplicatus, idque æque in expiratione, quam in inſpiratione; videtur his cohærentiis, pedetentim formatis, paulatim aſſueſcere, easque inculpate ferre. Sed quo pacto in deſcribundo nunc caſu motus vitalis peractus fuerit, haud capio. Dabo anatomen

men totam, cum totus homo ſingularia referret.

Erat 43. annos natus, rudiori aſſuetus labori, 30. abhinc annis ſpinam ventoſam ad dextram claviculam paſſus; quæ hucusque quovis biennio aut triennio recrudeſcens, feſtucas oſſeas ejicere ſolebat; cætera ſanus.

Anni octo elapſi erant, cum a valido ligno reſiliente femur *ſiniſtrum* contunderetur, attamen ſine ullo mali relicto veſtigio penitus ſaneſceret. Septem vero abhinc menſibus denuo gravi ligno ſiniſtram coxam contuſus, male habuit; bimeſtri tamen ſpatio Hortulani continuans labores, demum ſe quieti dedit. Poſtquam tumore *ſiniſtri* femoris per ſex menſes male habuiſſet, diſparuit tumor omnis, ceſſavitque dolor, & ſenſim femur *dextrum* tumere ac dolere inchoat. Hunc tumorem, menſis ſpatio paſſus, nobis exhibuit pure refertum. Aperto eo tres unciæ puris effluxere, immiſſus vero ſtylus ſinuoſum ulcus oſtendit.

Poſtquam quatuor ab apertura diebus ſe optime habuiſſet, ſubita eum Peripneumonia prehendit, pure quamvis rite ex ulcere fluente: hanc iterata miſſio ſanguinis, penitus phlogiſtici, & idonea remedia, ad quartum diem egregie ſolverunt: ita ut cum reſpiratione non impedita, ſemper dein miti febre continua remittente laboraret, & appetitu perpetuo bono gauderet; donec demum colliquante Diarrhæa, ichoris ex ulcere effluxu, immobilitate affecti cruris, urinis denique tum colore, tum craſſamento, fuſcis, difficilique reſpiratione prægreſſis, moreretur.

In cadavere clavicula & tumens, & exeſa hinc inde; cæterum nihil in tota vicinia mali. Os femoris *lævum*, bis contuſum, vera mali origo & ſedes, integerrimum fuit. Os autem femoris *dextri*, ad quod decem ante mortem ſeptimanis materiæ metaſtaſis facta erat, orbum perioſteo totum, ſcabrum, & eroſum; Acetabulum ſine cartilagine, ſine perioſteo, ſine glan-

glandula: ipſaque theca ligamentoſa ad acetabulum magnam partem conſumta. In jejuno inteſtino ſuſceptio notabilis quatuor pollices longa, multum quamvis corrugata, cum parte ſuperiore in inferiorem prolapſa; mox parvæ duæ aliæ ibidem, binæque ſimiles, ſed inverſo ordine, in Duodeno. Colon a dextro latere medium ventrem emenſum, ubi ſe Hepati pluribus ligamentis affixerat, replicuit ſeſe ad ſpithamæ longitudinem verſus dextrum latus, indeque reflexum, lienem petebat, ſub quo ingenti formato ſacco, ſolitam deinceps viam abſolvebat.

Thoracem rimatus, pulmones ita nexos inveni, ut ſimile quid nec viderim, nec legerim unquam. Nam non fuit in toto thorace, univerſoque pulmonum in ambitu, vel unicum punctum a cohæſione liberum. Quippe cohærebat Pulmo cum tota pleura, cum univerſo diaphragmate, integro cum pericardio, ſternoque. Modus autem cohærentiæ adeo firmus erat, ut nemo noſtrum, citra dilacerationem, vel minimam ſolvere portionem poſſet. Connectebat enim eosdem tenaciſſima, non dilatabilis, & ubi vi partes a ſe invicem diſtrahebantur, vix ſemilineam craſſa, celluloſa membrana. Imo toto ſiniſtro in latere, tenacitatis celluloſæ loco, vera reperta ſarcoſis; veluti ſi pleura degeneraſſet in craſſiſſimam carnem rubram, inſertam alte in pulmonum ſubſtantiam, ab eaque inſeparabilem lobi quoque omnes inter ſeſe eadem tenaciſſima celluloſitate coivere.

Sed nihil mirabilius contemplatione cordis. Ut enim pericardium omni in puncto arctiſſime unitum cum pulmonibus erat, ut jam dixi, ita interno pariete ſuo, ope ejusdem tenaciſſimæ texturæ celluloſæ, tam firmiter cum corde, ejusque auriculis, ſinibus, ac vaſis majoribus omnibus concreverat, ut ſolvere nemo, niſi lacerando, poſſet. Præterquam quod craſſus ſaccus, ceu nova genitura, Aortæ ad pollicem latum undique,

dique, firmiterque, circumcretus, & intime connatus, reperiretur. Cavum ſiniſtrum cordis circiter ſolitam, dextrum vero vix quartam partem ſolitæ craſſitudinis habebat.

Porro nemo noſtrum vidit hominem hunc laborioſe reſpirantem, cum 4. Martii hujus, quem vivimus, anni, circiter 50. gradus conſcenderet, conſilium, cum cæteris adventantibus pauperibus, petiturus. Nec vitioſe reſpiravit quatuor primis diebus, uti neque poſt peripneumoniam curatam, niſi ſub mortem. Reſpiratio tantum fuit naturali brevior, pulſusque naturali paulo celerior ac debilior, vix tamen inæqualis.

Homo ergo hic cohæſionem habuit, cui forte ſimilis non viſa unquam: attamen non ſubita, ſed lenta morte, cujus cauſæ aliunde notæ, periit.

Sed conſideremus jam actionem cordis. Cor hoc cum auriculis, ac ſinibus, vaſisque majoribus, intra pericardium plane immobile fuit; idque non partim ut pluries vidi, ſed ubique locorum, concretione valida, vi tantummodo dilaceranda.

Si igitur hic contemplemur totum thoracem, pleuram, diaphragma, pulmonem, pericardium, cor, vaſa majora, mediaſtinum, non fuiſſe niſi unicum ſolidum, quomodo actiones viſcerum vitalium horum explicabimus? Si quis cogitaverit muſculoſam oſſeamque fabricam thoracis dilataſſe thoracem, aëra in dilatatos pulmones intraſſe, laxatis iterum muſculis dilatantibus, thoracis capacitatem hinc imminutam aëra expuliſſe, & hac ratione quandam exercitam fuiſſe reſpirationem; reſpondeo ejusmodi reſpirationem ſi poſſibilis fuiſſet, longe ſane laborioſiorem obſervari debuiſſe, quam eandem nos omnes in hoc homine obſervaverimus.

Sed præterea, quis cordis motum explicabit? An tota concreta maſſa dilatata, cor quoque dilatatum fue-

fuerit? Tunc ſemel modo in ſingula Reſpiratione impleri, ac depleri potuit; dum naturaliter quater, quinquies, in ſingula reſpiratione pulſet. Sed homo habuit ſemper, etiam usque ad finem vitæ, pulſum celeriorem, non palpitantis, ſed evacuantis ſe cordis, argumentum. Si aorta arteria in ſingula reſpiratione ſemel modo dilatata & anguſtata fuit, cur per ſuos in carpo ramos potuit, v. g. in febre peripneumonica, frequentes producere pulſus?

Sane quocumque modo rem examino, volvo, ac revolvo, non invenio niſi ubique inſuperabiles mihi difficultates; cohærentia enim deſcripta notas cujusdam vetuſtatis habet, ob idque communes phyſiologicas regulas repudiat.

An ergo & præter, & contra, communes leges naturales, homo vitam vivere poſſit? Noſter vixit, ergo potuit. Ecquis OMNIPOTENTI regulas præſcripſit, ſecundum quas vitam conderet, ſervaretque humanam? Orbes terrarum innumerabiles condere poteſt, hominesque in iisdem producere, quos ſingulos vario modo condat, variis conſervet in vita modis. Metimur nos naturæ leges ex conſuetis obſervationibus; quas velit DEUS, has ſequitur leges. Et quis demum ejus arrogantiæ, aut potius dementiæ erit, ut divinam potentiam ejusmodi legibus adſtringere cogitet, circa quarum aut exiſtentiam, aut intellectum, adhuc litigant Artis principes? *Hallerum* volo, *Werlhovium*, *Hambergerum*, *Albinum*, *Boerhaavium*, compluresque alios, quibus necdum inter ſeſe de his legibus convenit. Homunciones nos! obſervata colligimus, legesque condimus ex iisdem; dum interim nos ſæpe in obſervatis vel unicum lateat, a quo vera rerum dependeat notities. Quis enarrat in quot quantisque rebus meridiem credamus, quam adhuc involvat nox aterrima? Aeſtum marinum, ſecuti *Newtonum*, tam clare ſuis percipimus de cauſis, ut qui Cœlum perluſtra-

ſtraverit, Aſtra tetigerit, emenſusque Maria fuerit, vix poſſet melius: & ne quid deſit, calculo geometrico & algebraico abſtruſum id in apricum duxiſſe videmur. Sed, quod dolendum, in hac noſtra meridie magnus *Bernouilli* cæcutit, adeo ut acerbe conqueratur *Newtonianos* tanto ſuo molimine huic negotio parum profuiſſe: aliam porro viam capeſſendam arbitratus, hanc patefacit candidus, hanc methematice probat. Velimusne inire eandem? St.! Eruditione, judicioque clarus *Eulerus*, *Newtoni* obſcuritatem, viamque, quam iniverit, & tortuoſitatis, & erroris, aperte criminatus; alias a Newtonianis & Bernouillianis leges detexit, easque, revocatis *Carteſii* vorticibus, mathematice demonſtraſſe viſus eſt. Videtisne quam incerta ſint, quæ pro certis habueramus, pro invictis, pro demonſtratis? Noſtra nobiscum Anima ita cohabitat, ut unum cum eadem Ens exiſtamus. Ejus veluti primariam ſedem, ejus proprium cum corpore vinculum, ac vitalis principii locum, modumque demum verum, quo anima & ſuam machinam gubernet, & ab eadem afficiatur; hæc, inquam, omnia Mortales intelligere, explicareque, ſe poſſe autumant: verum millenis ab annis, in hunc usque diem, circa hanc rem disceptatum fuit, ſua cuique ſententia eſt, ſua quemque opinio trahit. Neque mirum hoc, cum quædam *Secundæ* cauſæ nobis duntaxat pateant, veras vero, primasque rerum cauſas, Summus rerum Arbiter, quod earum notitiæ nos non intereſſet, nobis abſcondere voluerit. Unde crediderim inutiliter quæſiviſſe, vane quærere, ſontice quæſiturum audax *Japeti* genus, quid Vitalium principium actionum? quæ animæ ſedes? quis operationis ejus, paſſionisque, modus? Reſonat Europa Phyſiologorum hoc tempore clamoribus, veluti de hoc *Gordio* nodo plane ovantium; interea dum experimenta, quibus ad ſententiam tuendam utuntur, ab aliis repetita, prorſum aliud clament, con-

contrariam inducant concluſionem. Adeo & in hisce, & in multis aliis, id ſaltem demonſtratur, quod in ſacris legimus, Eccleſ. Cap. I. *Cunctas res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone.* & Cap. III. *Vidi afflictionem quam dedit DEUS filiis hominum, ut diſtendantur in ea. Cuncta facit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum; ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt DEUS, ab initio, usque ad finem.* Et Cap. VIII. *Et intellexit quod omnium operum DEI nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat. Etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Tandem Cap. IX. *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis, ſic neſcis opera DEI, qui fabricator eſt omnium.*

Si hæc dixit *Salomon*, *Salomon* qui Philoſophiam ab ipſo DEO edoctus erat, Lib. Sap. Cap. 7. *omnium enim Artifex docuit me, Sapientia*; Cui dixerat DEUS Lib. 3. Reg. Cap. 3. *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, uc nullus ante te ſimilis tibi fuerit, nec poſt te reſurrecturus ſit*; Qui diſſeruerat, ibid. Cap. 4. *Super lignis, a Cedro, quæ eſt in Libano, usque ad Hyſſopum, qui egreditur de pariete*; diſſerueratque *de Jumentis, & Volucribus, & Reptilibus, & Piſcibus*: ſi, inquam, tantus ille Philoſophus ita aſſerit, utique ſana nos ratio jubet ſuperba nos noſtra contrahere vela. Sobriam imitemur, id eſt, veram ſapientiam *Salomonis*, nos ita monentis; quam mire imitatus eſt eminentiſſimus S.R.E. Cardinalis *de Polignac*, in Aureo ſuo *Anti-Lucretio*, deſtinato ad veram Religionem tuendam adverſus *Epicurum, Lucretium, Spinoſam, Hobbeſium*, ejusque impiæ farinæ autores alios. Videatur Lib. 5. pag. 158. & 187. Lib. 9. pag. 358. & alibi paſſim.

Facta hac neceſſaria digreſſione circa ea, quæ in hoc cadavere mirabamur, pauca dicenda ſuperſunt. Quid ſibi illæ ſuſceptiones inteſtinorum? Hæ videntur

tur ſpasmis ſub mortem natis deberi; ut in alio caſu hujus operis *cap.* 7. explicui. Qui de his plura, adeat *Ill. Præſidis comm. in cap. de infl. inteſt.* & laudatum ibidem tractatum egregii *C. H. Velſe*, medici & Senatoris *Hagani*, candidi mei, æternumque honorandi amici, *de mutuo Inteſtinorum ingreſſu.*

Sed cur accubitu materiæ purulentæ ad ſiniſtrum femoris os, per integros ſex menſes, nullæ noxæ oſſi illatæ; accubitu vero duorum cum dimidio menſium, deſtructio tanta, tum dextri oſſis femoris, tum omnis acetabuli? Forte in priore caſu hæſit materia fasciam latam inter, musculosque; in poſteriore immediate ad oſſa. Forſan eadem blandior olim, reſorptione acrior facta eſt. Forte non reſorpta, ſed per cellulo ſitatem a ſiniſtro femore in dextrum translata, eodem hoc motu acrior facta fuit.

CAPUT XVIII.

Quædam de Pulmone innatante aut ſubſidente in aqua.

In dubio Infanticidio ſolet vulgo ex pulmone, fundum aquæ petente, judicari infantem poſt partum non vixiſſe; eodem vero innatante, vixiſſe, reſpiraſſe. Obſervationes in Noſocomio factæ quandam hic prudentiam ſuadent, ne peccemus. Ter enim, quaterve, jam demonſtravi publice notabiles portiones Pulmonis Adultorum, in aquam injectas, fundum petere.

Etenim obſtructiones, mucus copioſus, ſchirrhi, indurationesque pulmonum, reddunt eorum portiones, imo lobos integros, graviores, aëri impervios, ita ut etiam leviores cæterum vicinæ portiones una deorſum trahantur: ſi vero gravior pars parva ſit, in aqua a leviore ſuſtinetur; ſeparata autem fundum petit.

tit. Plures nunc relationes, ad judicem factæ, argumentum habent ex abſciſſa portione pulmonis, innatante, vel ſubmerſa aquis. Nonne hinc in proclivi fit, ut ſontes fœminæ abſolvantur, fallanturque Judices? Et ſi horis diverſis, ob diverſitatem jurisdictionis, a diverſis chirurgis examen cum fruſto pulmonis fiat, nonne hinc e diametro oppoſitæ relationes haberentur?

Conſulentes autores Anatomicos, ſimilia detegimus. *Diemerbroeck* pulmonem Adultorum ſchirroſum vidit aliquoties aquæ fundum petiiſſe. *In hiſt. Acad. Sc. Par.* 1733. unius lateris pulmo integer innatavit aquæ, alterius ſubmerſus eſt totus. Ex *Zellero* & *Bohnio* patet tum vituli, tum infantis, poſt nativitatem reſpirantium pulmones, fundum in aqua petiviſſe, cujus cauſa aut mucus, aut valida in utero nata obſtructio. Ita quidem ut aër non obſtructam poſt nativitatem partem impleviſſet, obſtructam minime.

Sed præterea vagit nonnunquam infans in partu, eo quod capite jam prodiens aëris inchoet uſuram: deficientibus interim viribus matris, aut uteri orificio ſe arctius circum ejus collum conſtringente, infans ante nativitatem moritur. Pulmo hic innatabit aquæ, quamvis infans mortuus ſit natus, reaque infanticidii agetur, ſecundum leges ſusceptas, mater. Caſtigandæ ergo & emendandæ erunt regulæ artis ibidem loci, ubi adhuc more communi fiunt ad Judicem relationes; ne vel judicem fallendi, vel ſontes abſolvendi, vel inſontes damnandi, evidens periculum incurrere pergant.

De Supputando Calore Corporis Humani.

Ingenioſiſſimi Viri *Fahrenheit*, & *Prins*, ut & omnium laude ſuperior *Réaumur*, poſt *Toricelli*, *Gallilæum*, *Drebelium*, *Paſchal*, exacta nobis condidere thermometra, ad determinandum caloris humani gradum aptiſſima. Secundum hæc, omnia corpora non viva, non ignita, non in ſphæra activitatis ignis poſita, eo caloris gradu calent, qui obtinet ipſa in Athmosphæra. Ita ut Lignum, Lapis, Metalla, Sericum, Lana, Aqua, Vinum, Spiritus Vini, Alcohol, eundem inter ſeſe, eundemque cum aëre communi, calorem habeant. Quod vero res ſæpe aliter nobis adpareat, ut dum v. g. hyeme ferrum politum longe frigidius exiſtimamus, quam veſtem laneam; vitrum, quam lignum; lignum politum, quam idem carioſum; id inde fit, quod noſter nativus calor eo, qui in Athmosphæra eſt, longe major, athmosphæram lanæ mox moveat, & communicatione ſui majoris caloris, magis calefaciat: ſed quod idem ille calor noſter politas ferri particulas in ejus ſuperficie non niſi tarde moveat, & cum frigido aëre, inter ferri particulas reperiundo, non niſi lente ſeſe communicet; forſan etiam quia tempore frigidiſſimo, ſpicula glacialia inter ferri particulas cito non moventur. Dum tamen metallum, politave alia corpora, adplicata diu calente manu tenemus, tepescunt ſenſim; ſusceptumque ſemel calorem ſervabunt diutius, quam corpora leviora, explicata de cauſa. Ipſa hominum, animaliumque cadavera, ut cætera omnia prius definita, quamdiu putredinem necdum inchoant, eundem habent, qui Atmoſphæræ eſt, calorem. Quid nunc in Phyſica & Medicina conferat exactus caloris variorum corporum calculus, evidenter, ni fallor, is, qui *Boerhaavii* Diſſertationem *de igne*, omnibus Phyſicis adeo laudatam, bene compre-

prehendit, intellecturus eſt. Hujus ergo, laudatorumque antea virorum, veſtigiis inhærens, datam ab ipſis doctrinam ultra promovere conatus fui, ſecundum proverbium: *Inventis addere facile.*

1mo. Calorem hominis ſani definiverunt 95. 96. graduum. Calorem hominis in frigore febrili jacentis a gradu 87. ad 94. ejus vero qui æſtu febrili arderet a gradu 96. ad 108. & forte adhuc aliquid plus. Ergo receſſus in frigore minor, a puncto fixo graduum 95. 96: quam ab eodem puncto exceſſus caloris.

2do. Calorem aëris athmoſphærici ſtatuerunt ſemper minorem eo, qui hominis ſani eſt, idque etiam ardente ſirio. Quin prorſum impoſſibile eſſe, ut homo ejusmodi in aëre diu vivere poſſit, qui ſuum ipſius æquaret; multo minus in eo, qui ejus proprium exſuperat. Rationes Phyſicas in Chemia *Boerhaave* dedit, *Cap. de igne Exp.* 19. *Coroll.* 16. „ Sanguis frigidior
„ in arctos, elaſticos, fortes, canales arteriæ pulmo-
„ nalis, vi cordis dextri, atque molimine ingenti re-
„ ſpirationis, preſſus, actusque, neceſſario per unum
„ pulmonem fertur copia æque magna, quam, eo-
„ dem tempore, per univerſum corpus, omnesque
„ ejus partes, ſimul. Hinc igitur idem ſanguis nulla
„ in parte corporis usque adeo atteri, adeoque & ca-
„ leſcere poterit, quam in pulmone ſolo. Foret ergo
„ calor illius homini intolerabilis, imo letalis. Ve-
„ rum aër, reſpirando ductus in pulmonem, eſt ſem-
„ per frigidior longe, quam hic ſanguis. Et, per
„ *Malpighiana*, ſanguis hic in arteriolas minimas fuſus,
„ quæ veſiculis pulmonum tenuiſſimis adplicantur
„ undique, per ſuperficies ergo incredibiliter latas
„ exponitur aëri, per omnia momenta temporis re-
„ novato, adeoque ſemper frigido: unde ſanguis ex
„ ſe, in nulla iterum totius corporis plaga refrigera-
„ tur plus, hoc reſpectu, quam pulmone noſtro.

3^{tio}. A magnis in arte viris, quos inter princeps

Boerhaave, decretum fuit, decrementa hæc caloris in corpore humano, morborum tempore obſervanda, minori deberi attritui humorum in vaſa, vaſorum in humores, particularum humorum inter ſeſe: augmenta vero auctiori attritui.

Cum tantorum nominum debita veneratione, licebit propria obſervata enarrare, ex iisdem neceſſarias formare concluſiones.

Boerhaave, *Fahrenheit* apud *Boerhaave* laudato mox in corollario, *Hales in Hæmaſtatice*, *Derham Theol. Phyſ. cap.* 2. *Lib.* 1. *De Sauvages Lib. de inflam.* nobis dicunt quidem qualisnam caloris aut homo ſit, aut alia res quæcumque; ſed quanto tempore thermometrum adplicuerint, non addunt. Id porro præprimis requiri, antequam certi quidquam ſtatui in phyſicis queat, demonſtrabunt ſequentia obſervata, capta & in me, ſano, & in pluribus aliis ſanis, & denique plurimis in ægrotis. Non autem ſemel, deciesve, ſed pluries ipſiſſima experimenta iterata ſunt, & ſemper idem docuerunt.

Si per dimidium horæ quadrantem ſano homini admotum ſub axilla thermometrum eſt, calorem notat graduum 95. 96. Si per quadrantem, gradum notat 97. 98. 99. Si per dimidiam horam, 100. 101. Si per horam integram, 101. 102. At vero ſi dein bihorio, ultrave adhibetur, nondum obſervavimus illud majorem gradum notare.

Si nunc idem adplicemus ægris, rem præciſe invenimus, quemadmodum notant autores laudati, dummodo per ſemiquadrantem illud admoveretur. Nempe ſi per dimidium quadrantem in modico admodum febrili calore notaverit 100. gradus, poſt quadrantem notabit 101. 102. Si per mediam horam 102. 103. Si per integram, 103. 104. Aliis vicibus in febre continua per mediam horam dabat gradus 106. per horam 109. aliquoties per ſemihoram 103. per horam 105.

Su-

Suſpicabitur forte quis febrilem calorem interea temporis auctum fuiſſe, adeoque & inde repertam notam mercurii altiorem; reſpondeo, id ſemel, iterumque contingere poſſe; ſed cur in ſanis thermometrum longiore tempore adhibitum adſcendit, licet naturalis calor noſter minime augeatur? Et cur in ægris, dum nulla caloris mutatio, neque ab ipſis, neque a nobis, obſervetur, conſtanti tamen lege adſcendat? Ergo minime ab aucto calore febrili.

Et ne quis vitioſa mea thermometra criminetur, optima multa poſſideo, quæ præcipue fabrefecit mihi ingenioſiſſimus Phyſicus, & egregius Mathematicus, Rev. *Marci*, ad modum *Fahrenheit*, *Prins*, & *Réaumur*. De induſtria parva mea Fahrenheitiana, quibus apud ægros utor, exploravi ad *magnum univerſale Thermometron*, quod ſubtilis artifex *Prins*, magno cum labore, ipſe adornaverat, hacque lege de meorum præſtantia convictus ſum.

Unde ex datis experimentis id debui concludere, quod defectu adplicationis tempus determinandi, neque ſanorum, neque ægrorum calor, rite fuerit determinatus.

2dam. Autorum theſin multa obſervata labefactant. *Hales*, *Boerhaave*, aliique, impoſſibile credidere, ut homo diu ſubſiſteret eo in aëris calore, qui ſuum proprium calorem aut æquaret, aut ſuperaret; idque ob datas antea rationes. Attamen ex obſervatis, communicatis cum doctiſſ. *Derham*, *Theol. Phyſ. Lib.* 1. *Cap.* 2. Thermometra *ſub æquatore* deſignant eundem circiter caloris in aëre gradum, qui hominis eſt. Quid? quod aëris calor ſæpe tranſcendat humanum? Dum accuratiſſima thermometra plura ſuſpendi aliquoties in aëre libero, ubi nulla radiorum a parietibus reflexio, in umbra ſolis; alia vero plura ſoli irradianti expoſui: differentiam nonnunquam obſervavi 30. graduum. Adhuc 27. Aug. inter 3. & 4. pomeridia-

ridianam, cum in ædibus eodem tempore thermometra haberent gradum 71. in aëre vero aperto umbroſo 75; Thermometrum univerſale *Prinſii*, ſoli irradianti libero, citra reflectiones ullas, expoſitum, intra $\frac{1}{4}$. horæ adſcendit ad gradum 103 $\frac{1}{2}$. exin omni momento tantillum deſcenſum affectabat, idque fere per alium horæ quadrantem idem, & mox iterum adſcenſum. Semihora elapſa, adſcendit ſenſim ad 107. Relictum per aliam dimidiam horam, non adſcendit ultra; forte quod poſt quartam aër calore non augeſcebat. Pari ratione octo alia thermometra, exigua admodum cum differentia, caloris gradum indigitarunt.

Porro in tam ardente calore exponimur in platea, in via publica nullis conſita arboribus, in campis, Meſſores in agris, Vinitores in vineis, integri, dum caſtra metantur, Exercitus. Profecto omnes illi per æſtatem ſæpe aërem inſpirant ſuo proprio aliquanto calidiorem, intereaque vivunt; & ſi moderate vitam inſtituant, atque a gelido ſubitoque potu abſtineant, ſani paſſim degunt. Igitur ſub æquatore vivunt bene homines, in aëris calore, cum humano æquali: vivunt bene per magnam Europæ partem in calore humanum longe ſuperante. Aëris ergo in inſpirando uſus videtur potius ad motum ſanguinis, quam ad ejusdem refrigerium facere: qua in re a textu *Boerhaavii*, ex Chemia allato, diſcedo quidem, ſed ad clariſſimum Virum iterum accedo, rem, ut hic facio, explicantem *phyſiol.* §.202. Et profecto ſi ſufficiat refrigerium aëris, ad gradus 10. frigidioris, fervido pulmonum ſanguini, an non vehementer noceret is, qui gelida bruma eſſet 70. 80. gradibus inferior calore humano? Nonne oporteret hominis ſanguinem æſtate, quam hyeme, longe calidiorem ad thermometra reperiri?

3[tia]. Eruditorum theſis ſtatuit calorem ab attritu oriri. Evincere id multi morbi videntur; ut maxime

cap.

cap. de calore febrili Præceptor oſtendit; attamen conſtantem inde regulam deducere experimenta vetant. In Hemitritæa, quam, cum continua febre, intermittens quotidiana formabat, homo intermittentis paroxyſmum tanto cum frigore experiebatur, ut, ſi frigus modo abeſſet, morbum totum floccifacere ſe diceret, propter immane vero frigus ſe ſuſtinendo ultra non eſſe. Easdemque querelas multis in paroxysmis repetivit. Dabat tamen Thermometrum paſſim 104. gradus. Neque vel hilum adſcendit illud, dum in ardente deinceps calore admoveretur. Et dum per ſequentes paroxyſmos frigus imminueretur, gradus tamen caloris 100. 99 98. fuere. Frigoris porro perceptio homini vivida; frigoris ſigna, algor, tremor, ſtridor dentium, evidentia erant: dum interim calorem naturali ſuperiorem notaret thermometrum, dumque nos, repetito ſæpe examine hominem tepentem, ac fere naturaliter calentem, paſſim deprehenderemus. Expectabitis quid ex pulſu obſervatum ſit? Is more ſolito, tempore frigoris febrilis, celer, parvus, contractus utcumque: caloris vero tempore plenior, liberior, major. Thermometrum ſemper ſub axillis adplicatum ita adſcendit, cum tamen potiſſimum frigoris ſenſum æger toto thorace perciperet.

Veteres deſcripſere Febrim ἠπιαλὴν, quam enarrat, non explicat, *Hippocrates. Galenus* & *Goræus* eam eſſe dicunt, in qua per univerſum corpus caloris ſimul & frigoris perceptio adeſſet; quod a bile & pituita ſimul motis explicatum ſuo more velint. *Erotianus* & *Fœſius*, in ἠπιαλῇ *Hippocratis* exponenda, non faciunt ardoris mentionem, ſed continui duntaxat & frigoris, & rigoris. At quocumque demum ſenſu velis, non fuit hominis noſtri febris ἠπιαλή. Nam neque ille ſimul frigus caloremque percepit, nec perpetuo friguit, horruitque.

Eſt Veteribus alia deſcripta febris λειπυρία, de qua

etiam *Hipp.* Aph. 4. 48. 7-72. „ In febribus non in-
„ termittentibus, ſi externa frigeant, & interna u-
„ rantur, & ſitiant, lethale". Cum hac deſcriptione conveniunt interpretes; ſed neque hujusmodi febre laboravit noſter. Nam ſine thermometro latuiſſet nos penitus calor ille, naturalem 7. 8. gradibus exſuperans, ipſeque æger eum non eſt expertus: externum enim internumque frigus conqueſtus eſt.

Qua tandem ratione ejusmodi phænomena explicabuntur? Vulgaris doctrina Medicorum mechanicorum eſt quod a nata in arteriis capillaribus verſus corporis ambitum reſiſtentia, cor velocius validiusque ſe contrahere veluti cogeretur; ut copioſiorem humorem per aream minorem traduceret. Verum qui leges hydraulicas a doctiſſimo *de Sauvages*, Tractatu *de Inflammatione* explicatas, & corpori humano adplicitas, attente contempletur, prorſus contrarium concludere cogitur. *Vide hunc tract. a* §. 24. *ad* 62. Et profecto experientiam conſulentes, videmus in Paronychia, Otalgia, Tendinis punctura, capillarium obſtructionem adeo modicam, ut notabilem effectum in ſanguinem, & cor, edere non poſſet; & tamen quam acutæ aliquando in his febres! quanti calores! contrario febre comburi oporteret Chloroticam virginem, Scrophuloſum interno externoque corpore puerum, quibus fors media pars obſtructa ſit capillarium; cum tamen hos reperiamus a naturali calore remotiores. Si quis dicat in his febres haud generari, quod cordi vires deſint; attendat ille quid his contingat, ſuſcepto varioloſo, morbilloſo, aliove, miaſmate! Motus cordis, ejusque velocitas, augentur ita, ut aquoſus pridem mucoſusque cruor, jam phlogiſtica materie ſcateat, miſſusque de vena denſam mox cruſtam formet.

An igitur nata quacumque de cauſa in humoribus acrimonia motum cordis, vaſorumque, irritando, auge-

geret? Cum anatome detexerimus cor inflammari, ſuppurarique poſſe, citra perceptos eo tempore dolores: cum præterea Apoplexia doceat eo ipſo tempore, quo nullum inter nervos ſentientes, & ſenſorium commune, commercium detur, cordis motum notabiliter augeri: hanc ita dictam irritabilitatem pro cauſa ægrius admittere poſſumus. Neque nos hujus irritabilitatis convincere moderna experimenta valent, cum alii eorundem vim contrariis eludant experimentis. Daturque aliquando febris mox in corpore ſaniſſimo nata, ubi acrimoniam ne Lyncæi quidem oculi unquam detegant; & hæ quidem violentiſſimæ.

An igitur hæc de origine motus cordis, motusque ejus, ac velocitatis incremento, quæſtio, inter illas locanda quæſtiones, quas Ille, qui ſe ſolum in S. Scriptura vocat Scrutatorem Cordium, ille perpetuo nobis amandus & adorandus, noſtrum adeo limitatum, & imbecille ingenium, latere voluerit; ut rei mirabilitate attoniti, in admirandi Artificis encomia profunderemur?

Verum tamen dato ſemel, & a cauſis explicato, aucto motu cordis, nunquid natus inde attritus phænomena, in viro noſtro obſervata, explicet? Non puto. Tempore frigoris homini intolerabilis, cum pulſu contractiore minore, thermometrum ſignat octo gradus ultra calorem naturalem: præterea tempore quo intolerabiles ardores homo conqueritur, quo pulſus magnus ac celer eſt, thermometrum habet eundem caloris gradum. Hoc phænomenon qui legibus phyſicis bene ex attritu explicuerit, erit mihi magnus Apollo.

Alia ergo cauſa ſubſit oporteat, quam ſolus attritus, quæ augeat, auctumque ſuſtineat calorem; idque eodem tempore, quo ſenſus nil niſi frigus animæ denuncient.

Quæſtio nova, æque quam prior, intricata nempe cur

cur obtinente in homine calore, naturalem octo gradibus ſuperante; in homine, inquam, mentis compote, perpetuæ de frigore, eoque non tolerando, querelæ? Idque una cum ſignis frigoris, tremore, rigore, ſtridore dentium? Nunquid contrarium ejus, quod in corpore obtinet, nervosque afficit, renunciari animæ queat? Abſonum hoc videretur, niſi huic ſimilia, eoque mirabiliora, in humana œconomia contingere fateri cogeremur. Homo bene in lecto calens, in ſomnio videtur ſibi frigere totus & incredibili voluptate afficitur, dum igni grato admoveri viſus, gelu membrorum ſuperare ſe credit. Homo bene cœnatus, nocte famelicus ſibi videtur, & amœnitate appoſitæ dapis delectatur impenſe, famemque explet. Ergo citra ullum commercium corporeum, imo cum contrariis corporis conditionibus, anima noſtra gaudiis affici, mœroribusque, grato & ingrato, poteſt. Argumenti genus, quo impios convincamus, qui negent animas a corpore jam ſeparatas, iis poſſe cruciari, quibus, dum in corpore viverent, ope corporeorum organorum, affici ſolerent. *Luc.* 16. *v.* 24.

Difficultatem, inquiet quis, difficultatibus potius cumulas, quam explicas. Fateor; neque aliter posſum. Explicationes huc usque ab eruditis datas, nullius momenti eſſe, neminique ſatisfacientes, novimus abunde; alias porro ignoramus. Unde hanc ipſam quæſtionem iterum relegamus ad illas, quas ignorare debuerimus: noſſe enim ſi oportuiſſet, optimus noſtræ machinæ Conditor easdem patefeciſſet. Imo oportet harum ignorantiam nobis conducere, quia *Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona. Gen.* 1. *v.* 31.

Patientia igitur in experimentis, libero ab hypotheſibus animo capiendis, multa dediſcimus, quæ humana arrogantia, & præcipitantia, perperam addidiceramus. Sed præſtat hominem, ad veritatem æternum

num contemplandam deſtinatum, ab erroribus remotiorem fieri, ac veritati proximiorem: ſic propius ad felicitatem, quondam æternam futuram nobis accedimus.

Quot igitur encomiis ſufficiam, ut Matrem Patriæ, Matrem Academiæ, Augustissimam Imperatricem, Mariam Theresiam, digne concelebrem! quod pro ſua benevolentia, munificentia veroque ſcientiarum amore, indicante & hortante Illuſtriſſimo Medicæ Facultatis Præſide, Libero Barone *van Swieten*, hoc condiderit, reditibusque ditaverit, Noſocomium; ut in eo, poſthabitis omnibus circa Medicinam ſyſtematibus, nobilis hæc, ac neceſſaria Ars, ſolis experimentis, & prudenter captis obſervationibus, traderetur, coleretur, augeſceret! ſane & huic Viro debitas hanc ob cauſam laudes ſera poſteritas canet.

Sed ut hoc caput abſolvam, paucisque dicta confirmem, reſumendus hic eſt caſus hominis cujus Cap. 11. mentio facta fuit. Is in ſuo marmoreo frigore, integris 24. horis ante mortem perdurante, ſine vel minimo arteriarum pulſu, ulla arte indagando, notavit in thermometro calorem 97. graduum, idque adhuc bihorio ante mortem. Thermometrum autem, paucis minutis admotum, hunc gradum notavit; notaturum forte altiorem, ſi diutius applicitum fuiſſet. En iterum ſine ullo fere attritu calorem naturali majorem!

Idem, aliud tentans, expertus ſum. Animus erat experiri num cortex peruv. ipſa in febre datus, febrilem calorem augeret, prolongaretque; ut laudatiſſimus *Hales* habet *Hæmaſt. Exp.* 18. *N°.* 6. Apta ad id occaſio erat. Fœmina 24. annorum, de qua actum cap. 15. febri continua gravi, cum quotidiana intermittente afflicta, cortice curanda erat 12. morbi die. Cortex datus dedit prima die gradum caloris uno inferiorem ei, qui heſternus fuerat; die altero binis inferiorem

gra-

gradibus; quarto vero die fœmina prorſum omni febre caruit. Ergo integram corticis, in ſubſtantia ut vocant, unciam ſpatio nucthemeri abſumens ægra, non incrementa habuit, ſed decrementa caloris. Cortex tamen aliis in occaſionibus auget calorem; nam omni experimento liquet eo in iis augeri calorem, qui naturali minorem poſſideant; ut eundem minuit iis, qui naturali majorem. Qua id vi efficiat, cum *Sturmio*, cum *Bado*, cum *Mortono*, ignorantiam fateri malim, quam falſa incertaque proferre.

Sed, quod res eſt, hæc ipſa mulier, quarto die ab uſu corticis, febris prorſum expers, naturaliter calens, moderatum ſanum calorem ipſa experta, pulſum lentum bonumque habens; tamen ſignavit in thermometro gradum 102. multisque poſtea diebus calorem habuit naturali majorem. Ergo calor non a ſolo attritu, non a ſolo motu aucto.

CAPUT XX.

De Vario Tumorum Genere.

Inflammatorii tumores qui generentur, hic inquirere non eſt animus; ſed quid de lentis quibusdam tumoribus, tarde creſcentibus, diuque obtinentibus, cogitandum ſit, indagare.

Tales namque in collo multi gerunt plures, minores; variæ magnitudinis, duritiæque: ita nonnunquam, ut totum in ambitu collum conglomeratis ejusmodi tumoribus maxime difforme fiat. Abdomen, thorax, totumque denique corpus, nonnunquam iisdem ſcatet. Subſtantia eorum diverſa; diverſa, quam contineant, materies, haud in variis duntaxat hominibus, ſed eodem etiam in homine & quidem ita, ut eodem in corpore trium, quatuor, quinque, ſpecierum varia-

variarum habeantur tumores; quorum quandoque nulli vix aliquam curationem admittant; in aliis nonnulli tumores ægre, facile alii, curentur; in nonnullis longo molimine ſanentur omnes; denique curatorum multi non raro poſtliminio repullulent. Ex multis unam alteramve hiſtoriam deſcripſiſſe juvabit, ut de eorum genio, naturaque, cuique conſtet.

Puerum 10. annorum, multis in collo, & ſub axillis, tumoribus ſcatentem, muco turgidum, ventre tumidum, cachecticum totum, prægreſſi anni autumno ad me attulerant. Quæ remedia in uſum advocata ſunt, hæc poſtea hiſtoriæ aliorum ægrorum dabunt. Puer hydropicus factus, poſt expletas decem in Noſocomio ſeptimanas, calamitoſam vitam terminavit.

Cadaver luſtravi cum Clariſſimo & dexterrimo Anatomes Profeſſore *Gaſſer*, & exercitatiſſimo Chirurgo Noſocomii Civici *Leber*, qui in omnibus diſſectionibus ſemper gratum mihi, utileque, præbere auxilium ſolent, tota ſtudioſorum præſente cohorte. Aperto abdomine Meſenterium tum vehementer tumidum fuit, tum penitus nudum ac conſpicuum, inteſtinis omnibus quaſi naturaliter verſus ambitum remotis. Tumores Meſenterii magni, durique iidem & ſolitarii, cum peritonæo vero, & ligamentis vertebrarum lumborum, adeo intime concreti, ut Meſenterium citra dilacerationem haud potuerit a vertebris ſolvi. Quoad naturam tumorum, in quibusdam medium folliculum occupabat alba materies, aut griſea, unita, æquabilis, craſſa pulte durior, mollior lardo, & in meditullio veræ pulti ſimilis. In aliis materies tum albidior erat, tum etiam in meditullio durior. In aliis tota iterum dura, æquabilis, ſciſſilis. In nonnullis veluti calx aqua miſta oculis adparebat, digitis nullam exhibens aſperitatem. Denique, in una alterave, vera calcarea materies, dura, tactu aſpera, ceu in fungoſum lapidem concreta. Ad vaſa iliaca utraque, ad Peri-

ricardium, Sternum, Diaphragma, ſupra Aſperam arteriam ad Jugulum, ad Axillas, ubique ejusmodi reperiundi tumores erant. Multa in thorace, & abdomine, aqua.

Ad monſtroſum nunc collum verſo examine, tumores non amplius ſolitarii, ſed & pluribus minoribus, ſibi incumbentibus, accumbentibusque, & communi cęlluloſitate circumdati conſtabant. Membranas alii tenues, craſſiores alii, nonnulli denique prope cartilagineas, habebant. Intercurrebant per tumorum intercapedines, ſupraque eosdem, arteriæ, venæ, nervi multi, per tunicarum ſubſtantiam diſperſi. Tumore prudenter aperto, vaſa eadem in minores, quibus maſſa major componebatur, tumores, ſe dividebant: tumorumque multi vaſis in collo majoribus tam firmiter increverant, ut ſine alterutrorum læſione ſeparari non poſſent; vaſa tamen illa majora a tumoribus non videbantur notabiliter comprimi. Encephalon ſolum ab his malis immune fuit. Ubique in colli tumoribus diverſitas materiæ: imo aliquot ante mortem ſeptimanis ingens adparuerat tumor, ſuppuraverat, diſparuerat. Plerique vero quaſi una cartilaginoſa ſubſtantia erant, vel atheromata. Sedes porro omnium aut glandulæ erant, aut adipoſi folliculi.

Multiplex igitur uno in corpore tumorum differentia: ſed aliis in corporibus adhuc alias formas induunt. Fœminæ cætera ſanæ a tribus retro menſibus ſolitarius ejusmodi tumor creverat ſponte, in colli poſtici dextro latere, partem cucullaris musculi, ut & ſplenium capitis, & complexum tegens. Libere hærentem Chirurgus enucleavit, globo ſimilem, levem. Exſciſſum tumorem examinantes, plures membranaceas lamellas, vasculis multis refertas, primo ſeparavimus; dein ad duritiem ſemicartilagineam ſesquiliniaris craſſitudinis pervenimus, quam intus inveſtiebat durior compages, in plagis quibusdam perfecte

car-

cartilaginea. Magnus tunc ſequebatur folliculus, plenus materie pellucidiſſima, gelatinoſa, ſubflava, tunc ſanguis fluidus, coccineus, per tremulum hoc gelatum filatim quaſi diſperſus, vaſis non contentus tamen. Portio vero quædam rubicunda, gelatinoſa, uno in loco ad internum folliculi parietem hærebat, non quidem affixa, ſed veluti leviter agglutinata. Vas vero, quo ejusmodi duplex materia in cavum folliculum intraſſet, nullo ſcrutinio patuit. An durum tumoris putamen, poſt enucleationem contractum, vaſa in cavum penetrantia compreſſiſſet, rubrum partim in cavum, partim retro expuliſſet? Sicque vaſis conſpectum ademiſſet? ſaltem microſcopio examinata materies hæc, & undique perſciſſa, non niſi homogenea, vaſisque orba, adparuit.

Aliud genus tumoris intellectu difficile, haud ita pridem tribus in hominibus vidi. Sedes in maxilla utraque eſt, incipiens ad aurem, ſub proceſſu zygomatico procedens, ad alterum tertiumve dentem molarem pervenit, descenditque ad mediam, imo & ad infimam maxillæ inferioris partem. Si in ore examines, eſt ligni inſtar durus, & veſtitus membrana, ruber colore, a maxillis liber, præterquam ſuperiore ſui parte. Lignea durities ubique æqualis. Palmam manus magnitudine occupat. Cuidam fœminæ & totam occupat parotidis ſedem. Eſt, cui Zygomaticus proceſſus extrorſum trudi videatur. Nullis hucusque remediis auſcultat, etiam ſolventiſſimis. Si forte alicubi plaga emollescens materiem videatur continere, ea aperta dat ſanguinem merum, dat lympham; cæterum nec ſuperat, nec mole decrescit. Qua proprie lege naſcantur, quidve gerant intra ſeſe, necdum bene detegere licuit. Buccinator, Zygomaticus; major minorque, ſupra tumorem libere agunt.

Hæc de theoretica tumorum quorundam contemplatione, quorum difficilem fateor curam eſſe; quid

tamen in inveteratis, deſperatisque, tentaverim, enarrabo.

Acceſſit me 20. annos nata fœmina, vinitorio opere victum quæritans, pluribus deturpata toto collo tumoribus. Varii quidem illi, maximeque ad nucham, ſuppurantes apparuere, apertique dederunt puris tantillum, ſed reliqua mole manſere duriſſimi; quantacumque opera eorundem ſuppuratio, unguento ægyptiaco, aut adplicito vitriolo calcinato, aut præcipitato rubro, aut trochiscis de Minio Vigonis, exploraretur; uno alterove, in tanto numero, excepto, omnia fruſtra erant.

Hinc in ea inſtitui *Galeni* methodum, qua aceti vapor, apto ad id inſtrumento, quotidie ad dura hæc corpora determinetur, idque per ſex integros menſes continuavi: interea dum patiens uteretur vino Auſtriaco communi, in quo ſal alcalinus ſolutus, ut hoc veluti ſaponaceo liquore ſolverentur concreta; uti & ſæpe pilulis gummoſis ac ſaponaceis. Sed omnia fruſtra.

Deinde ipſi per alium dimidium annum dedi dragmam integram *ſpongiæ uſtæ* quotidie. Spongia dat uſta odorem, uſtis animalium cornibus ſimilem, ſalem alcalinum volatilem, & oleum tale. Qui tunc carbo remanet, habet ſalis fixi quidquam, &, ut magnes indicat, quid ferri. Si jam vaſe rite clauſo ſpongia uritur, oleum & ſal volatile cum fixis principiis unita manent. Spongia ſic parata multos ſcrophulos curat: aſt dimidii anni ſpatio hæc fœmina XVI. Libras nequicquam aſſumpſit, quamvis interea variis emplaſtris, unguentis, fomentis, frictionibusque, reſolutio tentaretur.

Unde ad aliud reſolvens confugiens, ſpiritum frumenti præſcripſi cum Mercurio ſublimato, continuatis frictionibus, & dato quartis ſingulis diebus purgante hydragogo. Et hæc per dimidium annum vix quidquam profuere.

Tan-

Tandem egregius *Greg. Menſurati*, optimus *Græcenſis* Medicus, Chirurgiæ ibidem & Anatomes Profeſſor, quem nunc morte abreptum lugemus, communicavit mecum remedium, quo ſe plurimos in *Styria*, & *Carinthia*, curaſſe aſſeverabat. ℞. Nihil albi unc. IV. Oſſium ſepiæ, Putaminum Ovorum a. unc. ij. Panni ſcarlatini unc. 1 $\frac{1}{2}$. Miſta vaſe clauſo comburantur, rediganturque in pulverem. Doſis pro adulto gran. XVIII. bis de die; ea quidem lege, ut ipſo in plenilunio purgans phlegmagogon ſumatur, & ſequentibus ſex diebus duodecim pulveres aſſumantur, dum interea loca tumida probe fricentur. Quosdam tunc curatos ajebat; quibus vero malum non multum, aut non integre ademtum, his altero plenilunio, tertio, quartove, eandem repetendam methodum eſſe: ſed Styros ſuos raro ea ad tertiam vicem indigere.

Volui ad literam, ut ajunt, hoc conſilium exſequi, ne quis, ſi minus ſuccederet, neglectum accuſaret. Sumſit fœmina remedium cum effectu nonnullo, repetivit toties, donec ad quintum plenilunium perfecte curata eſſet. Sed pendula in collo cutis, ſacci inſtar, diffformitati erat. Frictionibus autem aromaticis, & ligatura idonea, cutis naturalem contractionem recuperavit.

Succeſſit idem experimentum in juvene, qui etiam antea varias methodos fruſtra expertus eſſet: unus tamen alterve ipſi tumor ſuperfuit, quod, peracta fere tota cura, ſe ipſum negligeret.

Nolim hic loci, ne longior ſim, examinare undenam iſta horum medicamentorum efficacia? ſuffecerit hucusque efficaciam vidiſſe.

Verum quod mireris mecum, & condoleas, ceſſantibus utrisque a remedio, malum ſenſim rediit. Diatheſis manſerat, curatis ejus effectibus. Mens igitur eſt in aliis, modo morigeros ſe præbeant, re-

medium per dimidium annum a perfecta curatione continuare.

CAPUT XXI.

De Mira Variorum Medicamentorum Efficacia.

Antea cap. 9. quædam obſervata circa calculum me in ſequentibus communicaturum ſpoponderam; fidem nunc liberabo.

Ac primo quidem de *Uva Urſina* affirmari oportet; optimum remedium eſſe in renum, veſicæque morbis, dum calculus aut adeſſe noſcitur, aut ſui ſaltem ſuſpicionem facit. Nonnullis mitigat tormenta morbi, ut vita tolerabiliter tranſigatur; aliis omnia ſymptomata aufert, ut ſe curatos putent.

Uvæ urſi uſus mihi commendabatur dudum ab *Illuſtriſſimo Præſide*, qui & omnem ejus, quam poſſidebat, copiam, mihi elargiebatur. Egregius Botanices ac Medicinæ cultor, Dominus *Lucas Mislei*, qui in *Styriæ* Alpibus, medias inter nives, magnam plantæ copiam mihi collegit, hanc mihi ejus deſcriptionem dedit.

„ Uva urſi. Ἀρκτοςάφυλος. *Tournefort. inſtit. Rei*
„ *Herb. Tab.* 370. Eſt ex mente Cel. *Linnæi* arbuti
„ ſpecies, nempe arbutus caulibus procumbenti-
„ bus, foliis integerrimis. *Linn. Spec. plant. Tab.* 1.
„ 395. Num. 4. *Johannis Bauhini* Hiſtoria Plant. uni-
„ verſalis T. 1. Lib. 5. cap. 8. p. 523. optimam dat
„ iconem, ſed deſcriptionem minus accuratam. *Ga-*
„ *leni* deſcriptio videtur convenientiſſima Lib. 7. c. 4.
„ κατὰ τόπους. Frutex eſt humi repens, locis paucis
„ frigidiſſimis, iisque potiſſimum creſcens, quos per-
„ petuæ nives tegant; *paucis* dico: nam mihi multos
„ altos montes conſcendenti, non niſi in binis hacte-

„ nus

„ nus conſpectus eſt: in Auſtria quidem, in Alpe *Gans* „ vulgo nuncupata, quinque leucis ab Auſtriæ Ne„ apoli ſita; in Styria vero in Alpibus nivalibus dic„ tis, ſex leucis a *Cellis Marianis* remotis, ubi inter „ perpetuas nives copioſius legitur. Caules huic „ frutici reptantes, cortex rufescens, folia confer„ ta, oblonga, ovata, integra, carnoſa. Flores mo„ nopetali, ovales, baſi planiuscula, ore quinquefi„ do: lacineis obtuſis, revolutis, parvis. Fructus eſt „ bacca ſubrotunda, ceraſo minori ſimilis, rubra, „ ſeminibus quinque oſſeis, planiusculis, fœta. Plan„ ta perpetim viret; fructus altero anno maturescit. „ Totus hic frutex, præſertim cortex & folia, ama„ rum, adſtringentemque habet ſaporem, fere ut „ Peruanus cortex. Cæterum in colligenda hac plan„ ta attentus ſit oportet Rhizotomus, ne vitem i„ deam, ſeu Myrtillos rubros pro Uva urſina colli„ gat: ita enim hæ binæ plantæ, ut ovum ovo, ſibi „ ſimiles videntur; nec niſi ſyſtematicus Botanicus „ easdem ſemper diſtinguere novit. Differentia ta„ men hæc eſt: Uva urſi florem habet decem ſtami„ nibus, vitis idea, non niſi octo, præditum. Uvæ „ urſi baccæ non niſi quinque habent ſemina; vac„ cinium, ſive vitis idea, viginti ſæpe.

Planta ſic cognita, videamus ejus egregios in medicina uſus. Sexagenarius vir a 20. retro annis difficultate mejendi crebro laboraverat, nunc per novem menſes fere continuo: ita ut guttatim, ſummisque, & intolerabilibus cum ardoribus, urinam emingeret fœtidiſſimam, purulentam, mucoſam, ſanguineam. Quin & Iſchuriam aliquoties paſſus, cathetere levandus fuerat. Utrum nunc Cathetere, an acrimonia Urinæ, urethra læſa ſit, Catheter ſaltem induci non poteſt, ut exploretur num calculum veſica gerat.

Præmiſſis infuſis balſamicis, & laxantibus, data fuit homini quovis mane dragma dimidia hujus plantæ in

pulverem redactæ; Turundæque, quæ feruntur eædem eſſe, quibus Pariſienſis Chirurgus *Daran* inclaruit, & divitias magnas comparavit, ipſi in urethram miſſæ ſunt. Turundæ canalem egregie percuraverunt, ſed Catheter immiſſus verti non poteſt; ob veſicæ forte parvitatem, quæ familiaris his, quos omni momento mingendi neceſſitas urgeat. Veſica enim, ultra non expanſa, contrahit ſeſe corrugaturque, ut exemplis anno elapſo patuit. Cæterum per ſeptem integros menſes his pulveribus homo uſus, Urinam nunc per aliquot menſes crebram quidem & mucoſam, licet haud ita fœtidam reddit; at vero doloribus, quibus per tot annos tantum non enectus erat, prorſum caret, bene dormit, bene appetit, ambulat, viribus valet, & ſine ullo in urethra impedimento reddit urinam. Per dimidium annum omnia remedia cum neglexiſſet, initia levioris doloris expertus rediit, eosdem pulveres repetiturus.

Alius ſexagenarius, qui a tanto tempore & ædes ſuas, & viciniam, miſerrimis clamoribus, & ejulatibus expleverat, iſchuria demum quotidie redeunte laboravit; ita ut per ſeptem integras ſeptimanas, mane ac veſpere, Cathetere juvandus fuerit: cujus tamen ope vix bihorii ſpatio tormentorum ferocitate carebat: & ſi quandoque minus feroces dolores pateretur nullam tamen urinam reddiderat, niſi ſemel ſaltem de die Cathetere juvaretur. Præterea Herniam oſchcocelen dictam, eamque magnam, patiebatur. Hic rerum ſtatus, cum ad nos accederet.

Herniæ aptum brachierium bene proſpexit. Dragma media pulv. uv. urs. ſingulo mane data leve paregoricum veſpere exhibitum, effecere, ut ſexto die nunquam ultra Cathetere indiguerit. Urina tamen ſemper fœtida manebat, & quanvis eadem nocte & mane miſſa, dum eam inter 7. & 8. matutinam examinabamus, cum aceto effervescebat. Poſtquam autem

tribus cum dimidio menſibus medicamenta eadem continuaverat, Urinam diutius retinere potuit, doloribus caruit, vires adeptus eſt, & ex cacochymico ſanus eſt factus. Negligentiam medelæ incipientis doloris reditu luens, repetiit Noſocomium, eandem rogaturus; poſtquam denuo omni dolore caruit, cumque iterum aliquantiſper expertus eſſet num medela hac tuto carere poſſet, ad me rediit DEUM veneratus, mihique gratias agens. Suaſi tamen alterno die pulverem ſumeret; non rediit.

En autem aliam hiſtoriam. Cuidam quinto ætatis anno quinque in ſcroto ulcera oboriuntur, quorum ex uno calculus exit. Tumore, validoque ſcroti dolore, ac continuo materiæ albæ, urinæque, apertis de ulceribus, ipſo inſcio, prodeuntis, ſtillicidio laboraverat. Tandem enarrata ſymptomata ſenſim evanuere, vago urethræ dolore, & materiæ albæ ex urethra ſtillicidio, perſeverantibus. Viginti autem annos nato, ſcroti, ac præprimis dextri, dolor & tumor renascuntur, ulcere ibidem, ut quondam, ſuccedente. Nato ulcere dolor conticuit; clauſo eodem, recruduit dolor. Aperto ex ulcere iterum, ipſi inſcio, urina, albidaque materies, extillavit, maxime quo tempore urina in mingendo per urethram tranſiret. Teſtes non male affecti; dexter modo ſiniſtro major, quod forte naturale. Inter medios teſtes, ubi corpus cavernoſum urethræ habetur, durum quiddam, ac utcumque fungoſum corpus percipitur, urethræ veluti appendix, cum ipſo ſcroto corrugato ibidem concretum, unde emitti urina videbatur: Perinæum vero mole totum, & bonum. Venerei, quoad ſciam, ſubeſt prorſum nihil. Siniſter teſtis primo vehementer doluerat, eratque varicoſum eodem in latere corpus pampiniforme. Solamini ipſi ſæpe fuerat unguentum hocce: ung. Nicotianæ unc. II. Myrrhæ dr. II. M. Ut & Empl. compoſitum ex Empl. de Ranis cum merc. ſimpl. Diabo-

tan. Divini, a unc. 1. ol. ſtill. Rutæ dr. 1. M. Hic ſtatus rerum, cum operam noſtram peteret.

Calculum ex urethra quinto ætatis anno per ulcus externum exiviſſe, ex hiſtoria patet; ſed undenam ille? Si ex veſica eo perveniſſet, iſchuria laboraſſet diuturnitate nemini toleranda; nam ſane calculus haud tam cito erodit urethram & corpus cavernoſum, & ſcrotum, ut prodeat foras. Saltem ſi in ſcroto hæſit ſine iſchuria, indiguit longo tempore, antequam viam ſibi eo verſus paraviſſet. An non probabilius inflammationem ac ſuppurationem prægreſſas fuiſſe in urethra, acrem urinam in ulcuſculo moram traxiſſe, ulcus ampliaſſe, elementaque calculi, quæ omnis ſani hominis urinis inſunt, ibi depoſuiſſe, & hinc calculum produxiſſe, qui viam ſibi extrorſum paulatim exederit?

Excreto hoc calculo, per 15. annos præcipuis illis ſymptomatibus caruit, ſed dolores & ardores in Urethra ſæpe perpeſſus eſt. Diſpoſitio leviter ulceroſa videtur ſuperſtes fuiſſe, ſed aſſiduo transfluxu urinæ abluta ſemper, ſimul vero ejusdem urinæ tranſitu, & adplicatione, recrudescens. Ita quidem ut levis hæc exulceratio ad 20. vitæ annum proſerpſerit, & ex ulcere in concreto cum urethra ſcroto, denuo urina, pusque, perſtillaverint. Natum ulcus difficulter claudi potuit, eo quod urina illud continuo irritaret. Clauſo ulcere extrinſecus, ſtagnans ejus in fundo urina dolores iterum majores creavit. Quam calloſitatem in corpore cavernoſo urethræ deprehendimus, eam ulcus pro more produxit.

Cum itaque uva urſina in ulcere Renum, Ureterum, Veſicæ cum calculi ſuſpicione, adeo proficua nobis viſa eſſet, & huic eadem data eſt. Hac vero per tres menſes æger uſus, clauſa ſibi ulcera gaudet; caretque ita dolore, ardore, aliove quocumque ſymptomate, ut ille ſibi integre reſtitutus videatur. Quia tamen ſubin-

ſubinde ex ipſa urethra in glande penis nonnihil materiæ albæ extillat, ſuaſi ut per aliquot menſes remedium continuaret; id quod, cum ſe curatum credit, negligentius facit.

Fœmina quadragenaria major, elapſis quatuor ab hinc annis, percipere incepit totius corporis laſſitudines, gravesque lumborum dolores; quos octiduo poſt, idque per ſesquimenſem continuum, mictus ſanguineus excepit; mictum ſanguineum dein limpidiſſima urina ſequuta eſt. Cæcas ſuas hæmorrhoïdas adplicitis hirudinibus ſubinde levavit. Catameniis gaudet. Et licet deinceps ſemel, aut bis modo, urina quid ſanguinis commiſtum geſſiſſet, manſere tamen tanti lumborum dolores, ut pronare corpus ipſi fere ſit impoſſibile. Purulenta autem minxit nunquam; nunquam Iſchuriam, Dyſuriamve, paſſa eſt: Hæc menſe Aug. 1756. me convenit, conqueſta quod ubi ædibus ſuis expurgandis operam egregie navaſſet, jam in decimum diem ſummis cum lumborum doloribus, ſanguinem emingeret. Urina licet recens, fœtebat multum. Calculum Renum hiſtoria hæc vivis depictam coloribus exhibet.

Exhibitis primo demulcentibus ac paregoricis, uva urſi data eſt; octiduo poſt, urina ſine ſanguine fuit, ſine fœtore: mireque temperavit emplaſtrum latum de Labdano intolerabiles lumborum dolores. Uva urſina duobus exhibita menſibus effecit, ut integre reſtitutam ſeſe, ſanamque omnino pronunciaret. Monui vellet aliquamdiu adhuc medicamento pergere. Exin non rediit.

Ut uva urſi, ita *Sapo Venetus*, cum *aqua calcis*, pluribus profuit, ſed non niſi copioſe. Memorabile exemplum ſutoris eſt, quem anni, & quod plus eſt, ſpatio, hujus experimenti cauſa, Noſocomium aluit.

Per ſeptem integros annos, ſi quis unquam, calculi in veſica martyr, opem petiturus me adibat. A paucis

unciis incipiendo dein integram menſuram, id eſt, Libras IV. aquæ calcis, totidemque lactis, quotidie bibit; aptatoque ad id inſtrumento aqua calcis cum lacte, ſemel, bisve de die, in veſicam eſt injecta. Potum egregie ſuſtulit; injectiones quacumque arte, prudentia, mutatione aut copiæ aut materiæ, adminiſtrarentur, ferre non potuit. Unde Doctiſſ. *Whytt* M. D. & Prof. *Edimb.* ſequutus, a menſe Nov. 1756. usque in Junium 1757. dedi ipſi integram unciam ſaponis veneti quotidie, cum aquæ calcis & lactis memorata copia. Ita quidem ut in hac cura aſſumſerit 17. Libras ſaponis, 1500. Libr. aq. calcis, & 1500. Libr. lactis.

Homo hic ſub media cura incepit, & hucusque continuat, urinam tam facile reddere, quam unquam homo, qui ſemper expers calculi vixit: nulla unquam ſtranguria ultra affuit, nulla retentio, nullus ardor dolorve, imo retinet urinam debito ſanorum tempore. Et quamvis jam per 4. 5. menſes ex Noſocomio dimiſſus, tædio diuturni medicamenti, id ultra ſumere recuſet, atque indiſcriminatim ſalſa & acria, quibus delectetur, affatim aſſumat, manet tamen ſaniſſimus.

Interea autem calculus cathetere noscitur in veſica eſſe, urinaque quotidie mucoſa prodit. Egregius *Whytt* phænomenon explicat. Exemplo Nobiliſſimi Equitis *H. Walpole*, aliorumque, debuit concludere, ſi calculi non ſolverentur, eis tamen aſperitates demi, circumvolvique cruſtam mucilaginoſam, quæ, ne noceat calculus, efficiat.

Sed uſus tantus alcalinorum, an ſolutionem humorum putridiſſimam non minitetur? Id *Whytt*, aliique cum illo, obſervarunt nunquam, neque in meo homine ſimile quidquam adparuit. Nam cum illi, ex cachectico ſano, plethora urgente, vena ſecari debuit, ſanguinem ejus pleno auditorio demonſtravi, omni nota optimum.

Mercurius ſublimatus corroſivus cum Spiritu frumenti da-

datus, eſt remedium incomparabile, quo ex conſilio *Ill. Præſidis*, L. B. *van Swieten*, multis in caſibus utor. In libra Spiritus grana ſex ſolvuntur, danturque ejus duo de die cochlearia; aliquando, ſi videmus hominem id bene ferre, pertinaxque ſit malum, ter, imo, quater de die; ea lege ut vel decocti alicujus emollientis, Althææ, Bardanæ, imo ſæpe aquæ puræ, Libr. II. III. totidemque lactis, quotidie abſumat, & omni quarto mane purgetur quinque pilulis compoſitis ex maſ. pil. extr. cath. gr. X. ſcammon. & Reſ. Jalap. a. gr. V. Spir. Vin. q. ſ. ut f. pil. N°. V. Tutius, blandiusque purgans, in quovis temperamento non datur, in Chronicis morbis. Vix credibile eſt, quantus hominum numerus tum in Noſocomio, tum maxime per Civitatem totam & ſuburbia, hac methodo, tam a venereis, quam a multis aliis chronicis malis, & reſtituatur in ſanitatem, & ſanus conſervetur.

Puellæ cura, per hoc remedium facta, egregia ſane eſt, ulceris primo nomæ, dein phagedenici, tandemque duſepulotici, cujus hiſt. cap. 15. dedi.

Juvenem ſpatio ſeptem menſium pulcre idem curavit ab albugine, utramque corneam diaphanam totam obvelante, quam longæ, diræ, neglectæ, peſſimeque tractatæ, Lippitudines produxerant; nullo alio remedio exhibito, præterquam diſcutientes herbas floresque, vino rubro incoctos, oculis admotos. Cura hæc levem modo maculam ſiniſtro in oculo hucusque reliquit, dextrum ita limpidum effecit, ut legere omnia, & ſcribere expedite, & labore demum victum quæritare poſſit.

Hominem, qui ex venere toto corpore perfuſa, etiam poſt Phlyctenas pannum craſſum dextra in cornea gerebat, idem remedium & a Lue, & a Panno Corneæ, trium menſium ſpatio, ita percuravit, ut ne veſtigium quidem mali ſupereſſet.

Corpus antiquiſſima lue adeo arthriticum, ut hinc An-

Anchyloſes, illinc Paralyſes, variique tumores & ulcera, illud jam dimidii anni ſpatio lecto affixiſſent, hæc methodus ita reſtituit, ut pedetentim moveri artus, tandemque quivis fere motus, qui a ſano vegetoque corpore exerceri conſueverint, exquiſito digitorum motu excepto, denuo potuerint exerceri.

Lues venerea hominem longa a die emaciaverat; ac veſicam urinariam fœdiſſime exulceraverat, ita quidem, ut veſicæ ulcus magnopere intra ipſum inteſtinum Rectum extuberaret, continuosque crearet tenesmos. Urinam non emittebat, niſi cathetere adjutus, pure onuſtam. Arthritis ſimul venerea vehementer illum torſerat. Methodus dicta trimeſtri ſpatio integram omnium ſymptomatum curam abſolvit, integram reddidit ſanitatem. Et quamvis jam quinto menſe quibusvis remediis ille abſtineat, ſolo lacte excepto, illibata gaudet ſanitate.

Haud tamen omnes methodus hæc curat; ſunt enim, qui incurabiles: ſunt qui curam commodam gaudentes, mox dein, imo ipſa ſub cura, antiquum obtineant; Præterquam quod medicos reperias, qui vel non debito modo, vel non ſat diu, curam, inſtituant. Sed ſi hinc vituperaverit eam quis, a fortiore, quod ajunt, debebit Ptyalysmum, & Hidroſin vituperare. Angli certe hanc methodum, ut omnium optimam, plurimis, iisque pulcerrimis experimentis approbaverunt, Tractatu nuperrime edito *Medical. obſervations and inquiriis*, *Tom.* 1.

Circa aquam marinam, quam *Tergeſto* mihi afferendam curo & liquorem picis, quædam dicenda habeo, ſed pauca experimenta afferre nolim; plerique enim ab horum protractiore uſu abhorrent: unde longiore tempore indigeo.

C A-

De Machina Electrica.

Machinam electricam noſtram multi hoc anno academico acceſſere, quorum nonnulli ex leviore Apoplexia, ſeu ex parapoplexia; alii Paralyſi idiopathica; quidam a Plumbo, ut tres figuli; alii a Mercurio, ut duo deauratores; nonnulli ab Anchyloſi genu, per vim externam orta; alii denique poſt Arthritidem, partes quasdam paralyticas haberent.

Horum plurimi per 1. 2. menſium ſpatium ubi acceſſerint, uno, tribus, imo ſex menſibus, redire negligunt: tum quod multi ad extremos ſuburbiorum fines habitantes, adverſa tempeſtate, maxime dudum humida, viis ægerrime uti queant; tum quod plures eleemoſynis ſuſtentati, otioſe potius vivere ament, quam reſtitutis ſibi artubus, panem ſuum in ſudore vultus lucrari; tum quod nonnulli, integre pene reſtituti, præ amore victum ſibi, ſuisque, quæritandi, antiquos labores ſtrenue repetant. Examine porro omnium exacte inſtituto, conſtitit:

1mo. Nemini unquam vim electricam vel minimum nocuiſſe, licet raro caſu quibusdam crearet dolorem. Hinc nemini formidini eſſe debere, ne, ſi non proſit, noceat ſibi.

2do. Tres fuiſſe, quibus principio nihil profuerit, quique ideo non redierint.

3tio. Unum fuiſſe, alterumve, quibus per integros ſex menſes machina minime opitularetur; pertinaciter tamen perſeverantibus, multum levaminis attulerit.

4to. Quosdam rediiſſe, qui aliquid lucrati quondam, & debito citius recedentes, relapſi eſſent; hos vero difficilius deinde, tardiusque, id quod perdidiſſent, recuperaſſe.

5to. Emendatos fuiſſe, qui 1. 3. 6. 9. 12. & ultra annis, paralytici eſſent; unum autem, alterumve, & mi-

minorem, & tardiorem, etiam in recenti malo, opem percepiſſe.

6to. Fuiſſe etiam, quibus jam primo menſe mutatio, ſpem exſuperans omnem, obtigerit, in lingua, oculis, artubus, digitis, paralyticis.

7mo. Quosdam eo usque curatos, ut fere nil ſupereſſet mali; eosdem tamen quod ſolitos obire labores denuo poſſent, ad perfectiſſimam curationem non perſeveraſſe.

8vo. Plures eſſe, qui multum lucrentur, ita quidem ut incedere pedibus, brachia movere, digitosque, egregie valeant; non vero digitis ita uti, ut ſubtilioribus ſufficiant laboribus: ſpem tamen, modo perſeverent, habere, fore ut integre curentur.

9no. Indiſcriminatim emendari, ex quacumque demum origine paralyſin, tremoresve membrorum, ſibi contraxerint.

10mo. Conſuetudinem nobis eſſe, per mediam ad minimum horam protrahendi Electricitatis adplicationem.

11mo. Viribus Electricitatis alia etiam addita auxilia fuiſſe; quæ, licet citra Electricam vim, ſæpe incaſſum adhibeantur, eam juvare tamen promovereque, poſſint. Etenim perpetuo ipſis injunctæ ſunt frictiones pannis laneis, fumo Maſtiches, Sarcocollæ, Olibani, Benſoin, Styracis calamitæ, Camphoræ, Baccarum Juniperi, imbutis, inſtituendæ. Quibusdam ſolventia & incitantia Gummi, herbasque; aliis Roborantia, ex vegetantibus & mineralibus parata, exhiberi ſubinde oportuit. Imo nonnullis, quod tardius emendarentur, decem, quindecim, etiamque triginta, cucurbitæ ſiccæ, alterno, ſingulove die, admotæ, ad nervorum in Colo, Lumbisve, origines, multum auxilii attuliſſe videntur: ita tamen ut alio diei tempore ad machinam accederent. Quibus bene penſitatis concludo:

1mo. Per-

1mo. Perperam, & plane contra veritatem egiſſe, qui quasvis debilitates, & paralyſes, & obſtructiones, & humorum lentores, ad machinam electricam curari poſſe, jactaverint. Coalitæ quippe, concretæque adeo ſunt in multis partes, ut humorum circulus per easdem reſtituatur nunquam. Spem bonam qui his ægris faciunt, vani jactatores ſunt, ſuis propriis experimentis redarguendi.

2do. Injuſte egiſſe, qui, quod vis electrica haud omnibus ex æquo proſit, pluribusque amicorum ſuorum nihil profuerit, quibus tamen a glorioſis Thraſonibus ſecura ſpes facta fuiſſet ideo totam rideant electricitatis efficaciam.

3tio. Diſcuſſis, penſitatisque omnibus, machinam hanc auxilium eſſe, quod in multis malis plura præſtet, quam alia auxilia hucusque præſtiterint; adeoque grates DEO, ob patefactionem ejus a mortalibus referendas eſſe.

Dicenda ſupereſſent quædam de Embrocha, *la Douche*, quam inſtituo, imitatione variarum aquarum medicatarum; ſed cum pauciora experimenta hucusque completa habeam, quam ut firmam inde concluſionem formem, malim hæc ad futura relegare.

Finem porro hisce impoſiturus, ſerio notatum velim, plures Chronicos morbos, aut tolerabiliores reddi, aut omnino forte curari poſſe videri, ſi in illorum curatione adminiſtranda Medici, ſi in eadem ſubeunda ægroti, ſummo ſibimetipſi impedimento non forent. Ut enim, quæ ſentiam, candide eloquar, nos Medici longis in morbis debitæ ſolertiæ paſſim deſumus; idque, aut defectu ſcientiæ, aut patientiæ, aut denique temporis. Quoad primum; nihil verius quam multis noſtrum debitam deëſſe ſcientiam lentos, eosdemque ſæpe implicitos, morbos interſtinguendi, veramque determinandi eorundem naturam. Enumeramus ſymptomata ſolerter, ponderamusque illa: quibus

bus auferendis partes nos noſtras abunde expleviſſe credimus, ſi calluerimus ad ſingulas viſitationes novam formulam condere; ita ut elapſo menſis ſpatio cubiculum ægrotantis in officinam Pharmacopæi videatur mutatum eſſe, & inops interim auxilii æger ſuis ſub miſeriis triſtis gemat, occumbatque. Deinde non minus certum eſt, enumeratis in morbis, noſtrum pleriſque debitam deëſſe patientiam, ita ut tædeat nos, ad morbos lentos admotos, tam parum lenteque eorum in cura proficere. Quippe celeres curas, in altum quæ famam vehant, præferimus; miſeros vero, chronicis occupatos, vix decies rogati adimus. Tandem & illud, quamvis & turpe, & horribile dictu! experientia quotidiana confirmat, quod multos noſtrum tanta pecuniarum aviditas teneat, ut & amore proximi, & conſcientia poſthabitis, a ſumma aurora in ſeras usque veſperas, terendis plateis occupari malimus, quam ad difficiliores caſus enodandos Muſæum frequentare. His tamen illos exceptos velim quos fama maturior, quo ſtudiis parum incumbant, totos dies vel invitos defatiget, integras abripiat noctes. Occaſio his deeſt, non bona voluntas.

Ut Medici in culpa, haud ſane minus etiam ægroti. Multi longo itinere defatigati, fiunt demum erga medicos, & medicamenta, moroſiores. Quid quod pluribus ejus videtur medici curta ſuppellex, qui quotidie non innovet, mutetque quidquam; iique ſoli digni, quos vocent, ſoli apti, quibus ſe fidant, apparent, qui ter de die alia, totoque diverſa cœlo, præſcribere adornareque poſſint.

Profecto allatæ hoc tractatu ſive curationis, ſive emendationis, pleræque enarrationes, & medentium ſolertia, & ægrotantium perſeverantia, patratas eſſe curas demonſtrant, quæ nunquam ſive utroque, ſive alterutro deficiente, patratæ fuiſſent. Unde in ejusmodi ægris ſuſcipiendis Medicum oporteat ſuas rite

explere partes, ſuasque etiam ut expleant adhortari ægrotos.

CAPUT XXIII.

De Morbis malignis.

HUjus operis *Cap.* 15. *pag.* 98. & hanc Quæſtionem propoſui: " Nunquid ergo in ipſa „ eruptione aut malignarum Variolarum, aut alio- „ rum exanthematum; imo nunquid in ſtadio ipſo „ contagioſo, ſi & epidemia, & ſymptomata, Ma- „ lignitatem vaticinarentur, teſtarenturve, cortex „ Peruvianus non conveniret? imo dandus non eſſet? „ Et pag. 101. „ Attamen tantillum ab ejusmodi reſ- „ ponſione danda abſtinuerim, donec ſequens Acade- „ micus annus abſolutiora, cum Bono Deo, profe- „ rendi dederit facultatem. „ Suppeditavit porro hic annus quamplurimas, inſignesque easdem, & quavis ex parte notabiles occaſiones; quas communicare, ac ſuper iisdem practice ratiocinari, operæ pretium erit. At vero quia adeo confuſa res eſt illud nomen Malignitatis, ut non ſit idem ejus apud cunctos intellectus, expediet, quid hac appellatione intelligi velim, paucis præfari.

Definiuntur magno *Hippocrati* ἰυηθέες morbi ii eſſe, quos nulla ſymptomata concomitarentur, quæ a conſueta horum morborum norma, neque natura, geniove ſuo, neque ferocitate, aliena eſſent; κακοηθέες vero, quos comitarentur talia. Id in *Prorrh.* in *Coac.* in *Libr.* 2 *de Morb. Mul.* manifeſto liquet. Hanc deſcriptionem ſecutus eſt *Galenus*, *comm.* 1. *Prorrh.* & *Libro* 1. *de Criſ. Cap.* 12.; hanc *Foeſius*, *Goræus*, aliique. Quare merito optimus *Sydenham* toties acerrime in illos invectus eſt, qui τὸ κακοήθες ad quosvis graviores mor-

 bos,

bos, præſertimque cutaneos, ſolerent extendere: plures mortalium malo hoc intellectu, quam pulvere pyrio, interimi ratus. Cl. *Boerhaave Inſt.* §. 919. eodem modo malignitatem intellexit, definivit; morbos autem cutaneos adeo non ad malignos retulit, ut §. 939 eosdem etiam inter bonas Criticas evacuationes annumeraverit.

Quapropter ſtatuere cogimur, eos ſolummodo morbos adpellatione malignitatis recte inſigniri, quos ſymptomata inſueta, aut longe ſolito graviora, numeroſioraque, comitentur; nullatenus vero illos, qui, acutine fuerint, an peracuti, interni, aut cutanei, conſueto more ſua ſpatia decurrant. Ut proinde *Variolæ*, *Morbilli*, *Scarlatinæ*, *Miliaria*, *Petechiæ*, nomine malignitatis careant, quando vel acutorum criſin faciunt, vel morbi exiſtentes primarii conſuetum Naturæ benignioris ordinem ſequuntur.

Utriusque hujus generis, benigni ſcilicet, & maligni, exempla, Noſocomium ſuppeditavit. Quintuplicem hanc recenſitorum mox morborum ſpeciem, adeo mitem experti ſumus, ut aliá vix arte indigerent, quam ut, bona duntaxat directione, ſua morbo ſervaretur benignitas, ſuus maneret typus. E contrario autem eosdem hos morbos aliquando adeo malignos offendimus, ut non citra ſummos labores emergerent ægri. Quin & eorum haud multum malignos, extra Noſocomium obtinentes, ineptiore methodo in vere malignos converſos, vehementer doluimus; deſperatos vero alios apto artificio in ſanitatem mutatos gaviſi ſumus. His prælibatis, varias eosdem curandi methodos recenſere, examinareque, ut, quænam cæteris præſtantior eſſe appareat, oportebit.

Potiſſima Europæorum Medicorum pars, interque eos *Germani*, *Galli*, *Angli*, principes viri, curam omnium pene acutorum emeticis inchoant, tuſa forte prius vena. Qui modus agendi cum Medicinæ anti-

tiquitatem minime redoleat, fauſtoque ſæpe eventu careat, accuratius hic examinandus venit.

I. *Hippocrates* vomitoria nunquam dedit, niſi vel febris abſens eſſet, Aph. 4-17. vel niſi in febribus non inflammatoriis prava in ventriculo materies ita abundaret, ut plane ὀργᾷν cenſeretur, ac proinde ægrum perpetuis in agitationibus verſantem, quovis tum alimento, tum medicamento, fruſtraretur; *Aph.* 1-22. 2-29. Cæterum in Synochis putridis, quibus ὐκ ὀργᾷ, quibus non turgeret materies, aut in acutis inflammatoriis, nunquam. *Aph.* 1-24. *Libr. de purg.* ſive *Heurnii fragmento*, N°. 19. 20. *&c.*

II. *Hippocratis* mentem, ſuamque propriam, *Galenus* fideliſſime expoſuit in aureo ſuo opuſculo, quod ſub titulo, *Quos, quibus medicamentis, & quando, purgare oporteat?* extat apud *Charterium Tom. X. pag.* 470. Singula opuſculi verba pondus habent, legesque medicandi inconcuſſas formant; tum quoad Emetica, tum quoad danda in principio acutorum Purgantia. Porro illud *turgere* non ideo in morbis obtinere cenſebatur, quod levior nauſea, vomitusve, adeſſet, aut quod os amareſceret, aut quod corruptus in eo dominaretur ſapor; nam citra quidquam horum acuti rarius inchoant. Atqui dixerat *Hippocrates* raro exemplo materiem ita turgere, ut emetico indigeret, τὰ δὲ πλεῖςα ὐκ ὀργᾷ. Rem ergo, quo eam modo ſuperius dixi, intellexit. Egregieque ad rem *Galenus*: Ὀργᾷν δὲ οἱ χυμοὶ λέγονται, inquit, ὅταν ἐν κινήσει σφοδροτέρα γενόμενοι, καὶ μεταῤῥέοντες ἀπὸ μορίων εἰς μόρια, κατὰ τὴν ἀρχὴν τῦ νοσήματος, ὄχλωσι τὸν ἄνθρωπον, ἀλγῦντες, καὶ ἀσῶντες, καὶ γαργαρίζοντες, καὶ ἡσυχάζειν ὐκ ἐπιτρέποντες. *Aretæus Cappadox*, *Cælius Aurelianus*, &c. ne latum quidem unguem ab *Hippocrate*, aut *Galeno*, deſciſcunt.

III. *Ludovicus Mercatus* ante 200. annos apud *Hiſpanos*; *Platerus*, *Lommius*, & *Foreſtus*, elapſis quoque binis abhinc ſæculis, hi apud *Belgas*, ille apud *Helve-*

tos; itidem eodem ferme tempore apud *Auſtriacos*, *Marquardus*; *Sennertus* ante 150. annos in *Germania*; elapſo fere integro abhinc ſæculo, apud *Gallos Hollerius*, *Duretus*, *Riverius*; apud *Auſtriacos*, *Paulus de Sorbait* Belga: aut non meminerunt Emeticorum in Acutis, Malignisque, aut materie turgente duntaxat præſcripſerunt; idque tum circumſpecte, tum blandiſſime. Ita ut eousque *Hipp.* & *Gal.* doctrina ſarta tecta maneret. Quosdam vero ab eadem ſenſim deſciviſſe concludimus ex *Diemerbroeckio*, 100. fere abhinc annis acerbe conquerente, quod à *Droëtio*, *Quercetano*, *Matthiolo*, *Angelo Sala*, *Williſio*, in malignis morbis emetica, & quidem antimoniata, darentur, quorum ſiniſtros effectus ipſe plangebat.

IV. Si Autores ſæculi proxime elapſi evolvimus, interque eosdem acerrimos Emeticorum defenſores & patronos reperimus, Hippocraticæ tamen doctrinæ veritatem innumeris exemplis confirmatam cernimus. *Hollerium*, *Duretum*, *Riverium*, *Sorbait*, jam recenſui. *Bevilaquam* deinde reperio *Hipp.* doctrinæ, quoad Emetica, defenſorem in *Styria*; clariſſimum *Andræam Lœw* in *Hungaria*. Ultimus hic, ante 70. abhinc, & ultra, annos, in Ephemeridibus a filio cum perilluſtri *Schrockio*, *N. C. Præſide*, communicatis, agens de morbo petechiali Hungarico anni 1683.
„ Purgantia, inquit, quæ ad unum fere omnes ad-
„ mittunt ſcriptores, (multi ſaltem eo tempore) Vo-
„ mitoria etiam, in principio, nullum hic invenere
„ locum: imo omnes, quibus purgantia exhibita
„ ſunt, brevi poſt expirarunt: eorum vero Exanthe-
„ mata ſemper adparebant latiora. Ex iis, qui Vo-
„ mitoria aſſumſerunt, pauciſſimi, nempe ii ſolum-
„ modo, quorum robur naturæ adhuc erat incon-
„ cuſſum, evaſere: in quibus & citius morbus ſua de-
„ currit tempora." Idem fere teſtatur in febr. ann. 1699. 1704. 1705. filius ejus *Carolus*, qui Epheme-

rides paternas continuavit, idem quod pater, bis ter repetiit in febri maligna anni 1730.

Cl. Hoyer, de Epidemica conſtitutione *Mulhuſini* territorii, ad Ill. Præſidem *Schrockium*, ſudoribus ſe teſtatur poſt M. S. artificioſe provocatis, febrim in prima quaſi herba, citius ac felicius, quam Emeticis aut Purgantibus, ſine ſingulari ſucceſſu quibusdam datis, ſuffocaſſe.

Doctiſſ. *Genſelius* agens de conſt. Epid. *inf. Hungar.* 1713. " Sempronii, inquit, quoque morbi „ contagioſi cœperunt graſſari *cum Vomitu & ardore in abdomine*, tertia, & quinta letales; Petechiæ item atræ, cum Dyſenteria, puſtulis in ſcapulis ac bubonibus ſub axillis, & in inguine, ſeptima & nona funeſtæ: nec Vomitoria, nec Purgantia, nec V. S. in principio conducebant.

Eruditiſſimus *Cocchius*, cum egregio *Lanciſio* communicans hiſtoriam Epid. conſt. caſtrenſis, quæ *Ferentini*, &c. anno 1709. obtinebat " Græcus magiſter, inquit, initio acutorum, & non niſi materie turgente, dejectoriis utebatur. Hoc namque „ refermentantium genus interdum crudam, & lateris (credo latere, aut latebris) aſſuetam materiem „ ſubdita quaſi face provocat, & febres vel exacerbat, vel duplicat. Nos certe ſequi volumus Dictatorem: " Attamen ipſe *Cocchius* illud *turgere* nimis late extendens, amiciſſime a *Lanciſio* corripitur; ut patet ex epiſt. *Lanciſii* §. 10. & 11. ad lit. *Cocchii*.

20. Modo anni ſunt, quod in *Febre Peſtil.* conſilium ſanitatis *Auſtriacum* leges cuderit cognoſcendi curandique hunc morbum; nulla facta mentione Emetici, niſi caſu quo turgeret materies.

Illuſtr. *Mac-neveu o Kelly*, in Regia *Pragenſi* univerſitate Præſes ac Profeſſor Medicinæ, in accurata ac nitida hiſtoria malignæ elapſa hyeme in *Bohemia* graſſantis Epidemiæ, ad me ſcripta, notavit idem,

quod ſupra *Genſelius*, nempe Emetica, licet vomituritiones utcumque illa indicare viderentur, tempeſtiveque darentur, neutiquam cum natura morbi conveniſſe; triſtique confirmat exemplo.

V. Quum ergo hæc ita ſe habeant, merito quæritur, qui factum, ut tantam hac in parte mutationem, immo ad oppoſita tranſitum, Medicina ſubierit?

Ipſa morborum natura quandam mutationem pro tempore poſtulavit. Hoc certum eſt, ut mox patebit. Sed nunquid Medici hanc qualemcumque exceptionem, nonnunquam obſervatam, jam ut generalem Naturæ legem perpetuo obſervandam, jure merito conſiderare debuerunt? Sane ſapientiores ab hoc errore reſipuerunt, quos inter *Sydenham* cæteris exemplo fuit; dum qua methodo dandi in certa epidemica febre Emetici, felix fuerat, eadem ſe poſthac in ſimili febre infortunatum eſſe, palam fateretur. Febris continua putrida morbilloſa fert, jubet, urget paſſim, V. S. & enemata; dum vero epidemica erat anno 1674. *Sydenhamo* referente " nec V. S. tulit,
„ nec enemata, ab utriſque irritata.

Expertiſſimus *Carolus Richa* deſcribens febr. epid. *Taurinenſem* anni 1720, malignos advertit Diarrhœa judicari; quæ tamen Diarrhœa alias ſæpe mortem his ægris adduxit, ut idem advertit.

Idem *Richa:* " Sponte oborta Hæmorrhagia ple-
„ roſque ſervatos refert *Diemerbroek* in peſte *Neoma-*
„ *gienſi*; ſecus hanc olim letalem experti ſunt *Toloſa-*
„ *tes*, & *Lugdunenſes*.

Qantisne laudibus effertur in Malignis *Camphora*, veluti collapſas vires blande reſtaurans, & ſomnum ipſo opio tutius adducens! Conſulite modo egregios viros, *Huxham*, & *Pringle*. Aliud tamen experti in Epidemia an. 1699. eruditi Medici *Vratislavienſes*, in *Hiſt. morb. Vrat.* " Mirabitur autem quisquam, a-
„ junt, nobis in recenſu medicamentorum præteri-
„ tam

„ tam eſſe Camphoram, cum hactenus inter tot Be-
„ zoardica compoſita, in quacumque forma, unani-
„ mi quaſi conſenſu fuerit adoptata. Enim vero ſcire
„ licet tantopere laudatam Camphoræ virtutem ale-
„ xiteriam . . . niti nuda traditione & opinione homi-
„ num, ac in re ipſa, in febribus *hiſce* malignis Cam-
„ phoram interne plus detrimenti, quam auxilii,
„ afferre.

Videamus denuo *Sydenhamum!* Emetico feliciter curabat integro triennio febrim Epidemicam; pergens poſthac in eadem, ut videbatur, febris ſpecie emetico agere, infauſte necabat. Vide eundem ad Febr. anni 1665.

In multis laudatorum antea autorum conſtitit, homines maligne decumbentes emeticis debilitari, imo occidi; attamen quædam nonnunquam Epidemiæ illa ſalutifera deprehenderunt. Ita Ill. *Baro van Swieten* comm. §. 661. " An ad modo recenſitas, inquit, debi-
„ litatis cauſas referri poſſunt quædam alia, ſatis mi-
„ ra, in morbis obſervata? Hæret aliquando in mor-
„ bis aliquid circa præcordia, quod, venenata quaſi
„ vi, omnes vires uno momento proſternit; & quan-
„ diu ibi hæret, ſummam debilitatem facit, quamvis
„ nulla jactura liquidorum prægreſſa fuerit, neque
„ obſervabilis ulla mutatio in liquidis, ſolidisve cór-
„ poris partibus reliquis, inveniatur, cui ſubito nata
„ debilitas attribui poſſit. A bile circa præcordia
„ hærente, non tantum Convulſiones, ſed & Synco-
„ pen ortam fuiſſe, obſervavit *Galenus*; excuſſa hac
„ ſaburra per vomitum, ilico ceſſabant omnia hæc
„ mala. In Febribus continuis, quæ epidemice graſ-
„ ſabantur, mirabatur *Sydenhamus*, præter alia mala
„ ſymptomata, adeſſe ingentem ac ſubitaneam vi-
„ rium conſternationem; emetico vero dato, omnia
„ ſæva illa ſymptomata, quæ & ægros excruciabant,
„ & adſtantes perterrefaciebant, mitigabantur. A

„ venenis aſſumtis quandoque & ſumma debilitas ob-
„ ſervata fuit, dum tantum in ventriculo hærerent;
„ uti pluribus exemplis apud *Wepferum* in *Hiſtoria*
„ *Cicutæ aq.* confirmatur. Non videntur autem om-
„ nia ſimilia agere immeabilitatem liquidis conci-
„ liando, aut obſtruendo canales; quia illico ceſſant
„ omnia hæc mala, dum ventriculo expelluntur. An
„ mutatis ventriculi nervis directe in Cor agunt ip-
„ ſum? An prius Cerebellum, vitalibus corporis fun-
„ ctionibus inſerviens, afficitur? Sufficit hic notaſſe
„ mirum hunc effectum, licet minus intelligatur
„ quomodo a ſimilibus ſubitanea adeo debilitas fiat.
„ Simulque proderit hoc noviſſe, ne quandoque de-
„ bilitas, a tali cauſa pendens, aliis adſcribatur." Igitur cum inſueta admodum debilitas non raro homines ab ipſo morbi principio proſternat, examinanda eſt debilitatis cauſa; quæ ſi non a plethora, non a vera virium deperditione, ſed ab ejuſmodi cauſa in ventriculo hærente ortum ducere deprehenditur, erit utique illa, contra obſervationes de nocumento emeticorum in his morbis captas, emetico expellenda.

Merito ergo clari in arte viri, tot nominibus laudandi, *Huxham*, & *Pringle*, apud *Anglos*; *Tyſſot*, apud *Helvetos*; cum ejuſmodi Epidemiis interfuiſſent, quibus Emetica & Purgantia bona reperta, ſuam illorum curandorum methodum cum publico communicarunt, debitasque ob id gratias ipſis referimus. Verum an ideo eorum obſervatio perpetuam & unicam formabit curandarum malignarum in poſterum regulam? Nec credunt id, opinor, nec a nobis poſtulant, magni, quos laudavi, viri. Eodem enim jure Camphora ultra non proderit, quod in malignitate nocuiſſe Vratislavienſibus obſervata ſit. Erunt Hæmorrhagiæ in malignis vel ſemper ſalutares, vel ſemper lethales. Imo cum aliquando 6. 7. 8. Venæſectionibus

bus Pleuriticos ab imminente leto vindicaverimus, id nobis ultra non licebit, eo quod *Sydenhamo* Pleuritis obſervata, iteratam V. S. reſpuens. Vid. *Tuſſ. Epid. ann.* 1675.

Sapienter ergo, quem ſupra laudavi, Cl. *Richa*, ubi retulerat malignos anni 1720. Diarrhœa judicari. „ Neque is tamen ego ſum, inquit, qui indiſcriminatim purganda eſſe corpora, ſtatim ab initio, contendam. Fieri namque poterit, ut id genus auxilii, quod modo haud paucos revocavit ad vitam, necem alio tempore ægris inferat.... Sæpe viſum eſt in febribus alvi profluvia noxia fore, mortemque inferre, quæ aliquando ſalutaria extitiſſe novimus. Idque eſt Epidemicorum hujusmodi morborum ingenium, ut qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem, ipſo anno jam vertente, forſitan e medio tollas.

Summa proinde dictorum eſt; in morbis malignis tum vario tempore, tum vario modo, mutationem a generali regula obſervari nonnunquam, hancque medico cognitam etiam medendi modum petere, qui a communi medendi modo ſit diverſus. Sed ſimul conſtitit ejusmodi mutationem haud raro præſentem, dum abeſt, dici. Hinc dandorum emeticorum conſuetudinem nimium increbuiſſe, ex principio Hippocratico περὶ τῶ ὀργᾷν haud bene intellecto. Turpiter erraſſe Medicos, dum quæ *Hipp. Aph.* 4-17. de dando emetico extra febrim præceperit, ea ipſis adplicent febricitantibus. Hinc factum, ut in Malignis, & non Malignis, vomitoria dederint indiſcriminatim, cum eorum rariſſimi ſint, in quibus nauſea, vomituritio, præcordiorum anxietas, os amarum fœdumve, plus minus non adeſſent. Hoc ipſos *turgere* adpellaſſe, cum neutiquam id ita adpellare debuiſſent; ſi enim id *turgere* dicendum, turgebit in omni fere morbo materies; ſcire autem oportere cum *Hippocrate* plurima non turgere

gere, adeoque raro eſſe emetico utendum acutorum in principio. Solent, ab introverſa perſpirabili materia, enarrata ad præcordia ſymptomata oriri, ſolent aliquando a deglutito Epidemicorum miasmate. Vis diluentium & involventium hæc ſtimulantia enervat, expellit; emetica & purgantia turbant naturam totam, nec hoſtem auferunt, quod ille ſubtilior ſit, altiusve infixus. Plurimi piaculum eſſe credunt emetica in ſtadio inflammatorio Variolarum non dediſſe; ſed an illi vomituritiones non obſervaverint eo uſque perennare, donec debita fieret exanthematum expulſio? Hinc nunquam ipſis dedi, & tamen aut debito tempore conatus vomendi ſilebant, aut ſæpe multo ante; quod diluentium copia inertem in ventriculo ſtimulum reddidiſſet. Quinto jam anno medicinam hic publice facio; materiæ vere turgentis occaſiones adeo raras inveni, ut nunquam adhuc dederim emeticum cujuscumque acuti morbi principio. Provoco ad omnes aut Medicos, aut Medicinæ ſtudioſos, ut dicant, num ex neglecto Emetico vel minimum infortunium unquam contigiſſe, imo an, non dato emetico, ſed adplicata noſtra methodo, vomitus, nauſeasque, tertio die ſuperſtites eſſe, obſervaverint? Spes me alit fore, ut damnoſam hanc artem demum ex Medicina exſulare videam. An ergo nunquam dabo? Utique actutum caſus extare illos obſervaverim, in quibus *Illuſtr. L. Baro van Swieten*, laudatique autores, emeticorum deprehenderint neceſſitatem. At vero exceptio hæc erit a regula generali; exceptio ſequenda, donec obſervatur: generalis demum regula denuo obſervanda, ubi exceptio haud amplius obtinet. Atque ita quæſtioni, de emetico malignis in morbis dando, me reor ſatisfeciſſe.

§. 2. Secunda quæſtio hic circa V.S. verſatur; cum hanc nonnulli impenſe laudent, autorum tamen potior pars aut penitus proſcribant, aut unice in reple-

pletis corporibus, & morborum concedant initiis. Quorum ea potiſſima ratio eſt, quod Maligni & contagioſi morbi tantam ſibi habent adjunctam paſſim debilitatem, ut his ægris venam ſecare, eosdemve trucidare, unum videatur, idemque. Attamen prædefiniendum fuiſſet, utrum ex vera, an ex adparente duntaxat virium projectione, hæc debilitas generata eſſet. Vera debilitas eſt a virium deperditione; adparens vero debilitas, ab earum ſolummodo ſuffocatione. Ab utraque cauſa oritur, ab utraque cauſa mala eſt; licet ex vera virium deperditione pejor. Magnus *Boerhaave* debilitatem febrilem *Aph.* 661. deducit & ab inanitate vaſorum, & ab immeabilitate liquidi, & ab obſtructione canalium. In quem textum *Illuſtr. Commentator;* " Sic obſervatur ſæpe in „ ipſis peſſimarum febrium initiis omnes omnino „ corporis vires illico proſterni; malo quidem ſem„ per omine, quia ſumma morbi malignitas indica„ tur." Ad cauſas a *Boerhaavio* datas adjungamus eam, quam ex comm. *Illuſtr. Commentatoris* præced. §. attuli.

Volupe ſane eſt hac ſuper quæſtione venerandam antiquitatem audiviſſe; quam ſi medici ſerio conſulerent, minus ſane aut ceſpitarent, aut aberrarent. Magnus *Hipp. Libr. de Vict. Acut.* in quarta diviſione libri apud *Chart. a Text.* 21. *ad* 26. cum ipſa admiranda ſua brevitate longus eſt, ut hujus adparentis debilitatis juſtam medicis ideam formet. Deſcribit ibidem ſub nomine *Aphoniæ* morbum, in corpore antea ſano, nulla de cauſa defatigato, aut debilitato, qui tum impotentia ad motum, tum præprimis difficultate loquendi, *Aphonia* nominatur; & graviſſimis aliis, acutiſſimisque morbis, viam ſternit. Diſerte autem dicitur ejus cauſa proxima τῶν φλέβων ἀπολήψιες, & πνευμάτων ἀπολήψιες ἀνὰ τὰς φλέβας. Sane non poſſemus *Hippocrate* accuratius cauſam proximam definire

finire, quam quod ſit ſanguineorum vaſorum interceptio, ut & interceptio ſpirituum inter vaſa, quæ turgendo nervos comprimunt. Quid hic medelæ? Venam cubiti ſecandam jubet. Convenitque ſuo cum auctore commentator *Galenus*; inſequuturam alioqui mortem præſagiens.

Aretæus Cappadox Aphoniam Hipp. ſub Συγκοπῆς adpellatione deſcribere videtur, contingentis in valde acutorum exordio; morbique graphice deſcripti curam mox a V. S. orditur, ἢν δὲ ὑπὸ πλήθεος γίγνηται Συγκοπὴ.

Alexander Trallianus, ſexti ſæculi autor, ſimilem morbum deſcribit in principio acutorum, & cum maxime febris ardentis, coactumque ſe videt contra *Aetium*, *Oribaſium*, *Cælium Aurelianum*, inevitabilem venæ ſecandæ neceſſitatem propugnare. Pariſienſis Profeſſor *Riolanus Ench. Lib. 3. c.* 8. ante 100. annos Germanis exprobrabat, quod V. S. in ſyncope, ipſis a plenitudine perquam familiari, negligerent.

Nonne ex his curandæ Malignarum debilitatis vera eruuntur fundamenta? Profecto his principiis imbuti medicorum multi, in V. S. quam ultro, dato in caſu, condemnaverant, volentes nolentes inclinarunt. Ipſe *Oribaſius*, autor quarti ſæculi, quem mox, *Alexandrum* laudantes, V. S. hic condemnantem intelleximus, *Libr. de Cuc. Scarif. Cap.* 20. " Et ſane, inquit, dum peſtilentia vehemens Aſiam deprehendiſſet, multosque perdidiſſet, meque etiam morbus attigiſſet, ſecundo morbi die, remiſſione febris facta, crus ſcarificavi, *duasque fere ſanguinis libras detraxi*, hacque de cauſa periculum vitavi. Plerique etiam alii, hoc præſidio uſi, ſuperſtites evaſere: erant enim plenitudinis ſigna; illique præcipue ſervabantur, qui *ſanguinem copioſum exhauriebant.*

Nunquid & ipſe *Sydenham* non eo pervenit uſque? Evi-

Evidenter id patere arbitror ex ejus dicta *Schedula monitoria*; in qua, poſtquam medicorum falſam de malignitate ideam perſtrinxiſſet, pulcre dein hanc ingentem in malignis debilitatem, a mera virium ſuppreſſione, præ humorum copia, ortam docet; & irrefragabili exemplo juvenis, animam hac ipſa de cauſa propemodum agentis, nec niſi poſt tertiam, quartamve. V. S. curati, demonſtrat.

Moverat præclarum hoc exemplum optimos viros, *Vratislavienſes* medicos, cum curam Malign. anni 1702. infelicem luxiſſent; ita quidem ut eruditis omnibus problematice proponerent, an non expediret larga V. S. curam ordiri, &, Alexipharmacorum loco, purum putum ſequi *Sydenhamum?* Profecto, *Sydenhami* ſententia, ſuaque propria infortunia, ipſis quæſtionem vel invitis extorſerant: altas vero nimium radices egerat antiquum præjudicium, quam ut ſerio *Sydenhamum* imitarentur. Adeo nimirum laborioſum paſſim eſt, vel optima cæterum ingenia præjudicatis opinionibus exui poſſe.

In vera igitur debilitate, ut haud oportet detrahere ſanguinem, ita in debilitate adparente omnino eſt detrahendus. Si quis nunc veras optet utramvis diſtinguendi regulas habere, has laudatis ſupra textibus dederunt *Hippocrates*, *Alexander*, *Sydenhamus*. Primus „ Eorum autem quamplurimis hæc accidunt: Faciei rubores, oculorum conſtantiæ, ὀμμάτων ςάσιες, „ manuum diſtenſiones, dentium ſtridores, pulſationes, maxillarum contractio, extremorum refrigeratio, & ſpirituum per vaſa turgida interceptiones". Alter vero „ Primo ſane facies eorum ſqualida eſt, & ſicca; pulſus exigui, inæquales & inordinati, adparebunt. Dejectio autem bilioſa eſt, Vigiliæ magis, quam in aliis urgent, ſitisque adfligit". Tertius: „ Quamvis enim, inquit, ferme „ animum agere videretur ille (juvenis) calor tamen

„ in

„ in externis partibus ita ad tactum ſentiebatur temperatus, ut fidem mihi derogarent adſtantes Amici, quoties aſſerebam eum febre laborare, quæ ob ſanguinis oppreſſionem (cujus mole, exitu negato, quaſi ſtrangularetur) ſe explicare, & oſtendere, nequibat.

Duplici equidem modo poſſumus hic vaſa repletiora intueri; ſive vera plethora, ſive ſanguinis, cæteroqui non nimii, rarefactione. Ita jure merito Cl. *Boerhaave Inſtit.* §. 1230. 3. „ Indicatur V. S. a motu ſuffocato per nimium tumorem a copia, vel a rarefactione, natum in arteriis". Hoc modo puella ſero mucoque repleta, ſuſcepto Variolarum miasmate, hanc rarefactionem quandoque ita patitur, ut venam cum euphoria ſecta, ſanguinem vere phlogiſticum exhibeat.

Sed laudati tres textus ſignis datis ad cognoſcendum morbi ſtatum variant; variare autem debent. Si modica circulatio, attritusque, ſuperſint, ut in Juvene *Sydenhami*, moderatus aderit per omnia calor; ut & ipſe teſtatur. Si ſuperſtes paucus admodum motus; aderit, ut *Hippocratis* in caſu, frigus extremorum. Si motus modicus quidem, ſed univerſus; poterit, quod *Hipp.* aſſerit, vultus rubere, fixioresque eſſe, a nimia repletione, oculi: Si vero inferiore in corpore cruor accumuletur, minor erit ad encephalum motus; adeoque ſqualida ac ſicca facies, deſcripta *Tralliano*, obſervabitur. Verum quacumque ratione ex his datis cauſis debilitas ortum duxerit, V. S. ſemper opus habebit. Erit vero hæc V. S. inutilis, imo damnoſa, ſi vel ex evacuatione nimia, vel a putrida humorum diſſolutione, vel a corrupta ad præcordia hærente materie, oriunda debilitas fuerit. Hanc nos legem ſequuti, omnibus noſtris ægris, maligne habentibus, Venam tudimus, cum debilitatis emendatione; ſiquidem illa aut plethoram, aut rarefactionem ſaltem, pro origine haberet.

§. 3.

§. 3. Tertium, quod examinandum, idque cum maxime memorabile, eſt datorum ægris noſtris medicamentorum natura & ordo. Optimos autores conſulens, egregiorumque medicorum varias methodos anxie expiſcatus, vidi manifeſto, & noſtris & aliorum ægris, varias prodeſſe methodos, easque ſaltem non irreparabiliter nocere, quamdiu morbi ita modo maligni eſſent, ut in veram, antea deſcriptam, malignitatis claſſem, non inciderent. Hinc cum cæteris medicis plures curavi; ubi vero ad certum veræ Malignitatis gradum morbus perveniſſet, tam aliorum, quam meam medendi methodum, in multis deficere, morbumque evaſiſſe medicina majorem, moeſtus vidi. Ut ergo hujus operis *Cap.* 15. innui, efficaciorem medelam expiſcatus eram, ultraque eram expiſcaturus. En ergo quid inveni.

1. Alimenta ex Avenæ, vel Hordei decocto, diluto; aut ſi ex jure Carnium, ſaltem cremor tartari, aut citrei ſuccus, multum adjunctus eſt. Subinde poma, pyra, prunaque cocta; panis his additum tantillum. Potus, decoctum Hordei mellitum, aut hydrogala cum melle, aut etiam blanda Emulſa. Copia autem omnium horum potuum ſemper ingens data eſt.

2. Lenia paregorica emulſis addita ſæpe; & ſemper bis, ter, quater, nucthemeri ſpatio, doſis ejus largior data.

3. *Cortex peruvianus*, vel declarante ſe malignitate aliquandiu poſt eruptionem exanthematum, vel cum ipſa exanthematum eruptione, vel etiam ante eruptionem eorum, vel ab ipſo morbi principio, illico, ſummo cum effectu datus eſt.

4. Tandemque ſi nimia tuſſis ſibi relinquenda non videretur, Oxymel ſquilliticum, Kermes minerale, Paregorica, hanc compeſcuerunt.

Notandum quod horum ſub uſu Veſicantia & Epiſpaſtica varia corporis loca occuparent; Enemata, pro

pro re nata, copioſa injicerentur; fomenta aut emollientia ad partes rigidas, aut Vinoſa in ſumma debilitate, corpori undique adponerentur, & id genus alia. Porro quid hic Cortex præſtet, inquirendum.

Septuaginta, & ultra numeramus annos, cum egregius *Richardus Morton*, Londinenſis Medicus, *Sydenhami* amicus, multa experientia edoctus, evicerit, demonſtraveritque, præſtantiam corticis peruviani, indiſtinctius eousque noti, in febribus plerisque tum intermittentibus, tum etiam in iis, quæ ex continuis remitterent, ut & in remittentibus. Corticem porro ut univerſale antidotum commendavit, ubicumque febres ſive anomala ſymptomata affectarent, ſive in malignitatem declinarent: idque non in acutis modo, ſed etiam in chronicis. Generalior forte, minusque digeſta doctrina, effecit, ut pauciores eam pro dignitate ultra excoluerint, perfecerintque. Forte etiam volitantia per totam Europam ſcripta in odium Corticis, Mortoniana ad tempus ſuffocarunt.

Sexaginta anni ſunt, quod doctiſſimi Medici *Vratislavienſes* hujus Corticis vires in intermittentibus contemplati, merito ſuſpicarentur, proforetne etiam in Malignis? Quorundam enim animos hæc dubitatio ſubierat, an malignæ febres ex continuarum claſſe eximendæ non forent, inque eam intermittentium transferendæ non eſſent? Uti quidem jam *Petro Salio* viſum fuerat, & *Neucrantzio*, & *Sennerto*, *Paulo Simoni*, & *Rhodio*. Quod ſi id revera ſic ſe haberet, corticem concludebant æque in malignis, quam in intermittentibus, profuturum. Attamen, quod dolendum, alienos iterum ab hac opinione ſe teſtabantur fieri, tum triſtiſſimis quibusdam propriis exemplis, tum infortunatis *Loweri*, *Shortii*, Anglorumque aliorum, experimentis. Utique ſi hi, & illi, doſi non ſua, tempore non ſuo, corticem dederint, infortunati eſſe, ut priore anno evici, debuerunt. Interim notaſſe juvat medi-

medicorum conamina dandi in malignis corticis, plane nova non eſſe.

Sub idem fere tempus ſimile quidpiam ſubolfecerat egregius Vir, tum a religione ſincera, tum ab eruditione medica commendatiſſimus, *Fr. Tortus*, Mutinenſis Profeſſor. Hic anno 1709. annoſas ſuas obſervationes edere cœpit, ac dein 1712. incomparabilem librum edidit, cui titulus: *Therapeutice ſpecialis ad febres quasdam pernicioſas, inopinato ac repente letales, una vero Chinachina, peculiari methodo miniſtrata, ſanabiles*. Verum, ut fit in rebus humanis, famam ingentem inde natam impune non tulit: nec de infima gente medica adverſarios habuit, ſed arte, fama, induſtria, claros: *Ramazzinium*, *Mangetum*; quorum prior *Torti* reſponſis jatroapologeticis plane inermis redditus eſt; poſterior anno 1720. excuſantes literas ad *Tortum* dedit. Fatetur autem vir candidus *Ludovici Mercati* doctrina, de certis quibusdam intermitt. febribus, & eruditi *Richardi Morton* de Cortice obſervationibus, ſeſe plurimum adjumenti percepiſſe, ut ſaluberrimam ſuam methodum conderet.

Eruditiſſimus vir *Carolus Richa* in Conſtit. *Taurinenſi* 1720. §. 26. ſcribit in malignis febribus, quas, ut ex eo ſupra monui, alvus critica ſolveret, ſe, cardiaco indigentem, cortice uſum eſſe; dein §. 33. 34. 35. multus eſt in eodem laudando, ut incomparabili præſidio artis, quocumque in morbo Medici pertinaciores humores offenderent; ſed quo præciſe morborum tempore, quave doſi illum exhiberet, haud addidit.

Laudandus multis de cauſis eruditiſſimus *Huxham* in Conſt. an. 1735. pag. 109. „Si in ſingulari, inquit, „ gangræna valeat Quinquina, quidni in univerſa humorum corruptione? Exanthemata nigra, Vibices, & citiſſima cadaverum putrefactio, gangrænoſam utique ſanguinis diatheſin ſignificabant. Ad „ eum adeo finem, optato demum cum ſucceſſu, *poſt*

L „ ſum-

„ ſummum morbi incrementum, exhibui aliquam ex
„ cortice peruviano medicinam, cum Alexipharma-
„ cis idoneis, & Elixire Vitrioli *Mynſichti* acidula-
„ tam: nec otioſe interea expectans ſedimentum u-
„ rinæ laudabile, &, quod dicitur, lateritium; mo-
„ do ſcilicet vel minimam morbi remiſſionem obſer-
„ vaſſem". Videtur ergo corticem dediſſe poſt morbi acmen, coctionis tempore, nec ipſi ſoli eſſe confiſus, ſed cum contraj. ſerp. virg. camphora, ſp. C. C. Elix. *Mynſ.* commiſcuiſſe.

Doctiſſimus *Pringle* febres caſtrenſes nervoſe deſcribens, quas in *bello Belgico* ab anno 1742. ad 1748. ipſe obſervaverat, adparet viribus Corticis in malignis febribus necdum multum fiſus eſſe, nec *Huxhami* obſervata exploraſſe, donec, improviſo ſane caſu, Corticis in hisce præſtantiam cogeretur admirari. Anno quippe 1748. contigerat, ut miles febre maligna petechiali laborans, Gangrænam a veſicante ad dorſum poſito pateretur. Cum gravis ea Gangræna eſſet, homini dabatur, præter conſueta remedia, cortex. Quo effectum, ut elapſis aliquot diebus gangrænoſa plaga pulcre ſuppuraret, ipſeque ſimul petechialis morbus in meliora verteretur, atque integræ curationis ſpem feciſſet, niſi æger a Corticis uſu abhorrens, eum plane repudiaſſet. Factum inde, ut omnia in pejus denuo ruerent, & mors brevi inſequeretur. Hoc tamen caſu ait egregius autor ſe, de Kinæ præſtantia convictum, 39. ægris eundem poſtmodum dediſſe; horumque, depurato prius Noſocomii aëre, 35. ſervatos eſſe; aëre, non depurato, ſucceſſum duplo fuiſſe minorem.

Conſideratis his omnibus patet a multis claris in arte viris rem propoſitam eſſe: nempe a *Mortono* & *Torto* ex cruditate ad quandam incipientem maturitatem perductam eſſe; ſed haud ita, ut principibus in arte Viris ſic probaretur, ut ſine animi ſcrupulo, conſtanter, determinatisque in caſibus, Corticem unanimi-

ter dederint, laudaverint: imo nec unquam aut verum ejus dandi principium, finemque, aut genuinam ejusdem doſin, exacte determinaverint. Tandem doctrinam hanc, licet a *Mortono*, *Tortoque*, egregie propugnatam, ut plurimum ab aliis problematice adhuc habitam fuiſſe; & non, niſi fortuitis ſive experimentis, ſive ratiociniis, denuo reſuſcitatam, idoneosque ad uſus revocatam fuiſſe. Cum igitur verum inchoandi tempus, juſta doſis, ejusque ſola ſibi ſine aliis remediis alexipharmacis ſufficientia, (ſi ita liceat parum latine dicere,) qua exactitudine oportuit, non ſit determinata, hiatumque in doctrina medica relinquat; conabor ea mea conamina perficere, quæ priore anno ad hunc hiatum explendum inchoaveram; cum id præſtandi multiplex ſeſe occaſio obtulerit.

ÆGROTA I.

Ineunte Februario 1758. mulier ann. 36., una ex ægrotantium fœminarum noſtrarum cuſtodibus, febre continua putrida corripitur. Plures habebat ab initio jumentoſas urinas, tum maxime referentes τὸ γονοειδὲς *Hippocratis*. Quarum urinarum per ſex dies integros ſervatarum, ne unica quidem corruptionis, putredinisve, ſignum dedit. Octavo morbi die innumeris ſubito Petechiis ſcatuit, collum, brachia, manus, nonnihil & crura, obſidentibus. Maligna mox ſigna eruptionem ſequebantur: Præcordiorum anxietas, motus convulſivus ſingultum inchoantem referens, oculorum ac totius faciei mutatio magna, & collapſus, celer admodum contractusque pulſus.

V. S. totaque antiphlogiſtica cura, primo in ſtadio adplicata fuerat. In ſtadio autem eruptionis, tum autoritate autorum, tum aliorum exemplo, adpoſito primum ſcuto ad ſtomachum, compoſito ex empl. de Labd. Camph. & Opio, dedi quovis trihorio Rad. Contraj. & Camph. a gr. VI. una cum largo calidi de-

coċti hordei melliti potu. Tria primo, dein adhuc duo alia, ſunt admota Veſicantia. Nihilque proficiens, dedi miſturam ex rad. Contr. Serp. Virg. Camph. a gr. XII. Acet. roſac. Syr. ſucc. citr. a. unc. I. Aquæ Rutæ unc. VII. ut altera hora unciam hujus, altera unc. III. Emulſi camphorati ſumeret. His profeċtum nihil. Sola præcordiorum anxietas, & ſingultiendi conatus, unc. III. olei amygd. & unc. I. Syr. Diac. hauſtis, ceſſaverunt; reliqua omnia ſymptomata cum increſcentibus petechiis increverunt.

Nono morbi die medio ſtranguria oborta eſt, dolorque ad ima pelvis intolerabilis. Emolliente cataplaſmate mox impoſito, prodiit cum miċto guttatim lotio ſanguis, idque continuo fere. Ut autem in Malignis calor febrilis raro intenſus, ita & hic thermometron per 8. minuta adhibitum 99. modo gradus ſignavit. Perrexit ſanguinea urina per ſesquidiem, dum interea alvus plane æruginoſa prodiit; tandem alvo ſanguinea prodeunte, ceſſavit cruoris miċtio.

Duo hic maxime terrefaciebant. 1mo. Dolor ſtranguriæ tantus, ut mulier ejulatu ſuo totas expleret ædes, & ut ad ſingulam urinæ guttam convelli inciperet, totoque corpore contorqueri. Ad hunc ſedandum tentavi quid oleum Lini per Catheterem in Veſicam injeċtum efficeret? Tentamen pro votis ſucceſſit; ita ut, repetitis injeċtionibus dolor imminueretur, & poſt biduum plane conticeſceret. 2do. Morbi malignitas, ad quævis appoſitiſſima remedia augeſcens. Quare *Sydenhami* memor, dicentis de miċtu, ſputoque cruentis „ Unicum in Variolis ſymptoma, cui devincen„ do nondum par eſt Ars medica" cogitavi illico, ſi quid remedii adhuc forte ſupereſſet, id corticem peruvianum fore. Quare illico, miċtu cruento primum viſo, corticem dedi; & quidem, ut commode illum, copioſeque, ſumeret, extraċti forma. Doſin ejus eximiam dedi, quia uſus, per varia diſcrimina rerum, me

eo perduxerat, ut, dum ad averruncandam, abigendamve, Gangrænam, cortex quidquam juvaret, non parca manu juvaret, ſed larga datus. Quippe ut proxime elapſo anno monueram, parcior exhibitus Cortex, levamen, non curam, attulerat. Igitur fœmina hæc unciam extracti quotidie in miſtura aſſumſit continuis quatuordecim diebus, per octiduum vero dein unc. mediam. Fuit & Syr. Diacod. bis, ter, de die datus, donec integre eſſet devictus morbus. Vini diluti modicum ſubinde conceſſum; Vini calefacti fomenta diu noctuque adplicata, laborioſe renovata, jugulo, axillis, inguinibusque.

Effecit Cortex, quod dixi, ut mictus cruentus ceſſaret, ſolaque alvus, pro æruginoſa, cruenta prodiret. Cum jam putrida & gangrænoſa diatheſis inteſtinorum metui poſſet, injectumque ad eam præcavendam, curandamve, tepidum oleum Lini illico eſſet; parabatur interea largum & ſaturatum corticis decoctum, quod enematis forma ſæpius injiceretur: at vero alvus deſinens cruenta eſſe, opus eo non habuit. Ad finem morbi moleſta tuſſis, tantillo Kermes minerali, Oxymelli ſquillitico admiſto, pacata eſt. Curato morbo œdema dextri cruris moleſtum erat, ſed data per multos dies uncia Rob. Junip. frictionibusque & faſciis adhibitis, intra tres ſeptimanas perfectiſſime convaluit.

ÆGROTUS. II.

Eruditus, candidus, multæque profecto ſpei medicus, Dominus, *Haſenorl*, in Noſocomio *Hiſpanico* Medicorum alter, poſtquam multis maligne laborantibus egregiam operam navaſſet, maligne ipſe decubuit. Vena ipſi ſecta fuit, omniſque adhibita antiphlogiſtica cura. Sexto die innumeræ Petechiæ faciem obſident, collum, pectus, abdomen totum, integrum dorſum, omnes, ſuperiores maxime, artus. His pau-

latim puſtulæ miliares albæ copioſæ interſperſæ. Cum in Ptochotrophio decumberet, in conſilium me vocavit, ipſo efflorescentiarum principio, optimus dominus *Mayer*, pauperum ibidem Medicusne dixerim, an Pater. Conſilii concluſio fuit 1°. Corticis extracti unciam quotidie exhibere. 2do. Veſicantia apponere. 3tio. Quotidiano enemate alvum ſervare apertam. 4to. Bis, ter, quater de die, unciam Syr. Diac. dare. 5to. Potum aq. hord. mell. aut Seri lactis, aut Hydrogalactis, aſſidue dare, & corpus jure carnium, cui citrei ſuccus admiſtus, nutrire. Pulcre videre erat, quam egregie, horum ſub uſu, duplicis generis efflorescentiæ in conſpectum prodirent, totumque contegerent corpus. Nihil jucundius cernere erat, quam quantopere præſens nunc debilitas ab ea diſtaret, quæ hisce adeſſe morbis ſolet. Urinæ continuo vere criticæ prodierunt; moleſtæ vero tuſſi eadem, quæ ægrotæ primæ data, medebantur; ſymptomata demum quævis ita mitescebant, ut, petechiis, vibicibus, miliaribus, ſcatens, ne ægrotaret quidem. Uncia igitur extracti Corticis 21. diebus quotidie uſus, minori dein per alios 14. dies doſi, ad ejusmodi demum ſanitatem pervenit, ut eadem adeo illibata, multis ab annis ſibi non videatur fruitus eſſe. Solis diebus morbi gravioribus, ut plerique alii, ita & hic, corticis paulo majorem copiam ſumſit.

ÆGROTUS III.

Dominus *Kollmann*, ob doctrinæ medicæ præſtantiam recens creatus Medicus Noſocomii militum in ſuburbio *Leopoldino*, medio menſe junio hujus anni eodem febrium genere, a qua ſuorum militum plures jam percuraverat, decubuit; & ab amico ſuo, ſolerti Medico, *Antonio Störck*, digniſſimi Profeſſoris *J. Störck*, piæ memoriæ, digno fratre, olim meo, in Noſocomio, per biennium Aſſiſtente (ut vocant) ægro-

grorum vigilantiſſimo, egregie juvabatur. Ab utroque vero ad conſilium rogatus, quotidie adfui. Ante adventum meum vena jam ſecta fuerat, omnisque reliqua adhibita antiphlogiſtica cura. Petechiæ quinta die prodierunt; prima in dextro colli latere, cui mox ſe plures adjunxere: die ſexto etiam ad pectus & brachia comparuerunt. His demum die ſeptimo miliaria adjuncta.

Ut in priore ægro, ita & hic, mox a conſpectis petechiis, in morbo cæterum graviſſimo, Cortex ſimiliter eadem doſi datus eſt, a 5. morbi die, in 30. diem usque. Graviora ſane ſymptomata hic æger, quam proxime præcedens, perpeſſus eſt, deliria, debilitatem, alvum involuntariam, iſchuriam, &, quod peſſimum, univerſo corpore, diu noctuque, idque plurium dierum ſpatio, enormes tendinum ſubſultus. Tota cura hic, ut in præcedentibus, adhibita eſt. Notatu dignum quod, cum tam debilis eſſet, ut vix artus per lectum movere poſſet, nunquam tamen, etiam in peſſimorum ſymptomatum vigore, pulſus ipſi debilis, aut valde celer, ſit deprehenſus. Poſt 30. diem & huic crura intumuere; ſed adhibita frictione, ſumptoque purgante, brevi remiſerunt. Levem dein Icterum, cui & olim obnoxius, aquæ Selteranæ percurarunt.

ÆGROTUS IV.

Juvenis 16. ann. a peractis multo cum frigore, & inſueta cum diæta, itineribus, febre corripitur, & per 5. continuos dies, ſine ullo auxilio, miſere in ſtabulo decubuit. Die 6. ad me conducitur. Febre cum tuſſi catarrhoſa continuante, prodiere die 14. morbi alba Miliaria, cum ea quidem malignitatis nota, ut, qui eousque æqualis, ſatque fortis fuerat, pulſus, nunc debilis, intermittens, inæqualis, deprehenderetur. Et huic actutum cortex ideo datus, miliaria belle eduxit,

xit, pulſum emendavit, vires reſtituit, integramque ſanitatem octidui ſpatio reduxit; ſola ſuperſtite moleſta capitis gravitate, quæ caput ſæpius pectendo fricandoque, cito devicta eſt. Ut priores, ita & hic, Corticem, curato jam morbo, aliquantiſper, parciorem licet, continuavit.

ÆGROTUS V.

Non ſine voluptate recordor hiſtoriæ prænobilis juvenis, ad quem conſilii cauſa die 3. Dec. 1757. acceſſi. Ex pluribus, quibus uſus fuerat, Medicis, unicum modo præſentem reperii, Dominum *Guarin* juniorem, Phyſiologiæ & Praxeos eruditum Cultorem. Video ægrum Petechiis, & Miliaribus, dudum plenum, ſummopere delirantem, fœces inſcie demittentem, debiliſſimum; præterea ſubſultum tendinum, pulſum debilem & inæqualem, fiſſam aridamque linguam, vultum ſqualidum totum. Dies morbi 19. agebatur. In re tam conclamata cum doctiſſimo Medico concludo, ſi quod præſidium ſupereſſet, in Cortice id quæri oportere. Quotidie tantum uſus eſt extracti Cort. dragmis IV. V. a die morbi 19. ad 40. usque. Bibit autem copioſiſſime, nempe 12. imo 15. Lib. Decocti ſive hordei, ſive aquæ cum ſucco citrei, quovis nucthemeri ſpatio: imo etiam hisce intermiscuit copioſas emulſiones, quibus camphora & diacodium admiſta. Die a Corticis uſu ſexto animam veluti acturus videbatur: eandem tamen medicinam proſecutus eſt. Miliaria iterato prodierunt; eadem medicina continuata eſt. Pectore ſæpe male habuit; ſed ſemper pergens in iisdem, nullam labem curato morbo ſuperſtitem habuit. Cita fuit virium refectio. Integerrima ſucceſſit & conſtans Sanitas.

ÆGROTA VI.

Addere & hanc hiſtoriam neceſſario debeo, quum; li-

licet morte terminata fuerit, id tamen, de quo agitur, abunde probet. Fœmina 44. annos nata, ab hydrope adſcite quadriennio elapſo curata fuerat, ſed tuſſim hydrope antiquiorem perpetuo deinceps habuit, ut & continuam pectoris anxietatem, moleſtiſſimasque palpitationes cordis. Nocte ſolet ad primas capti ſomni dulcedines, ſubito, ac violente excitari, cogiturque, ne ſuffocetur, ſedere erecta. Hydropem ἀνα σαρκα referunt facies, brachia, crura. Herniam inguinalem vi tuſſiendi, vomendique, a longa jam die ſibi conſcivit. Sputando ſanguinem nonnunquam ejecit. Debilis ipſi pulſus eſt, & tum rythmo, tum tempore, inæqualis. Acceſſit me inter matutinos pauperes, a fine anni 1756. usque ad hanc mediam æſtatem. Diagnoſis a principio fuit, univerſa, eaque annoſa jam, Cacochymia, & Cachexia: ita ut vix pars in corpore ſit, quæ non irreparabiliter a ſanitate deſciverit. Aderantque etiam, ambigua quamvis paſſim, ſigna, quæ vel Hydropis pectoris, vel vitalium organorum protopathicæ, aut deuteropathicæ affectionis, vel mali utriusque, ſuſpicionem injicerent. Prognoſis hinc peſſima. Solaque fuit, quam palliativam appellitant, cura ſuperſtes. Blanda evacuantia, Oxym. Squilliticum, diureſin ſimul & expectorationem promovens, Kermes minerale, Gummi Ferulacea, Camphora, Succinum, Opium, collabascentem hanc Machinam paululum ſuffulſerunt. Ita quidem ut Diarrhæam tandem paſſa, a fine Junii 1757. ad finem Jan. 1758. vitam admodum tolerabilem duceret. Exin vero peſſime habuit; ita ut nunc huic, nunc illi pravo ſymptomati, obviam eundum fuerit. Toto menſe Auguſti proxime elapſo febre quotidiana laboravit, incidit deinde in Dyſenteriam, quacum una prodiere Petechiæ. Quodque dolendum erat, *non venerunt pro illa petitum auxilium, niſi petechiis quartum jam diem agentibus, iisdemque ut plurimum nigris & lividis.* Sane malig-

nus adeo morbus, in corpore antea ſano etiam letum prædicturus, nunc corpus prehendens a chronicis malis dudum conclamatum, nullam ſpem vitæ reliquam feciſſe videbatur. Nihilominus miſerrima, quoad animam traheret, juvanda erat. Interea temporis Petechiæ nigerrimæ toto nunc corpore conſpicuæ, auctaque Dyſenteriæ malignitas. Curavi ut mox quatuor Veſicantia corpori adhiberentur; largas Emulſiones dedi; bis, ter, die, paregoricum; & ſtrenuam præſcripſi Corticis doſin. His demum effectum, ut die ab horum adplicatione quarto latæ maculæ minus nigrescerent, Dyſenteria multum minueretur, vires utcumque refocillarentur. Attamen nunc ferox tuſſis, & pectoris angor, urgebant maxume. Hoc opus, hic labor erat. Indicata expectorantia, prius inteſtina, quam pectus ſtimulaſſent, reſuſcitaſſent dolores ventris, Dyſenteriam auxiſſent. Immortalem *Boerhaave* Aph. §. 866. imitatus, Oxymel cum Diacodio dedi; mire profui. Sexto ab uſu Corticis die evanuerunt ſenſim Petechiæ omnes, vires increverunt, rediit appetitus; quæque eousque rubra, tenuis, Urina fuerat, ſanum æmulabatur colorem, alvus bis modo de die fluebat. Hæc miranda mutatio decem integris diebus perſeveravit. Verum cum nunc, quæ data fuerat, ſiniſtra præſagitio, falſa fere deprehenderetur, extemplo quaſi ruebant labilis hujus vitæ fulcra. Venter intumuit, vomitus acceſſit, tenesmi torquent, efflatur anima. Sane, quamvis mors acceſſit, virtus tamen medicamenti egregie inde elucescit, cum fœminæ triduo neglectæ, & aliunde conclamatæ, tantum boni præſtiterit.

HISTORIA VII.

Hanc utique non ſine intimo animi mœrore ſcribo, cum amici integerrimi, viri a religione, experientia medica, vero candore, commendatiſſimi, jacturam men-

menti refricet, nempe doctiſſimi *Greg. Menſurati*, Græcenſis medici, ac Chirurgiæ Profeſſoris. Numeroſam turbam novitiorum militum, prope *Græcium* commorantem, invadit maligna febris cum pravis exanthematibus, ineunte anno 1757. & plurimos necat. Optimus Vir, *Huxhami*, & *Pringle* methodo infelix, & gangræna perire plurimos cernens, corticem dedit, cortice plurimos ſervavit, labem totam ſuperavit. Sed eheu! de ſervato ille milite lætus, magnamque exiſtimationem adeptus, eodem morbo corripitur. Cortice quidem uti cœpit, ſed petechiis prodeuntibus, ipſoque ſubdeliro, Medicis virium corticis in hoc caſu adhuc ignaris, tutius viſum fuit communi eum more tractare: Communi more periit; periit Neſtoreis annis digniſſimus *Menſurati*. Viri merita, & Augustissimæ clementia, viduæ mœſtæ, prole oneratæ, annuum ejus ſtipendium continuarunt.

Hi notabiliores fuere, quos habui, aut novi, caſus; ex quibus, niſi me animus vehementer fallit, concludere licebit:

I. Corticem Peruvianum in Malignarum debilitate egregium eſſe, & incomparabile, Cardiacum.

II. Eundem eſſe in ſumma corruptione interna, & externa, inimitabile Alexipharmacum.

III. Videri eum conclamatum in malignis mictum cruentum, cruentamque alvum, quoque ſanare.

IV. Simul remedium eſſe, quod exanthematum expulſionem, ſumma cum ægrorum euphoria, promoveat, ſuſtineat, maturet, perficiat.

V. Corticem recidivas præcavere, quæ & paſſim letales habeantur, & ipſo hoc epidemico tempore quamplurimos, jam reconvaleſcentes, proſtraverint, & occiderint: præcavere quoque pravas Metaſtaſes, quæ lenta demum gangræna tabefacta corpora peremerint.

VI. Ea cuncta ut Cortex efficiat, eum & copioſiſſime,

ſime, dari oportere: docentibus id tum aliorum, tum propriis etiam obſervatis.

VII. Plurimis exemplis noſtrorum ægrorum id conſtitiſſe, quod quævis criticæ excretiones nunquam pulcrius, quam ſub corticis uſu, promoveantur.

VIII. Corticem ſane duplici, eaque egregia, facultate pollere; quod & nimios motus, caloresque, moderetur, & debiliores animet. Id, priore anno evictum, cap. 27. ultra demonſtrabitur.

Hinc, ni fallor, concluſio, quæ præſens caput terminet, juſta erit.

1mo. Ad morborum malignorum curationem adhibitæ methodi variæ, juverunt ſingulæ, quando efflorescentiæ malignitate carebant. Scilicet, communi loquendi modo omnes febres, quibus efflorescentiæ junctæ, malignæ appellantur. Hinc Methodus Antiphlogiſtica; Methodus diluens, demulcens, obvolvens; Methodus etiam illa, quæ moderatis cardiacis vires animet; omnes, inquam, hæ ſuo quæque loco auxilium attulerunt, curarunt homines. Imo minus apta methodus multum hisce non nocet. De his vero noſter ſermo in præſentiarum non eſt. Id enim jam toties dictum, ſolo regimine bono, paucisque cum medicamentis, hos morbos, vulgo malignos dictos, revera tamen benignos, in Noſocomio noſtro facile brevique curari; curari feliciter paſſim alibi.

2do. In ipſa vera malignitate morborum, haud raro diverſæ, imo oppoſitæ, curandi methodi, in quavis conſtitutione Epidemica, pluribus a ſeſe ſervatis gloriantur. Teſtantur id quævis edita opera tempore peſtis, aut epidemiarum. Idem verum eſſe, *Sydenham* ſui temporis medicis, aliam, quam ipſe, viam, ineuntibus, ultro fatebatur. Sed quod optimus Vir huic confeſſioni addebat, rationabiliore ſua methodo & tolerabiliorem eſſe ægritudinem, & ſalutem longe frequentiorem tutioremque; cujus equidem aſſertionis

nis teſtem advocabat univerſam urbem; idem cenſeo ad præſentem quæſtionem eſſe reſpondendum.

3tio. Quibuscunque adplicitis Methodis, variis, oppoſitis; ea, quam propoſui, excepta; luxerunt ſemper & formidarunt medici metaſtaſes, & relapſus, crudeles paſſim, & letales. Quæ his calamitatibus caret methodus, reliquis profecto anteponenda videtur. Ergo.

4to. In nonnullis malignis antiphlogiſticam curam ipſe adhibui; nonnullos ſervavi. In aliis ægris demulcentem, involventem, oleoſam curam, inſtitui; plures curavi. Methodo leviter cardiaca nonnunquam uſus ſum; infelix non fui. Sed, omnibus rite perpenſis, eſt certus quisquam, isque frequens & paſſim letalis, Malignitatis gradus; quo in gradu omnes hæ variæ methodi deficiunt. Vid. hujus operis *Cap.* 10. *&* 15. Comperiit hoc ipſe *Sydenhamus*, dum varia curandi ratione, etiam ſuo largiore Diacodio, & Oleo Vitrioli, in Malignis uteretur. Eruditum ſane medicum, & in græcis egregium, Dominum *Gamnig*, Aulæ & Urbi, anno præſente inchoante, ereptum doluimus: anno proxime elapſo excurrente, etiam unum ex Noſocomii aſſiſtentibus periiſſe mihi dolui. Plures in urbe ſic periiſſe vidi, novi.

Cum ergo in hoc ultimo malignitatis gradu Corticis utilitatem Viri graves innuiſſent; cum ego ipſe eundem ægris meis tum parcius, tum ſerius, exhibens, mortem proinde eodem non propellens, effectus tamen aliquot egregios inde obſervaſſem; infortuniorum pertæſus, animum eo induxi, ut Corticis & largiore, & maturiore exhibitione, huic Malignitatis gradui obviam irem. Quantopere autem T. O. M. DEUS tantillis meis conatibus faverit, enarratæ historiæ teſtatum faciunt.

Antequam hanc materiem miſſam faciam, monitos velim omnes Medicos, quam pernicioſa ſit certa quorun-

fundam methodus agendi, qua ſemper morbi Malignitas, nunquam forſan affutura, non dico præſagiatur, ſed præſomniatur. Quis hujus porro effectus? Ut detrahantur ægris antiphlogiſtica remedia, iisdemque aut inertia, aut noxia, ſubſtituantur. Contigerit modo ut artus ægris doleant; ut præ ſudore, aut acriore tranſpiratione, cutis pruriat; ut etiam, quod turpius, pulicum ſtigmata alicubi viſantur; mox acida remedia detrahuntur, iisdemque ſubſtituuntur aut Hoffmanniana dicta miſtura, aliave terrea acidis ſaturata, aut etiam Decoctum Serpent. Virg. Contraj. Vincetox.; aut varia Bezoardica, aut pulveres de Gutteta *Riverii*, Epilepticus Marchionis, Kentianus, Pannonicus ruber, & id genus alia. His tunc confiditur, æger bene tectus in lecto ſervatur, agitatur ſanguis, & prodeunt exanthemata haud raro letalia. Sternit, proh dolor! mos ille noxius in hac regione plures, cæteroqui victuras puerperas, cum ad minimam in cute maculam vel pruritum, calido lecto ac cubiculo oriundum, ita inſtituatur. Profecto quod initio hujus operis audax dixi, audax repeto; Ægris noſtris, communi acuti morbi, neutiquam maligni, genere, aut vigente, aut declinante, decumbentibus, nunquam adhuc prava exanthemata contigerunt: & ſi, nonnunquam criſeos tempore exanthemata obſervata ſunt, hæc nullam nobis in medendo mutationem indicarunt. Ratione morbi tractabantur, non ratione exanthematum: quare etiam nunquam, Divina nobis Clementia annuente, vel minima malignitas ſe hisce adjunxit. Quos malignos habuimus, hi ſuapte natura ita erant.

CA-

De Colica Pictonum.

Dirum hunc morbum frequentius contemplatus, *anno* 1745. *Diſſertationem* edidi, quæ obſervata, geſtaque, hanc in rem, mea, contineret; ſimulque enixe id, ſerioque, omnes peteret medicos, uti illi, ſuis obſervatis in lucem editis, mea demum emendarent, fauſtioremque tandem curandi methodum in lucem proferrent.

Anno 1751. edita eſt *Pariſiis* Diſſertatio Clariſſimorum Virorum *Joannis Aſtruc.*, & P. L. M. *Maloet*, *De Vena ſecanda in Colica Pictonum:* Cui immediate aut præceſſit, aut ſucceſſit, Theſis Clar. *Du Bois*, *De Vena in hoc morbo non ſecanda*. Typis recuſa 1756. Cum priores hi viri clariſſimi in hoc morbo V.S. Emollientia interna, externaque, cum opiatis, commendent, clare patet methodum Cl. *Du Bois* ipſis *Pariſiis* nec univerſalem, nec, quæ proſit, unicam haberi.

Anno 1752. lucem vidit Diſputatio eruditi *Ilſemann de Colica ſaturnina Metallurgorum*; quam magnus *Haller* merito eximiam vocat, & per experientiam natam. Emollientia interna, & externa, potiſſimam curæ partem abſolvunt in hac Theſi. Vid. *Haller Diſp. Med. pract. Tom.* 3.

Prodiit anno 1752. eruditiſſimi viri, optimique medici, *Grashuis*, *de Colica Pictonum Tentamen*. Dein theſes editæ ſunt ſuper curatione hujus morbi per emetica, ab eruditiſſimo Pariſienſi Medico, *Du Bóis*. Quin egregius, & tam in Chemicis, quam in Medicis, conſummatus Vir, Dominus *Baron*, *in Comm. ad Chem. Le Mery*, *cap. de Antim.* quædam, attentione digna, protulit. Ipſe ego hujus operis *cap. 9. pag.* 56. expurgationem proprii mei tractatus promittens, utilem interea, ni fallor, obſervationem communicavi. Anni, & quod plus eſt, elapſo ab illine

illinc ſpatio, prodiit *Cl. Tronchin* ſuper eodem argumento Tractatus; pauloque poſt medici Pariſienſis, clariſſimi Practici, animadverſiones in Tronchiniana. Eruditorum in Hollandia Societas *Harlemenſis*, problematis ſuper hoc morbo propoſiti, præmium adjudicavit clariſſimo mox laudato *Grashuis*; cujus hodiernam ſententiam necdum reſcire potui.

Toto autem hoc tempore, ab edita diſſertatione mea elapſo, nova multa obſervavi, dubiusque circa propriam meam ſententiam hæſi. Unde de integro tum quidquid ante meum tractatum, tum poſt eundem, hucusque ſcriptitatum fuerat, attentus pervolvi, & cum propriis meis, tam antiquis, quam recentioribus obſervatis, exacte contuli. Hinc demum quæ mihi nata idea, paucis dabo.

Morbi naturam abſtruſam reperii; ſuperque eadem nec a me, nec ab aliis, quidquam quod ſatisfaceret, cogitatum fuiſſe: curandi vero methodum, tum propriam meam, tum eam aliorum, ſuos quidem uſus habere, multisque gloriari curatis; at vero his omnibus methodis id commune vitium eſſe, ut non ex æquo omnibus proſint: adeoque notabili huic vitio emendando ſtudendum eſſe.

Ut a curandi modo incipiam; examinandus eſt mos curandi per Emetica. Emetica *Sennerto*, *Cratoni*, *Hollerio*, *Citeſio*, *Riverio*, *Puerario*, *Juncken*, *Piſoni*, *Baglivo*, *Boerhaavio*, *Anonymo*, multisque aliis claris viris, aut indicata non fuerunt, aut fuerunt repudiata; ſolo *Citeſio* forte aliter, non quidem in erudito opere ipſo, ſed in appendice, ſtatuente. Ipſe ego iisdem nunquam ſum in hoc morbo uſus. Nec recentiores pleroſque iis uti video. Cl. *Tyſſot* ſine Emetico tres homines egregie curavit, ut, quas mecum communicavit, hiſtoriæ fidem faciunt.

Attamen diffiteri non poſſumus Emetica graves, omnique fide digniſſimos, habere autores. Morbus Co-

Colicus *Damnoniorum* a clariſſimo *Huxham* eo modo curatus legitur. In famoſa ac laudatiſſima Theſi *Cl. Du Bois* plurimos ita curatos fuiſſe patet, vix paucis eorum pereuntibus: & quidem ita, ut, ſpatio 23. annorum, ex 1200. fere hominibus, paulo tantum plus, quam 20. perirent. Medici Noſocomii dicti *de la Charité*, *Pariſiis*, ſumunt tenuiſſimum Antimonii pollinem, hunc lavant, in ſole exſiccant, duplum tenuiſſimi ſacchari admiscent, & affuſa ſenſim aqua ſtillatitia Naphæ paſtam faciunt, e qua Tabellas formant, quarum doſis eſt a ſcrup. 1. ad. 2. pro rerum neceſſitate ter, quater, repetenda.

Ut ex Cl. Pariſ. Medici diſſertatione critica video, ſubjunguntur emetico enemata fortiſſima, & draſtica purgantia, quotiescumque emeticum datum, repetitumque, fuerit.

Quænam igitur emeticorum, in hoc morbo, utilitas? Emetica totum corpus concutiunt, morboſamque materiem æque deorſum ſolent, quam ſurſum, expellere: raro enim emetica non fiunt ſimul purgantia. Bene ſuccedente hoc negotio, levamen ingens tantam morboſæ materiæ copiam evacuatam ſubſequatur, neceſſe eſt: imo ſuſtinendo quæ ſint robuſta corpora, hac lege integre poterunt curari; fibris inteſtinorum ſua necdum elaſticitate privatis. Sin vero minus bene ſuccedat, morbus modo inducias dedit, curatus non eſt, ſcenam denuo dabit; ut mox patebit. Tandem, quod fatendum eſt, in robuſtis, in non deperdita inteſtinalium fibrarum contractilitate, eo citius morbus curatur, ſi præter emetica alvus quoque potenter ſolvitur. Alii ſolis utuntur purgantibus & emollientibus, donec reſeraverint, propulerintque, obſtacula. Lentius quidem hi, ſed tutius, æque tamen certo, idem, quod priores, efficiunt. Tertio dantur, qui paucioribus evacuantibus, ſed emollientibus nternis, externisque, copioſis, plurimo oleo, pru-

denti opio, curam inſtituant. Quid porro illi? noxiam materiem involvunt, criſpos contractoſque nervos relaxant, exſiccatos humectant, nudos tegunt, defenduntque. His ſolis, ſubin adjuncto purgante, corpus a noxia materie liberant. Ad has tres claſſes omnes varias methodos, morbum in paroxyſmo curandi, jure referas. Ordine recenſitæ ſunt, ordine nunc examinentur, & diſcutiantur.

Ac primo quidem Emetica egregios ſæpe effectus habent: hoc ultro faſſi ſumus. Sed hanc methodum, ut generalem, ut utilem cunctis, iis obtrudere, qui frequenter, attenteque, morbum contemplati ſint, impoſſibile eſt. Morbum vidi, tractavi, recentem, provectum, diuturnum, annoſum, cum omnibus ſuis variantibus ſymptomatibus, eundem aut concomitantibus, aut ſubſequentibus. Hinc didici ab inimica cauſa inteſtina vehementer conſtringi, fœces in iisdem contentas exſuccas duraſque reddi, tum etiam a cellulis vehementer contractis, Colo potiſſimum in inteſtino, in parvos, eosdemque oblongos, globos formari: demum vero, tum Colon maxime, tum & pro parte Ileum, (nam & ibidem veras fœces alvinas hærere priore anno demonſtravi) cum ſuis exſuccis, duriſſimiſque contentis, in ſolidam veluti maſſam coïre, omniaque vaſa & nervos comprimendo, ferocia illa tormenta producere. Hæc morbi, ſi demum vera Pictonum colica dici debeat, juſta idea, vera imago eſt. Dentur nunc in hoc ſtatu generoſa emetica, & purgantia; imo iterentur; quid tum? Oppido rarum non erit hinc vehementes convulſiones oriri, antequam, vel interea dum, illa operantur. Præſertim cum huic morbo adeo frequentes convulſiones contingant. Sæpe enim ventriculus non niſi conſenſu laborat, cauſaque vera malorum ſolis in inteſtinis hæret. Concuſſione ergo validis hisce remediis excitata, repetitis iisdem pluries renovata, agitantur, convellun-

lunturque nervi, multaque compacta materies aliquando ſolvi, ſoluta propelli, expellique poteſt: at ſi vehementi hac agitatione nequeat ſolvi pellique materies, convulſiones excitari, & mors inſequi, poterunt.

Sed rem accuratius contemplemur! Caſu quo a violenta remediorum agitatione pars ſolvatur, educaturque, morboſæ materiæ, & multis vomitibus, alvique ſeceſſibus, copioſe dimittatur, incipiunt omnia ſymptomata dira miteſcere, imo integre aliquando ſilere; modico veluti inteſtinorum pondere tantum ſuperſtite. Hi curati dicuntur; hi, quo locum cedant aliis, e Noſocomiis dimittuntur.

An autem vere curati ſunt? Plerique neutiquam. Magna, eaque diuturna inteſtinorum evacuatio contingere poteſt per medium canalis; dum interea contractæ cellulæ cum compacta fœcum mole firmiter unitæ maneant. Evidenter id evincunt oſſa animalium, nuclei Ceraſorum & Prunorum, nummi, aliaque indigeſtibilia corpora, quæ per ſeptimanas & menſes inteſtina ſinu gerunt, & interim quotidie fœcum copia ſe exonerant, imo interea dum eo tempore purgantibus & enematibus ſollicitata fuerint. Mira talia in praxi vidi, videre practici omnes. Edoctus igitur hujus in Colica pictonica phœnomeni veritatem, nunquam ægros meos ſpe vana lactavi; quamdiu primo necdum ingens quantitas induratorum globulorum, inſtar fœcum ovillarum, alvo prodiiſſet: Secundo, quando, etiam his globoſis corpuſculis copioſiſſime prodeuntibus, alvus tamen poſtmodum docebat hanc inteſtinorum contractionem ſolutam non eſſe, ſed duros globulos de integro formari. Utroque enim in caſu ex ſtimulo acri hic paulatim creſcente, renaſcuntur eædem ærumnæ, iidem poſtulantur curandi labores.

Methodus ergo per vomitoria curandi infelix eſſe

poteſt; plures integre curare poteſt; poteſt multos levare, at vero a relapſu non præſervare.

Altera methodus eorum erat, qui omnia emolliendo, & per alvum expurgando, curam tentent. His minus frequens convulſio obſervatur, ægri minus defatigantur, cæterum idem, qui prioribus, ſed aliquando tardior, ſeu curationis, ſeu impetratarum induciarum, contingit effectus.

Quid nunc de tertia methodo cogitandum? Si certa eſſe probetur, cæteris ob lenitatem præferenda erit. Et quidni certa probetur? Attente totam hiſtoriam medicam de Venenis pervolventes, cernimus equidem venena vinci, vitamque ſervari, emeticis, purgantibus, immutantibus, diaphoreticis? at quotiesne vera nos non lateat veneni natura, ſedesque? Quotiesne incaſſum adhibitis cunctis pereat homo? Catholica interim methodus utendi aqua calida, lacte multo, aqua mellita, oleoque, copioſiſſimis, omni modo adplicitis, interne, externe, ore, ano; hæc, inquam, & noto, & ignoto Veneno, ex æquo prodeſt. Scatent exemplis volumina medica. Ea referre velle, ſupervacaneum. Ex multis tamen quæ vidi, liceat unum notabile recenſere. Anno 1735. *Hagæ Bat.* contigit, ut intra breve temporis ſpatium 130. homines, comeſtis ſquillis marinis, in terribiles anxietates inciderent, in convulſiones, vertigines horrendas, vomitus enormes, dyſenteriam cruentiſſimam, intolerabilisque fœtoris ſudorem. Cauſam alii refundebant in *Leporem marinum*, frequentius ab aliquot retro diebus in proximo mari viſum, eademque muria cum his piſciculis coctum: alii vero in muriam hanc eandem, poſt coctionem in magnis æneis ahenis refrigeratam, & iteratæ piſciculorum coctioni denuo adhibitam. Mox nonnullis emetica dabantur, purgantia aliis: intermiſcebantur opiata & alexiteria. Horum plures diu ægrotarunt, & languerunt; bini perierunt.

Sed

Sed inſtituta methodus replendi corpora copioſiſſimo oleo & lacte, tum potu aſſiduo, tum frequenti enemate, cujus autor erat *Cl. Schwencke*, Anatomes ibidem & Chirurgiæ Profeſſor, omnes illos miſeros integre intra paucos dies ſanitati reſtituit.

Nunquid & eadem olim, & nunc, in Colica Pictonum, non laudatiſſima? *P. Milo*, apud *Citeſium*, matronam ab hoc morbo curatam refert, poſtquamquævis artis auxilia fruſtra adhibuiſſet, ſolo oleo, ac butyro, diu adhibito. Quin & in plerisque de hoc morbo ſcribentibus, etſi alia commendata habeantur, tamen oleoſa, involventia, emollientia, tum ore epota, tum in anum injecta, tum balneis, fomentis, cataplasmatibus adhibita, ſua utique laude non carent: iisdemque, ut ſupra memini, Cl. *Tyſſot* tres ſuos miſerrimos a morte eripuit.

Menſe Aprili 1757. homo 20. & aliquot annorum, inferebatur in Noſocomium noſtrum, quem plura alia Noſocomia ſæpius in paroxysmo hujus morbi viderant; jamque paroxysmi a longa die per 4. 5. continuos dies indeſinenter excruciabant, per duos tresve dies tum remittentes. Paroxysmum mox præſentem horruimus omnes, ejusque vomitus, intolerabiles dolores, ejulatus, convulſiones toto corpore violentiſſimas, epilepſiæ inſtar, & ſpasmum maxillæ. Nudato abdomine quid veluti convelli, convolvique in abdomine cernebamus, quod ipſum tactu durum.

Porro medelam ſic inſtitui. Emplaſtrum paregoricum ventriculi regioni admovi; oleum Lini tepidum frequenter injici curavi; Emulſa camphorata, & paregorica, ſubin ipſum oleum, ore ſumenda dedi; Cataplaſma emollientiſſimum toti circumvolvi abdomini; & quia abdominis compreſſio manu facta videbatur lenire dolorem, cataplasma hoc faſciis abdomen comprimentibus firmari curavi. Uſu horum alvo prodiere, ut in perfectiſſima colica pictonum, rotunda,

dura, parva, ſcybala, eaque copioſiſſima; quibus tandem materies pultacea ſucceſſit. His demum paroxysmus ſiluit, neque rediit; ita ut miſer homo a biennio non meminiſſet tantæ doloris abſentiæ. Durities in abdomine percepta mole decrevit, vires rediere, appetitus, ſomnus. Legit, vel ambulat, tota die hilaris. Alvo autem quodam die carens, initia deprehendit repetituri doloris: enema oleoſum dolorem quidem ſolvit, ſed denuo parva, rotunda, dura, ſcybala producit. Ergo non ablata cauſa malorum. Diæta lactea dein videbatur curam abſolutura: cujus experiundi gratia hominem diu in Noſocomio ſervaſſem, ni præ morum intolerabilitate ejiciendus fuiſſet. Tribus aliis eadem cura ſucceſſit; expurgatis quippe ſordibus, lac copioſum, aſſiduumque, nervos & ſufficienter molles, & debite fortes, facit. Ter quater in anno relapſos lac demum incolumes ſervavit.

Profecto methodus prophylactica quam hujus operis pag. 56. &c. deſcripſi, ea videtur, quæ nunc dixi, confirmare. Colica Pictonum in fodinis, unde ingens copia plumbi, multa ferri, aliqua arſenici, & tantilla argenti, petitur, frequentiſſima miſeros adoriebatur foſſores; damnoſa ideo tum illis, tum Dominis, inſequente ſcilicet paralyſi multos ineptos ad labores reddente. A triennio autem toto, ne unus quidem ultra affectus fuerat, ex quo Empirici, rerum foſſoriarum gnari, conſilio, jentaculum atri panis cum pingui lardo, foſſoribus, priusquam primos labores auſpicarentur, pararetur; prandiumque ſimul ex pingui bubula carne, lardove, adornaretur. Vapores nempe & particulæ veneni, ſaliva inviſcatæ, deglutiuntur, labemque primis viis inferunt: pinguia, & difficulter digerenda nervos defendunt a venenorum adplicatione, venena inviſcant, inviſcata eliminant. Ex illo tempore conſilium tale omnibus do

opi-

opificibus, qui foſſilia tractantes, hac in urbe, adeo frequenter in hunc morbum incidunt. Ratio & experientia inviſcantem hanc, & obvolventem curam, æque in therapeutica, quam in prophylactica curatione, comprobaverunt.

Methodus eadem mirum quam noſtris in Noſocomio Dyſentericis profuerit! ut hinc vel integre curarentur, vel induciis primo impetratis, purgans tuto daretur, & opiata cum oleoſis reliquam poſtmodum curam abſolverent. Febris quædam maligna cum terribili vomitu & ventris torminibus inchoans, emeticis irritata, in quodam Noſocomio multos, petechiis accedentibus, ſtravit. Conſilio denique Ill^mi Præſidis, decocta farinoſa, emollientiſſima, oleum copioſum, opium, mollia epithemata & balnea adhibita, totam vicerunt malignitatem. Oleum cum opio in acutis non malignis, pertinacioribus tamen, dum ſtagnantes in viis primis humores, bilisque forte eo usque affluens copioſa, putreſcunt, incredibile morbo levamen attulit. Medicum hac in urbe cruenta & crudeliſſima Dyſenteria vexabat, cum rigore tetanode totius corporis, ultra 12. horas durante, & vomitu æruginoſo. Probabilior cauſa proëgumena erat podagrica materies in corpore retardata & latitans; cauſa procatarctica aſſumtum leve purgans. Illuſtriſſimo L. B. *van Swieten*, & ſagaciſſimo medico *L. Erndl*, qui curam ægri ſuſceperant, viſum fuit ſolis emollientibus, & involventibus, externis internisque, quovis poſſibili modo adplicitis, prudentique Opii doſi, uti oportere; adpoſitis interea acrioribus ad crura epiſpaſticis, quibus eo verſus, ſi qua materies podagrica adeſſet, determinaretur. At citra podagram morbum integrum, ſeptem dierum ſpatio, debellarunt.

Opium porro in multis horum principem locum tenet. Nervis graviter affectis oleoſa quidem, & in-

volventia, prohibent ne ultra criſpentur illi, irritenturque; Sed miram affectionem iisdem non demunt, quæ jam altius ſecundum nervum penetraverit. Opium ipſam nervi conditionem mutat, ſenſilitatemque demit. Præſtantiſſimus *Baglivus* ſuſpicabatur, opium excitare ſudores, quibus in hac Colica nihil ad generandam Paralyſin credebat aptius eſſe. Sed experientia edoctus affirmo ad præcavendam paralyſin, opio, cum copioſo oleo, nihil præſtantius dari, potentiusque, propter dolorum ſopimentum. Quinimo *Riverio*, *Sydenham*, *Huxham*, autoribus, ſi purgantia in ſimilibus morbis indicentur, nepenthem iisdem audacter commiſceo. Eo enim contractos, irritatosque nimium nervos, utcumque relaxante, & pacante, purgatio aptius officio fungitur ſuo Summi ſane hoc in Ileo uſus. Et forſitan ſolum opium datum efficit, ut, nimia nervorum conſtrictione ſoluta, reſtituta vis periſtaltica alvum commode moveat, cujus en memorabiliſſimum exemplum!

Cl. *De Rueff*, Eminentiſſ. Cardinalis Archiepiſcopi & Principis *Paſſavienſis* Archiater, caſum filii ſui quinquennis mecum communicavit, quem Ileus adeo gravis corripuerat, ut quavis artis opera incaſſum adhibita, jam & ſtercora evomeret, & enemata ipſa. Guſtu ipſo optimus parens vomitu ejectam percepit muriam ſalis communis, quæ enemate injecta fuerat, ut & Electuarium Diacathol. & alia. Saporem horum puer, hora antequam evomeret, ex eructationibus jam conqueſtus in ore erat. Iniquam & deſperatam pueri ſortem parens miſeratus, miſturam aq. Menthæ, Spir. ejusdem, & largiore Laud. Liq. *Syd.* doſi, conſtantem dedit, ut ſaltem cum minori miſeria periret. Triplex fere opii doſis erat ratione ætatis. Sed en! ex inopinato vomitus ceſſant, ceſſant dolores, & blanda ſine ſomno obtinet animi tranquillitas. Eoque modo quartus morbi dies tranquille tranſigitur.

tur. Sequitur nox moleſta, leviore dolore, citra vomitum ingruente, turbata; flatus deorſum petunt, ſequitur portio enematum, ipſæque tandem fœces. Brevi poſt appetitus, ſomnus, integreque reſtituta ſalus, adſunt. Laudandus profecto perilluſtris & doctiſſimus parens, quod in ſtudii medici bonum, hanc mecum hiſtoriam notabilem communicaverit.

Liceat hic in tranſitu adnotaſſe, quam egregie hinc confirmetur id, quod de incipiente in Ileo gangræna dixeram hujus operis *c.* 14. *p.* 92. 93. 94. Gangræna inchoans hic ſane adfuiſſe videtur, ſed opio inordinatos ſedante motus, lenique aromate vitam ſuffocatam refocillante, per naturæ bonitatem fuiſſe emendata. An autem die quarto potum Chamomillæ & Millefolii infuſum, quoque quid contulit? Eſt antiquis temporibus Millefolium laudatum in Dyſenteriæ ſpecie, quæ inchoamenta Gangrænæ denotaret. Si infuſum cum aliqua coctione paratum fuit, potuit vis plantæ, modice ſtringens, forte quidquam conferre. Chamomilla vulgaris, & Romana, ut tuta, blandaque antiſpaſmodica, & diaphoretica, ſemper habebantur; Infuſum ejus *Baglivus* in Colica tanti fecit, ut *Libr. I. prax. med. Cap. de Colica* §. 1. dicere non vereatur: " Antidotum Colicæ eſt Chamomilla, „ a quacumque demum cauſa oriatur.

Hæc de cura morbi: ſed cum initio dixeram circa ejus theoriam nec opiniones aliorum, nec ipſam meam propriam, typis olim editam, mihi inpræſentiarum ſatisfacere; paucis jam liceat circa eandem exſpatiari. Etenim quid mirabilius, & incomprehenſibilius, quam quod ſedes mali ſit in abdomine, & artuum interea pereat motus? Et cur, amabo! ſi ſanguis aut acer, aut mucoſus, aut aquoſus, virium ſit cauſa diſpendii, illa cauſa non totum ex æquo corpus afficiat? Quibusdam enim ſoli ſuperni artus reſolvuntur, integri manent inferiores. Imo in tota ea morbi *Huxhamo*

deſcripta ſpecie, Paralyſis brachia duntaxat occupavit. Si vitiata Chylopoieſi, & Hæmatopoieſi, nec ſpiritus debiti, nec oleum, ultra ſecernuntur, quid demum cauſæ eſt, quod unus præ alio muſculus aut robuſtus maneat, aut fiat paralyticus? toroſus, aut emarcidus?

Mirum prorſus ſpectaculum! at vero haud ſuo in genere unicum. Simile quidpiam obſervamus in thoracis morbis. *Hipp. Coac.* n°. 400. " Siquidem igitur, „ inquit, Aortæ adpellatæ (eæ ſunt, lingua Hippocratica, duo magni rami, in quos Aſpera arteria dividitur; vide *Duretum* & omnes commentatores) " Si„ quidem igitur Aortæ appellatæ, utrinque adpen„ dentes Pulmonis partes, valde inflammatæ ſunt, „ ut ad latus aſſideant, (ſeu, ut ad latus adprimantur) „ προσκαθῆσθαι, πρὸς τὸν πλευρὸν, hac corporis parte „ reſolvuntur, παραλύονται τὰ κατὰ τὸ μέρος τοῦ σώμα„ τος... Si vero non valde inflammatæ ſunt, ut non „ aſſideant, (ſive ut ad latera firmiter haud adpriman„ tur) dolor quidem fit per totum, attamen non re„ ſolvuntur.. Quibus vero totus pulmo una cum „ corde inflammatus fuerit, ut ad latus allabatur, „ homo totus reſolvitur. " *Charterii* verſio ſenſum genuinum accuratius ea, quæ *Dureti*, aut *Foeſii* eſt, reddidiſſe videtur.

Invenio in adnotatis meis ann. 1747. 1748. 1749. triplici vice me in ſuppurato admodum pulmone ſimile quidpiam obſervaſſe. Quadragenaria fœmina a longa die tuſſiculoſa, ſpaſmum in ſiniſtro linguæ latere experitur, doloremque vehementem, & tandem paralyſin. Hæc ibant, redibant; prout Vomica, tunc ſe rumpens, magis ſeſe, minuſve, evacuaret. Ita quidem ut per ſeſquiannum hoc malo ferme libera, eodem denuo, ſubſiſtentibus ſputis, affligeretur.

Sexagenaria mulier ſiccam, moleſtamque dudum tuſſim paſſa, linguæ ſiniſtri lateris non ſpaſmum, non

non dolorem, ſed paralyſin conqueritur; inchoamento quodam Apoplexiæ, ſeu capitis potius ſtupore, petitur; ac poſtmodum lateris corporis ſiniſtri paralyſi.

Vir ſexagenario major, peripneumonia non reſoluta, ante tres menſes laboraverat, tuſſi ſicca, cum reliquis vomicæ clauſæ ſignis, vexatus. Levi tunc inchoantis Apoplexiæ inſultu petitur; ab eoque denuo liber, linguæ pars ſiniſtra, brachium, pesque ejusdem lateris, plane reſolvuntur.

His porro tribus id contigit, ut, Vomicis ruptis, pus copioſum exiverit, ſimulque linguæ, artuumque, paralyſis, emendata fuerit: & quidem adeo, ut vir hicce intra 14. dies ab inchoata paralyſi per cubiculum circumambularet ſcipioni innixus, quem etiam brevi poſt, ut inutile pondus, projecit.

Equidem in altero, tertioque caſu, levior Apoplexia, membrorum reſolutioni antecedens, minus videretur ad præſens argumentum facere; quemadmodum etiam linguæ affectio. Verum ad aliud quid hic attendendum eſt. His omnibus id ter, quaterque contigit, ut ſputis ſuppreſſis, imminutisve, curata redierit paralyſis; ſputis redeuntibus, illa paulatim ceſſaverit.

Ergo pure thoracem anguſtante, & premente, in prima fœmina lateris linguæ ſpaſmus & dolor obortus eſt, ſecuta tum paralyſis. In binis aliis, pure opplente thoracem, levior Apoplexiæ ſpecies oborta eſt, hanc inſequuta paralyſis. Paralyſis, ſputis libere ejectis, minuitur, ceſſat; ſputis aut ceſſantibus, aut paulisper imminutis, paralyſis augetur, perficitur: Et quidem ter quater in omnibus eadem hæc phænomena redeunt. Simile quidpiam jam bis etiam Viennæ vidi. Caſum forte & huc referendum habebit Cap. 28. n°. 25.

Igitur affectis in abdomine, ac thorace, nervis, reſolutio brachiorum, crurum; alterutro, utroque in

in latere, naſci poteſt. Communis explicatio ſyſtematis nervorum, & a me olim, & a plerisque paſſim, ad hunc nodum ſolvendum adhibita, imperfectior eſt, multa ægre ſolvit, repugnat nonnunquam, relinquit hiatus.

Solus, ni fallor, nec ſine reverentia nominandus, magnus *Winslow* quid ſolidius nobis, aptiusque, ſuppeditavit *Tom.* 3. ubi adeo nervoſiſſime explicat nervos. Experientia Anat. 20. annorum edoctus, & *Cl. Petiti* obſervationibus ſuffultus, ſtatuere cogitur, nervum intercoſtalem, ſympatheticum magnum dicendum, a communi nervorum in encephalo origine non naſci, verum potius a Gangliis, quæ a ſumma ſpina, ad oſſis ſacri infima usque, numeroſa, totidem veluti Cerebra componunt, ex quibus demum Sympathetici magni origines: igitur quam in cranio eſſe illius originem credideramus, ejus potius adſcendentem, & cranium intrantem, ramum eſſe, quam truncum deſcendentem.

Obſervatio eruditiſſimi *Petit* habetur in *Hiſt. & Mem. Acad. Reg. Sc. Par. an.* 1727. Demonſtrare ibidem annititur clarus vir id, quod hic *Winslow*. Hocque 1°. quia angulus communicationis (vid. Euſt. Tab. 18. fig. 2.) nervi intercoſtalis cum pari V. & VI. manifeſto docere videtur, non oriri intercoſtalem ab his binis paribus nervorum, ſed ab intercoſtali ad illos ramum accedere. 2do. Quia nervus ſexti paris tenuior eſt inter locum ſuæ originis, a priore parte corporum olivarium & pyramidalium, locumque ubi intercoſtali nervo unitus eſt, quam ubi inde ad oculum pergit: manifeſto documento hunc nervum quinti paris originem intercoſtali nervo non dediſſe, ſed, accedente intercoſtalis ramo, potius mole auctum eſſe. Re vera deberet, hanc eandem ob cauſam, auctior quoque moles in primo trunco nervi V. paris adparere; ſed adeo craſſus hic truncus eſt, ut

tan-

tantilli ramuli acceſſione haud adpareat mole auctus. 3tio. *Petit* numeroſis canibus intercoſtales nervos abſcidit e regione 3. vel 4. colli vertebræ; & quamvis par octavum in hac abſciſſione integrum manere nequeat, ſcimus tamen par octavum nihil ad oculos facere; adeoque omnem, quæ oculis fiat, mutationem, intercoſtali nervo deberi. Igitur intercoſtalibus abſciſſis, phænomena, quæ naturaliter hinc exſpectari poterant, ut vox impedita, vomitus, cordis palpitationes, &c. ſemper plus minus variarunt, imo nonnunquam defuerunt: ſed oculorum affectiones erant in omnibus ſubjectis conſtantiores; nempe eorum ſqualor, lacrymæ, lemæ, cornea planior; extenſio membranæ cartilaginoſæ ad limbum Corneæ ſitæ, ita quidem ut jam corneæ partem obtegeret; inflammatio conjunctivæ, &c. Et quod maxime rem demonſtrat: uno intercoſtali abſciſſo, oculus ejusdem modo lateris enarratis ſymptomatibus afficiebatur, alter minime.

Si hæc *Petiti* pulcerrima experimenta, cum accuratiſſimis 20. annorum *Winslowi* laboribus, conjungamus, cogimur omnino antiquam de nervi intercoſtalis origine ideam abjicere, adoptareque Winslowianam. Ergo nervus intercoſtalis non oritur a communi nervorum origine ad medullam oblongatam; ſed in collo, thorace, & abdomine, a miris illis corporibus, quæ Ganglia vocant: Corpora ſcilicet nervis oriunda, nervos commiſcentia, novis dantia originem nervis.

His ita conſideratis, minus miror Colicæ Pictonum vix explicanda alioqui phænomena. Non ideo, quod jam ea cuncta exponere horum ope potis ſim; minime: intricatior nobis eſt nervorum demonſtratio, quam ut miras eorum actiones & ubique, & facile, exponamus: ſed ideo ſaltem minus miror hujus phænomena morbi, quod intelligere videar, nervo inter-

coſtali

coſtali in collo, thorace, abdomine, pelvi, originem ducente, poſſe Paralyſin pedum, brachiorum, oriri; dum nempe, in thorace, aut abdomine, eroſione, adſtrictione, compreſſione, vellicatione, aut quovis alio modo, nervus hic ad ſuas afficitur origines, ad Ganglia ſcilicet. Cum igitur crurum nervi, tam iſchiadici, quam crurales, componantur ex ſpinalibus & intercoſtalibus, intelligo, non integros iſchiadicos, non crurales totos, affici, ſed illos modo, qui eis ab intercoſtalibus juncti ſunt, fasciculos; adeoque incompletam Paralyſin gigni, in his potius, quam in aliis obtinentem musculis; neque iisdem, quas afficit, partibus ſenſum adimere, ſed motum. Cum nunc experientia noverim, nervorum alios ad motum, ad ſenſum alios deſtinari, hicque duplicis originis videam nervos eſſe, merito videor concludere, nervos harum partium motorios ab intercostalibus oriri. Attamen non id ita ſe habere ad musculos omnes, quandoquidem in hoc morbo potiſſimum Extenſores afficiantur: ergo eſſe quoque nervos musculorum cruris motorios, qui non ab intercoſtalibus, ſed a ſpinalibus ortum habeant. Cum nunc nervus intercoſtalis ubique in pelvi, abdomine, thorace, collo, oriatur, comprehendo facile ex ejus, in omnibus hisce regionibus, affectione, poſſe facile fibras illas affici, qui in collo cum ſpinalibus colli confuſi, ſex nervos brachiales una cum iisdem componant: tum & in ea ſupernorum artuum paralyſi, explicatis modo de cauſis, quoque & in ſolo motu, & in certis quibusdam tantummodo musculis, vitium eſſe. Cum etiam intercoſtalis nervus in cranium adſcendat per oſſeum canalem, una cum Carotide interna, & deinde ſeſe jungat cum nervis V. & VI. paris; haud improbabile videtur oculi turbationes, amblyopiam, ac fere amauroſin, vocis defectum, linguæ ſpasmum, dolorem, paralyſin, eodem modo exponi poſſe, quo brachii paralyſin. Cogito enim nunc in 6. & 5. pari eum

fas-

faſciculum affectum eſſe, qui his ab intercoſtali accedebat. Difficilius quidem eſt explicatu, cur inchoamentum Apoplexiæ ab eadem cauſa in thorace premente aut vellicante, fiat; ſed ab altera parte facile concipimus, poſſe unicum nervulum alicubi tam vehementer premi, & agitari, ut inde totum ſenſorium commune turbetur. In ulcere ruditer agitatus nervus, univerſi corporis convulſionem facit. A mera duntaxat applicatione venenorum ad ventriculi nervos, qui ab intercoſtalibus, & vago pari, ſpecies Apoplexiæ naſcitur, ſæpe, expulſo cito veneno, mox evanida. In rupto abſceſſu pulmonis hæc apoplexia remiſit; brevique poſt etiam ceſſavit ipſa, & ſimul, quæ ipſam comitata, ſequutaque fuerat, Reſolutio.

Atque hæc de Paralyſi; ſunt autem quædam alia adhuc exponenda. Introtractio abdominis, & ani; Iſchuria, Dyſuria, & quæcumque prava alia ſymptomata in hoc morbo ſæpius adſunt, ex dictis explicata habentur. Emaciatio totius corporis intelligitur a defectu olei in maſſa ſanguinis, oriundo ex vitiata admodum prima coctione, vitiatis proinde reliquis; præterquam quod acria, ſanguini ſenſim miſta, omne attenuant & deſtruunt oleum: quod vero aut Deltoïdes, aut alius quiſquam muſculus, præ cæteris contrahatur aut marceſcat, inde deducitur, quod fibrillæ illæ nervi intercoſtalis, quæ ad talem muſculum, vel involventem eum membranam celluloſam, vel ſuperſtratam ipſi pinguedinem, diſtribuuntur, in thorace, aut abdomine, præprimis afficiantur.

Unum reſtat, quod nondum expoſitum. In Tract. meo de *Colica Pictonum pag.* 39. 41. eminentiæ cujuſdam durioris, aliquoties immobilis, paſſim mobilis, memini; quæ ſemipollicem, ultraque lata, pone Carpum, in medio Metacarpo, ſita eſſet, eo præciſe loco, ubi Radialium externorum tendines capitibus oſſium Metacarpi inſeruntur, Extenſorque digitorum

com-

communis annulari ligamento emergit. Adparet degeneratio eſſe membranæ, extenſorem hunc involventis. Si immobilis eſt, motum turbat; raro, ſi mobilis. Quibusdam plane deëſt. Nonnullis cito diſparet, aliis per annos perſiſtit. Credibile admodum terreſtrem, tenaci quopiam junctam, & ſimul acrem, ſæpe eſſe materiem, huc metaſtatice depoſitam, &, ni abiverit, relapſus metum poſt ſeſe relinquentem. Memorabile exemplum communicavit mecum doctiſſimus ſane Vir, & de re literaria optime meritus, *Ds. Maſſuet*, Med. Amſtelodamenſis, autor, ut ipſe ad me ſcripſit, *anonymi Tractatus de Colica Pict.* in Periodico libro dicto *Bibliotheque raiſonnée Tom.* 8. *art.* 2. *& Tom.* 9. *part.* 1. 2. Homo ab anni ſpatio dire hoc morbo per intervalla affectus, & rebelles utramque ad manum eminentias ejusmodi gerens, acuta febre ſubito corripitur, cum delirio, rigore brachiorum, ſubſultu tendinum. Arceſſitus vir doctiſſimus deprehendit obſtupens, utraque in manu diſparuiſſe eminentiam, & ægrum poſtridie mortuum vidit. Nunquid igitur materies hæc, (ut ipſe a me quærit) quæ vel morbum olim generans, vel a morbo generata, huc metaſtatice depoſita eſſet, reaſſumi, reſorberique, denuo potuiſſet? Atque ita generare relapſum ejusdem morbi, aut acutas febres, & mortem ipſam? Sane materiem hanc acrimoniam deleteriam ſtagnando ſibi conſciscere poſſe, non abludit ab obſervationibus alibi factis.

Sed dantur Colicæ Pictonum nonnunquam, citra notabiles dolores; quas tamen Amauroſis, Aphonia, Paralyſis, inſequantur. Id bis obſervavi. Quod non mirabitur is, qui attendat modo non ad acrimoniam adplicatæ cauſæ, ſed ad naturam ejus. Venena adplicata nervis, ut in hac urbe toties exempla triſtia teſtantur eorum, qui vaſis argenteis, amalgamate auri & mercurii deaurandis, victum quæritent, poſſunt eos-

dem

dem nervos peſſime afficere, omnesque fere nervorum producere morbos, licet moderatiores iisdem dolores conciliaverint.

In tota hac pertractatione hunc morbum in claſſes dividere, ut quædam ejus ſpecies ad plumbum proprie eſſet referenda, alia ad vinum, alia ad ſcorbutum, ad podagram, alia &c. minime duxi neceſſarium. Dentur cauſæ quævis, quarum effectus ſit aut rodere nervos, aut vellicare, aut convellere, aut exſiccare, & adſtringere; modo ea, quam expoſui, cauſa proxima inde ſequatur, erit perpetuo morbus idem, eodem ſemper nomine denominandus, ſimili fere modo, paucis exceptis, curandus.

Sed plures, curato morbo primario, a Paralyſi curandi veniunt. Præter curam lacteam, miræ efficaciæ machinam electricam eſſe, multa in Noſocomio experimenta docuerunt; hocque ipſo tempore egregium machinæ effectum admiramur in ejusmodi caſu multis ab annis deſperatiſſimo. Adduci hunc hominem, a tanto tempore lecto inhærentem, juſſi in Noſocomium, eumque ibidem a trimeſtri fere ſpatio alui, ut ipſi quotidie vis electrica adplicari poſſet: a perfecta curatione multum abeſt, ſed interim jam obſtupescimus hominem ſine baculo, a nemine ſuffultum, per totas ædes noſtras obambulantem: promovendi experimenti gratia eum diu in Noſocomio ſervabo.

CAPUT XXV.

De Sanguine Humano, ejusque Calore.

In antecedentibus experimenta multa communicavi, quæ ad humanum ſanguinem, ejusque tum cruſtam, tum calorem, ſpectarent. Horum ex-

perimentorum plura, nonnulla in dubium vocabant, quibus, veluti inconcuſſis principiis, eousque fueramus innixi. Hoc anno eadem experimenta magnam partem iteravi, eo præprimis animo, ut ſi in prioribus capiendis errorem irrepſiſſe deprehenderem, id nunc traderem emendatius. Verum recentioribus vetera confirmata vidimus, ſimulque nova alia inſtituimus, quorum en epitomen!

1. Cruſta inflammatoria denſitate ac ſoliditate mirum quam variet pro excipientis differentia vaſis! Quo vas excipiens planius, majorisque diametri eſt, eo paſſim minor, ac ſæpe nulla, cruſta eſt. Quo altius & anguſtius vas eſt, eo cruſta denſior, ſolidiorque eſt. Quamvis enim ex obſervatis prioribus conſtiterit, in eadem venæ ſectione ſanguinem & variam, & maximam, & nullam, formare cruſtam; id tamen nec perpetuum eſt, nec præciſe eodem ordine excipientium vaſorum, maxime ſi idem experimentum ſæpius capiatur, obſervaretur.

Fallimur ergo, fallimusque alios, dum lata pelvi exceptum ſanguinem bonum eſſe, fere non inflammatorium, pronuntiamus; cum idem ille, anguſtiore exceptus, notabilem fors cruſtam exhibuiſſet: ut etiam, dum anguſto admodum vitro cruorem excipientes, inflammationem denſitate cunctas ſuperantem judicamus.

2. Sanguis noſter in morbis valde acutis, etiam morbi octavo nonnunquam die in communis magnitudinis vaſe exceptus, habere poteſt, habuitque, formidandam cruſtam: inſequente nihilominus paucis poſt horis morte. Quam falſo ergo creditur a quibusdam medicis, poſt quartum inflammatorii morbi diem, ſtadium inflammatorium jam præteriiſſe? Quam perperam quibusdam videtur omnimoda ſanguinis diſſolutio adeſſe, tum quod dies octavus ſit, tum quod mors ſubſequatur?

3. Nunquid tamen ejusmodi cruſta denſa perpetuo no-

notet ſtadii inflammatorii perſeverantiam? Utique in morbo maxime maligno; in quo poſt alia exanthemata, cum peſſimis Variolis, nigræ maculæ, ac vibices, libera a Variolis loca deturpabant; ſanguis ob Variolarum retroceſſum, quinto ab expulſione earum die, morbi autem vigeſimo ſecundo, de vena brachii miſſus, prodiit in vaſe communi phlogiſticus totus. Sed quadrihorio poſt, ex eodem foramine impetuoſe exſiliens, ſimileque in vas influens, perfectiſſime ſanus, quavis nota adparuit. Intra ſeptem ante mortem horas uterque hic ſanguis miſſus eſt. Vid. hujus operis *c.* 15. 16 *pag.* 103. 105. Hoc explicaturus, attendat primo ad ſequentem hiſtoriam.

4. In crure Sphacelo pereunte, in quo ſane nihil ſuppurabatur, imo potius putrida tabe omnia diffluebant, ſimul incredibilis copia puris pluribus ſeptimanis effluxit. Si ea eruditis probentur, quæ de *Generatione puris* hujus op. *c.* 11. ſcripſi, erit puris, & materiæ cruſtæ, eadem origo, eademque ſubſtantia. Irritatos ab acribus vaſorum nervos ibidem videbamus hanc in humoribus conditionem ponere, ut hæc craſſa, alba, materies aut formetur in illis, aut diſperſa antea & inviſibilis,nunc in maſſam viſibilem cogatur. An non ergo in crure ſphacelato, & in febrium malignarum gangrænoſa cute, viva vaſa, nervique, ad mortui margines irritentur? & ſanguini eam diatheſin creent, ut cruſta, & pus, in eodem formentur? Modus quo albi, craſſique Polypi, etiam in chronicis morbis, prope mortem generentur, idem videtur arguere.

5. Sed ſi hæc ita ſe habent, tutone in putrida diſſolutione ſanguinis, ad cutim obſervata, adſtringentia damus? Spiritus nempe acidos Vitrioli, Sulphuris, Nitri, Salis? Imo ipſum adeo copioſum corticem Peruvianum? Si enim diſſolutio ſanguinis ad cutem duntaxat adeſt, ejusque irritatio marginum nervis occaſio-

caſionem ſuppeditet, ut hanc albam in ſanguine ſpiſſitudinem generent, videntur hæc adſtringentia nocumento fore.

Ad acidorum uſum dico, ea non niſi dilutiſſima corpus intrare, adeoque diluendo maxime & refrigerando agere. Ita dum medici nonnunquam Hæmoptöen feliciter curant acido ſpiritu in miſtura opiata dato, crediderim æſtum refrigerando, motum moderando, acre diluendo, id eos facere. Quod vero ad Corticem attinet, hunc vi adſtringente hic agere minime arbitror. Cum magnis in arte viris lubens fateor me veram rationem, qua Cortex agat, ignorare. Video quam potenter Gangrænam ſiſtat, vitamque parti reſtituat: dum dedero eum in Hemitritæa, obſervo mirabundus quod nimios moderetur motus, calores; quos tamen eosdem mire auget in flaccidis, inertibusque corporibus: lætus contemplor quam blande, feliciterque, necdum adparentes cutis efflorescentias, Variolas, Miliaria, Petechias, foras trudat ſuſtineatque: quam pulcre maculas purpureas, lividas, nigras, auferat; mictum cruentum, cruentam alvum, in deſperatis Malignis ſiſtat; quam fortunato, ſuo ſi tempore apto, ſua ſi copia detur, intermittentes febres, tum univerſales, tum topicas curet; quam tuto hæmorrhagias ſiſtat, roboret nervos, ſanguinem inſpiſſet aquoſum, mucoſum attenuet, amiſſumque reſtituat vaſis tonum: Sed hæc omnia ab unico principio explicare & deducere velle, inanis laboris eſſe videtur. Eoque magis ſi conſidero attentus, quantilla Corticis doſi mirandos effectus producam, dum ejus aut reſina, aut ſale, utor. Præterea ſi binis hominibus cætera ſanis, jam vero eodem intermittentis febris genere laborantibus, & quorum alter ſtrictiſſimi ſit temperamenti alter laxiſſimi, corticem dedero, nonne utrique redit ex æquo ſalus? Si tantummodo adſtringendo, laxosque nervos roborando, Cortex ageret, nonne ve-

he-

hementer noceret potius, quam prodeſſet, rigido corpori? An forte demendo nervis irritabilitatem? Sed corpora vix irritabilia, in quibus anima plane adiaphora inhabitet, cortice peruviano ab intermittente febre curantur: imo inertia & vix irritabilia corpora corticis uſu irritabilitatis augmentum conſequuntur. Tota res ænigma eſt, ænigma manet. Quæſtio inanis; reſponſum impoſſibile. Quam limitatum in Naturæ operibus ingenium humanum! Sed quo abſtruſior Natura, eo ad adorandum & amandum ſupremum omnium Conditorem, cor noſtrum vehementius rapit & impellit. Experiamur nunc itidem vires ingenii in obſervationibus de calore humano.

6. Obſervavimus in plerisque, quibus aut conſueta medendi methodus, aut Cortex, febrim ſuſtulerat, & ita quidem, ut ſæpe nulla ſuperſint, ſive in pulſu, ſive in reſpiratione, ſive in urina, ſive in ipſo ægri ſenſu, vel minima indicia febris; obſervamus, inquam, horum in plerisque tres, quatuor, ſex, caloris majoris gradus in thermometro, quam eſt calor ſani hominis, idque haud raro per integrum octiduum. Merito id mirari oportet, cum plures dentur acutæ febres, in quibus idem thermometrum, eodem corporis loco, eadem cum cura, eadem temporis diuturnitate adplicitum, ſæpe intenſiorem calorem non denotet; interea tamen, dum & ipſi illi ægri, moleſtos calores conquerantur, eosdemque adtactu nos deprehendamus. Quid quod in febre peracuta, vere ardente, in qua 5. libræ ſanguinis, ſumme coriacei, eductæ; in qua homo miſer urentes plane calores aſſiduo conqueſtus eſt, & quidem tantos, ut DEUM profuſo corde laudaret de refocillatione grata, quam cuſtodes ipſi, ſpongiis aqua frigidiuscula madidis, faciem ejus ferventem ſæpius humectantes, conciliabant: quid, inquam, cauſæ, cur huic ægro per integrum octiduum calor una duntaxat die 100. graduum, reliquo vero toto tempo-

re graduum modo 98. 99.? Is ſane caloris gradus minor eo eſt, quem Thermometrum in iis oſtendit, qui a febribus penitus curati, ut mox vidimus; qui iidem tamen nec ſibi, nec nobis, calorem naturali majorem habere videbantur. In malignis morbis calor vix ſolet 3. 4. gradibus naturalem excedere. Et quod vehementius mireris, juvenis 13. annorum, ſpina ventoſa, & obſtructione non reſeranda totius abdominis laborans, totus pallidus, & cachecticus, & debilis; cujus ſanguis nullum fere in labiis, in oculorum carunculis, in palpebris internis, colorem exhibet; cujus parvus eſt ac debilis pulſus; cur ille habuit per ſex integros menſes, ſingulo die, calorem circiter 100. graduum? Calorem, ajo, majorem calore illius, qui æſtu flagrabat, durum plenumque qui pulſum habebat, qui inflammatiſſimi cruoris quinque libras de vena effundebat? Quæ demum apta ad hoc problema reſponſio? Sed mirabiliora videamus!

7. Fœmina ad finem anni 1755. ipſo in partu fit apoplectica, & ad ſe quarto die redeuns, paralytica. Mox frigus intolerabile dextræ manus conqueritur; ita quidem ut igni admota, veſteſque exurens, nullum percipiat frigoris decrementum. Eſtque in eadem manu, ſed prope cubitum magis, dolor vagus. Paralyſis emendatur cæteris in locis; ut demum Noſocomium accedere, opem rogatura, poſſit. Manum ego, quique circumſtant omnes, penitus frigidam, & extenuatam, percipimus; ſed ſimul deprehendimus robuſtum arteriæ in Carpo pulſum, illi, qui in altero brachio, æqualem; quin & arteriarum, juxta digitos emaciatos ſitarum, pulſationem manifeſtam. Unde frigus tantum, præſente fonte caloris, arterioſo ſanguine? Magna iteratæ graviditatis ſuſpicio, ut eam ad electricam machinam adhiberem, prohibuit; & ut reliqua modo, quæ artis eſſent, graviditaſque permitteret, inſtituerem, permiſit. Anno 1757. menſe Febr.

pri-

primum rediit, perſeverante eodem malo. Adplicui illam ad machinam electricam; ſed negligenter accedens illa, parum emendabatur. Quin & ſiniſtra manus, licet non paralytica, æque, quam dextra, friguit, æſtate media. Per novem menſes denuo defuit. Rediit 8. Apr. anni præſentis, dixitque ab adhibita vi electrea ſibi melius autumno & hyeme fuiſſe, ſeque ideo non rediiſſe: jam vero ab aliquot retro ſeptimanis malum in pejus, quam unquam, ruere. Revera a conſpecta manu horruimus omnes. Digiti manus paralyticæ rigebant, hinc inde tumebant; pulpoſa apicum ſubſtantia evanuerat; & jam inſtar variegati marmoris digiti toti rubent, pallent, purpurascunt, livescunt. Dolent quoque maxime dum attinguntur; acutius autem nullibi, quam in digito medio ad unguis radicem. Solus ab his malis liber pollex, paralyticus tamen ille, inque volam contractus; evanida penitus omni carne musculorum pollicis, Abductoris brevis, Opponentis, Flexoris brevis, & Adductoris. Fœminæ ad fornacem locatæ manui thermometron alligavi, laciniis laneis circumvolvi, & horæ quadrante reliqui; calore cubiculi 70. gradum in thermometro, parieti adpenſo, notante. Thermometrum ad manum ultra 73. gradum non adſcendit. Applicitum id horæ quadrante ſub axillis, 96. gradum ſignavit. Ergo differentia caloris fuit 23. graduum. Interea temporis æque fortis in hoc carpo, quam in alio, pulſus deprehenſus, deprehenſæque pulſantes digitorum arteriæ. Cum hæc mulier adeo ſui negligens eſſet, volui, ut in Noſocomio maneret; manenti hic frigus brevi in teporem mutavi halitu aromaticarum herbarum, earumque potu. At exinde plane horrori fuit adſpicere manum, colore ex purpureo lividam: ita ut ſub unguibus pellucentibus totum gangrænoſum eſſe adpareret. Hinc partis totius ſphacelum metuens, eam integram ſaturatiſſimo Corticis peruviani fomento in-

volvi, & corticem ore liberaliter ſumendum dedi. Octidui ſpatio teporem ſenſim redire, dolorem abeſſe, nonnullos obſervari motus, colorem ſanum æmulari. Vis electrea deinde effecit, ut digitis jam perfectius utatur, & domeſtica ſua, hac quoque manu, perficere poſſit.

Verum ergo frigus partis, tum ſenſu interno externoque, tum thermometro, demonſtratum eſt, cum optima conditione ſanguinis arterioſi, manum, digitosque, debito cum motu, & attritu, perreptantis. Sed en aliud!

Viro quinquagenario, ſaniſſimo, quadrato toti, a vehementi curſu exæſtuanti, potus gelidus aſthma rebelle creat, pravis dein ulceribus crura fœdantur, lumbi vehementer, perpetuoque, dolent. Omnibus his perennantibus malis, nihilominus vegetus, toroſusque, integro manet ſexennio. Eo elapſo rigiditatem, inſenſilitatem, & frigus, totius ſiniſtræ manus, ſex menſium ſpatio conqueritur; cui demum dolor acceſſit, & febris acuta. Homini huic olim aliquoties propter Aſthma medicinam feceram, pulſusque æque manifeſtos utroque in carpo deprehenderam: nunc vero nec in carpo, nec in manu, nec in brachio, humeroque, neque etiam ſub axilla, ego, aliique, pulſum detegere potuimus. Ergo non fuit in hoc carpo extraordinaria pulſus abſentia: præterquam quod, ſi hæc etiam adfuiſſet, non ideo poſuiſſet in brachio, humero, & ad axillam, pulſus abſentiam. Hocque ita continuavit per quinque reliquos, quibus vitam protraxit, menſes: niſi quod utrum ſub axilla, & prope olecranon, pulſus obſcuri indicium perciperetur, ſemel iterumque ſubdubitatum fuerit. Frigus tandem ſuperatur, eique calor ſucceſſit; motus, ſenſusque vigent: & ipſo hoc tempore, manente cum deficiente pulſu interni externique caloris ſenſu, Gangræna manum occupat; ſuccedensque digitorum ſphacelus ipſas

ſas extremas eorundem phalangas ſeparat, & a ſeſe removet. Ingenti demum puris copia ſphacelatis de cruribus indeſinenter profluente, levi apoplexia tangitur, eaque parum remittente, totius corporis Paralyſi affligitur, moritur.

In priore hiſtoria frigus perpetuum adeſt, cum valido arteriarum tota affecta in parte pulſu; in altera tam tempore frigoris manus, quam ejusdem caloris, nulla perceptio pulſus adeſt, fitque lenta gangræna, ac ſphacelus tandem. In priore cum pleno curſu ſanguinis arterioſi tanto tempore pars invincibiliter friget interne, externeque, ac tandem ſphacelum minatur; in altera hiſtoria ſine ſanguinis arterioſi perceptibili transfluxu, pars poſt ſuperatum frigus moleſte calet, & ſphacelo perit.

Cap. de *Machina electrea* habebitur hiſtoria fœminæ cum bono pulſu *ſemper* de frigore totius brachii ac manus conquerentis; licet & adſtantes partem naturaliter calentem aſſeverent, & ipſa altera manu affectam tangens, naturalem ipſi calorem adeſſe fateatur.

Ecquis noſtrum communibus Phyſices ac Phyſiologiæ principiis id explicandum ſuſcipiat? Ineluctabiles ſane ubique difficultates eſt inventurus. Ante cognitum *Harvæi* circulum, Schola Medica *innatum calorem*, a magno *Hippocrate* Aph. 1—14. 15. edocta, docebat. *Hippocrates* ea dicendi formula τῷ ἐμφυτῳ θέρμῳ, nihil aliud indicare voluiſſe videtur, niſi id, quod in corpore humano, varium in vario, cum primis vitæ rudimentis inceptum, in morte demum abſens, nonnullis quidem in morbis auctum, in aliis vero imminutum, deprehenderat. Hucusque ut verus, caſtusque Philoſophus egit, ignotæ rei enarrans tantummodo, explicansque, effectus. Utinam hujus Philoſophiæ ſemper memor extitiſſet! videatur *libro de Carnibus*, & *de Morbo Sacro*, ut & paſſim alibi. Sanguinem deprehenderat, dum de vulnere exilit, cali-

dum admodum eſſe; hominemque, dum multus effluit, frigeſcere, & palleſcere. Concluſit hinc calorem a ſanguine naſci: & quæ partes cæteris plura rubra vaſa haberent, eas præ reliquis eſſe calidiores; quo pauciora, eo frigidiores. Hanc ob cauſam Cerebrum eſſe omnium frigidiſſimam partem. Hinc pituitam ad illud colligi, coacervari, & naribus ab eo dimitti: copioſius vero aſſervatam hanc frigidam pituitam, atque a Cerebro ad pulmones dimiſſam, ſanguinem pulmone contentum refrigerare, & coagulare: itidem & ad alias corporis partes a cerebro miſſam iterum alios, eosque multiplicis generis, producere morbos. Apoplexiam, Epilepſiam, Aſthmata, cunctosque pituitoſos morbos, hinc explicuit. Scilicet aberrant etiam magna ingenia, dum quos ſibi ipſi limites ſapienter præfixerant, hos tranſiliunt incogitanter.

Si *Ariſtotelem* conſulamus in *libris de Generatione*, de *Reſpiratione*, & *Meteorologorum quarto*, videmus ſubtile hoc ingenium totum in eo occupari, ut doceat, quandoquidem quatuor elementis, aëre, aqua, igne, terra, nihil non conſtet, id calidius eſſe, quod in hac commiſtione ignem haberet reliqua principia ſuperantem. Ergo neque hinc quidquam illuminamur in hisce tenebris.

Ex *Ariſtotele* & *Galeno* miras veterum Philoſophorum circa calorem humani corporis ideas obſtupeſcimus, ſed quod nos quidquam doceat, invenimus prorſum nihil. *Galeni* tempore, Medicorum, & Philoſophorum diſcrepantia, verſabatur circa hæc duo: *πότερα ἢ ἐκ κινήσεως τοῦτο τῆς κατὰ τὴν καρδίαν, καὶ τὰς ἀρτηρίας, ἔχειν τὴν γένεσιν, ἢ καθάπερ αὐτὸ τὸ κινεῖσθαι τῇ καρδίᾳ σύμφυτον ὑπάρχει, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡ θερμασία.*
„ Utrum calor ex cordis & arteriarum motu ortum
„ habeat, an vero, quemadmodum ipſe motus cordi
„ innatus eſt, eodem quoque modo calor ſit innatus"?
Galen. adverſ. Lycum Cap. 2. Ipſe quoque *Galenus in*

Com-

Commentariis ad laudatos mox *Hipp.* Aphorismos, & maxime in *Libro adverſus Lycum*. ad quem eos, qui de calore edocendi ſint, remittit, ſolidi nihil attulit, ſed peripateticis principiis, aſſimiliter quam *Ariſtoteles*, ad hanc quæſtionem reſpondit.

Peripateticorum dogmati *Carteſianum*, & huic *Newtonianum* ſucceſſit: Sed in quocumque ſyſtemate Philoſophico plurima vix admittunt explicationem datam, ipſa explicatio ſcatet undique difficultatibus, hiatusque, nullo ratiocinio explendos, poſt ſe relinquit.

Anno proxime præcedenti experimenta adtuli, quæ calorem hominis ſani in letali frigore morientis hominis præſentem demonſtrarent, & in frigore febrili calorem naturali majorem aliquoties oſtenderent. Jungantur his, quæ hoc capite dixi, & forte fateri cogemur independenter a ſanguine calorem haberi; calorem parti ineſſe, dum ſanguis aut deëſt, aut quieſcit fere; calorem deëſſe, dum interim abundantia adeſt requiſiti cruoris. An ergo multum ſapimus præ illis, qui ſimpliciter dixerint eſſe Calidum innatum? *Intellexi quod omnium operum DEI nullam poſſit homo invenire rationem, eorum, quæ fiunt ſub ſole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat. Etiam ſi dixit Sapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Eccl. cap. 8.

CAPUT XXVI.

Experimenta in Calculoſis, & de Calculo Varia.

Hujus operis *Cap.* 21. *p.* 137. 8. Hiſtoriam hominis cum publico communicavi, quem miſerrimum a ſeptennio calculi martyrem, 17. libræ ſap. ven., 1500. libræ aquæ Calcis, totidemque Lactis, a calculi doloribus ac moleſtiis ita vindicaverant, ut, co-

eodem quamvis integro in Veſica manente, nesciat prorſus ſe calculo laborare, urinamque ſaniſſimi inſtar hominis, ponat. Monui ibidem hominem hunc ultra nolle remediis uti, comedere autem & bibere, quæ arriſerint, perfectiſſima tamen valetudine gaudere. Idem nunc repeto. Dum enim hæc ſcribo, vocari eum in Noſocomium curavi. Illibatam ille ſanitatem perſeverantem, coram nobis omnibus, magna cum gratiarum actione, teſtabatur, licet calculo nullo modo liber; omnes enim cathetere explorantes, eundem præſentem reperimus. Quod in eo experimentum factum eſt, idem frequentius repetendi occaſio adfuiſſet; ſed cum via commodior, brevior, & infantili ætati aptior, pateret, hanc inivimus.

Remedium hoc, quod jam anno 1757. innui, deſcripſique, *uva urſina* eſt. Enarrata antea experimenta tot novis obſervatis hoc præſente anno confirmata vidimus, ut omnia enarrando longus ac tædioſus forem. Præcipua ex iis ſelegiſſe ſufficiat.

I. Hujus anni 19. Aprilis, XI. annorum puer deferebatur in Noſocomium. Parentes teſtabantur, a quadriennio ab illinc elapſo, filium diu noctuque in urina reddenda immanibus torqueri doloribus; guttatim illam prodire; collectam vero tum mucoſam eſſe, tum pallidam, tum fœtidiſſimam. Quin & puerum binos calculos piſi minoris magnitudine, quondam excreviſſe. Cathetere explorantes, calculum omnes manifeſto percepimus, audivimus. Puerum in Noſocomio detinere volui, licet, quovis momento acriter ejulans, ac pavimentum, furibundi inſtar, pedibus aſſiduo quatiens, moleſtus ſane ſocius cæteris ægrotantibus eſſet. Bis de die media dragma pulveris uvæ urſinæ dabatur, & paregoricum veſpertinum. Juvamen intra quatriduum adeo magnum fuit, ut dolores vix ultra adeſſent, ut lotium diutius retineret, ut demum quibuscumque careret calculi ſymptomatibus. Factum

tum hinc, ut elapſo menſis ſpatio Noſocomii clauſtri pertæſus, paternas repetiverit ædes. Ac primo quidem tempore bene habuit; ſed Junio menſe, ſive regimine pravo, ſive medicinæ neglectu, ſive quod evaneſceret paululum præ conſuetudine ejusdem efficacia; dolores, cæteraque ſymptomata, recruduerunt. Horum certior factus, Noſocomio inferendum juſſi. Suadent interea alii Lithotomum conſulerent. Quo ad operationem neceſſaria præparante, rem interea eo direxi, ut operatio differretur, donec prius doſis remedii auctioris effectus exploraſſem. Ter die dedi mediam pulveris dragmam, & quotiescumque ſive die, ſive nocte, ferociores ingruerent dolores, liberale paregoricum. Decoctum hordei mellitum potui fuit. Profecto vix triduum elabitur, quin iterum omnes dolores exſulent, urinamque commode, ut homo ſaniſſimus, retineat, emingat. Nihilominus iterum calculi in Veſica præſentiam catheter declaravit. Quindecim diebus elapſis repetiit domum, ubi ſaniſſime vixit ad finem Auguſti. Tunc negligens remedii, ſuaque ſponte vivens, in antiquas delabitur miſerias. Suscepimus eum tertio, & cum priore methodo minus quam olim levaretur, curavi per aliquot dies oleum lini in Veſicam injici, mane, & ſero. Unde demum egregie ſe habet, injectione minime egens, & pulveres ſolummodo ſumens. Animus nunc eſt, eundem diuturniore tempore experimenti gratia in Noſocomio ſervare. Urina ejus, quæ fœtida, pallida, ac tenaci muco referta, ipſi ſolebat prodire, ante Uvæ urſinæ uſum, omni deinceps muco caruit. Retinet tamen aliquod vitium: ſedimentum ſcilicet furfuraceum perpetuo gerit, & alcalina plerumque ita eſt, ut momento mictus ipſo cum acidis effervescat, & Syr. Violacei colorem in viridiſſimum vertat. Aliud vitium quoque adhuc puer habet, nocte ſe commingendi; ſed mater teſtatur hanc turpitudinem non a calculo, ſed

cal-

calculo anteriorem eſſe : Idque experimento certo jam novimus ita ſe habere, cum promiſſis illectus, per quatuor noctes ſubſequentes ſe non comminxerit; & ne forte, ut promiſſorum potiretur, nocte ideo de induſtria vigilaret, cuſtodes ter, quater, acceſſere, viſuri num dormiret? at ſemper profundo ſomno demerſum repererunt. Haud igitur morbi eſt, ſed malitiæ, vitium.

II. Alius puer XIII. annorum, a biennio dolorifice, ac pallide, minxit, ſubinde etiam ſtranguriose. Catheter, & digitus, calculum manifeſto indicarunt. Tribus ſeptimanis domi ſuæ uva urſina, & paregorico, uſus, primo urinam diutius retinere cepit, demum integra nocte. Attamen cum his bonis ſignis crudelis dolor diurnos extorſit, nocturnosque, ejulatus. Pravam diætam in cauſa eſſe ratus, in Noſocomio detinui, & injectione olei lini bis die in veſicam facta, datisque pulveribus quotidie tribus, & opiato ad quosvis ferociores dolores; intra octiduum & dolore & ſtranguria liber fuit, minxitque ad unc. X. XII. unica vice, ter quater nucthemeri ſpatio, inſtar ſani hominis. Urinæ ejus vix alcalinæ, ſed aut tenacem ductilem mucum gerunt, aut pus, aut furfures; pallent, ſed minus illis prioris. Cum emendatione ſymptomatum etiam prava ſe de nocte commingendi conſuetudo plane ceſſavit, nec unquam rediit. Et hunc diuturno tempore ſervare in Noſocomio conabor.

III. Puer ſeptimum vitæ annum necdum explens, biennio abhinc Variolas, ac dein morbillos paſſus, mejendi difficultatem ac dolorem conqueri cœpit. Gluten tenaciſſimum magis magisque urina geſſit; imo copioſus ſemel cum urina ſanguis. Dolores ita paulatim increvere, ut puero vita jam plane intolerabilis ſit. Calculus cathetere demonſtratur. Comeſtis prunis non ſat maturis, n°. 15. aquam copioſam ſuperbibens,

bens, febri primo quotidiana valida, dein continua remittente, per 13. dies laboravit; quin & undecimo febris die ani prolapſus jungitur. Eſtque ipſi excoriatione exulceratum præputium. Etiam hunc tertium in Noſocomio detinui. Cum hic duo valde urgerent, urinandi dolor intolerabilis, & febris continua remittens; huic proſpexi decocto hordei mellito; illi, ter die data dragma media uvæ urſi, cum paregorico; ut & injecto bis die oleo lini. Et quidem eo animo ut ſi febris pergeret eſſe continua remittens, eam alia medela adoriturus eſſem. Verum febris ſenſim mitior facta, dein quotidiana, tandem intra 14. dies ceſſavit. Cum febris curatione etiam calculi ſymptomata ita mitigata ſunt, ut ultra non doleat, ut paſſim urinam diutius retineat, nocte autem tantum parum ſeſe commingat. Urina quoque minus in alcali vergens, quam primi ordine pueri, nec adeo pallida, mucum rarius, ſquamas frequentius, continet.

IV. *Chriſtian*, Hydrocele, ut videbatur, laborans, multo tempore diureticis, ſubinde etiam purgantibus hydragogis, eo cum effectu uſus eſt, ut & adtactu mollior, & mole minor, Hydrocele adpareret: itinere autem interea peracto, manifeſtarunt ſeſe quidam in ſyſtemate urinario defectus, ita quidem ut medio Auguſto homo cum difficultate urinam pallidam, moxque a mictu fœtidiſſimam, redderet, alcalinam adeo, ut admiſtum Violarum ſyrupum mox viridiſſimum faceret. Iterata catheteris immiſſione, calculus manifeſto deprehenſus eſt. Uva urſina illico ipſi data fuit; eaque brevi ſpatio temporis effectum, ut lotium debito tempore ſervaretur in veſica, ſine dolore prodiret, ac demum tam colore, quam odore, maxime eſſet naturale. Ut verbo dicam, bimeſtris remedii uſus omnia calculi ſymptomata & ſigna illi prorſum delevit; licet, cathetere poſtmodum exploratus, calculo minime liber inventus ſit. Nec opio

hic,

hic, nec injecto in veſicam oleo, indiguit. Solusque ille, ac primus, inter omnes eſt, quos vidi, qui, permanente calculo, urinam ſanam ſæpe emitteret.

Porro qua ratione planta hæc id homini concedat privilegium, ut calculo obſeſſus, ejusdem moleſtiis eximatur; æque parum docebo, atque plerorumque alimentorum, medicamentorumque, vires. Supponeret ejusmodi explicatio cognitionem multiplicis variorum noſtri corporis organorum facultatis; ſupponeret veræ ſimplicium naturæ notitiam: cujus tamen utriuſque rudis eſt nobis in nonnullis perceptio, craſſa in plerisque ignorantia. Quare in hisce omnis noſter, toties retuſus, ingenii impetus eo ſolo gaudere debet, quod rerum effecta contempletur, eadem diligenter adnotet, ordineque recenſeat, inque opportunos convertat Medicinæ uſus. Si hac lege progredior, admiranda Naturæ minus attonitus ſpeculor. Video quippe ab ipſa ſolerti Natura idem præſtari, efficique, quod aqua calcis, quod Uva præſtet urſina. Etenim nonne ipſa Natura, citra artis præſidia, indolentiam conciliat calculoſis? Innumera adſunt, quæ id teſtentur, exempla.

Homo illibatæ, quoad vixerit, ſanitatis, in ſyſtemate uropoietico ſemper fuit, binis duntaxat ante mortem diebus exceptis. Hic a morte exenteratus, ſiniſtrum Renem putrida ſanie conſumtum exhibet, calculo vero Ureterem dextrum infarctum. *Holler. cap. de Hydrope in Scholio.*

Bini homines, nullas unquam Renum moleſtias conqueſti, ingentem in Renibus calculum a morte exhibuerunt. *Bagliv. pr. med. Lib.* 1. *cap.* 9.

Hominem calculum IV. unciarum pondere in uretere geſſiſſe, imo alium calculum VII. unc. in veſica, ita ut neutro inde moleſte in vita fuerit, vidit, conſcripſit, *Hermannus Ooſterdyck Schacht Orat. Leydæ hab.* 8. *Febr.* 1735.

Ex

Ex uno Rene in cadavere *Heurnius* 70. parvos calculos eduxit, 80. ex altero. Nunquam vero hominem nephritici vexaverant dolores. *Edit. Leyd. Op. Fernel. p. 2. Lib. 6.*

Nobiliſſimus vir, teſte *Friderico Loſſio Lib. 3. obſ.* n°. 53. "in veſica ſine ullo ejus, cum in vivis eſſet, „ indicio, calculum aluit, qui quidem duriſſimus „ fuit, & quatuordecim unciarum pondere inſignis, „ in medio tamen ſecundum longitudinem pervius, „ ut hac via, tanquam canali quodam, urina ſine „ omni impedimento profluxerit.

Intimus S. C. Majeſtatis Conſiliarius, teſte oculato *Antonio de Pozzis* apud *Bonetum Med. Sep. Tom. I. Lib. 3. Sect. 25. cap. 6.* in utroque rene duos magnos calculos, ſex uncias pendentes, habuit "nullo ſigno „ præcedente, ſive arenulas, ſive pedum torporem, „ ſive lumborum gravitatem, ſive urinæ indigen- „ tiam, conſideres. Nam copioſiores juſto fundebat „ urinas, ſed aquæ ſimillimas, ſitimque adeo intole- „ rabilem patiebatur, ut nullo potu ea ſedari po- „ tuerit.

Hæc omnia contemplatus, arbitror eandem conditionem phyſicam ab explicitis medicamentis calculoſo conciliari, quam eidem haud raro conciliat provida per ſeſe Natura; modum vero, quo id fiat, ignorare me faſſus ſum.

An tamen is adeo ignotus modus? Videretur innotuiſſe celeberrimo *Joanni Cratoni conſil.* 315. "Nec „ ipſi calculi, inquit ille, in veſica perpetuo ſunt „ infeſti: imo cum pituitoſo humore veſtiuntur, ſæ- „ pe ante vitæ exitum vix deprehenduntur." Videretur innotuiſſe clariſſimo *Whytt*, ut ex eo ſuperiore anno viſum; dum idem, quod mox *Crato*, ſtatuit.

Verum liceat tantorum cum venia Virorum hæc duo reponere: 1mo aſperitatem mucus involveret, pondus moleſtum non auferret: tamen ponderoſos

calculos vidimus inſciis hominibus dudum geſtari. 2do Quotiescumque noſtros homines examinaverimus, diu etiam ab inducta indolentia, calculus & præſens, & aſper, cathetere percipitur.

Liceat & aliud addere. Ut *cap.* præced. ex iis, quæ de corticis peruviani natura, deque ejus in corpore humano effectibus, novimus, fateri debui me ejus agendi modum plane ignorare, idem & hic fateri cogor. *Uva urſi* adſtringens, & amara planta eſt, fere ut Cortex. Unde a *Galeno Libr. VII. de comp. med. ſec. locos*, *Cap. IV.* decocta ad Hæmoptoen laudatur. Vocabat medicamentum *Ponticum*, quod ex *Ponto* haberetur. Jubet *Galenus* libram ejus coqui cum ſesquilibra aquæ ad tertias, ut fere eſſe debuerit ſuccus expreſſus. Plantam *Galenus* ita deſcribit, ut eadem cum noſtra eſſe videatur. Quid porro adſtringens planta, a priore conſiderata, efficiet in morbi palliatione, ad quam nos, experientia ducti, nihil efficacius oleoſis & involventibus novimus, nihil adſtringentibus pernicioſius? Et quid demum ad ejusdem morbi palliationem acris aqua calcis? Si quis putet ſaponem venetum, adeo copioſe hic ſumtum, involvendi vi egiſſe, duo reſpondeo. 1mo Sapo venetus ſaltem non adhibetur in cura, quæ per uvam urſinam fit. 2do Aqua calcis ſola, ſine ſapone, ſed copioſa, & diuturno tempore cum lacte ſumta, Illuſtr. Præſes noſter Centurioni immunitatem a calculi Veſicæ incommodis conciliavit. Hinc, quod bis jam dixi, repeto, me hujus indolentiæ cauſam, omnisque gravantis ponderis abſentiam, non intelligere. Sed hoc quid ad curam? Egregios ſufficiat annotaſſe effectus. Sunt porro effectus hi tam late patentes, ut uſum habeant in Medicina ampliſſimum.

1mo Homo Lithotomia juvandus eſſet, ni aut cacochymia, aut tenerior, provectiorve ætas, aut invincibilis ægri repugnantia, impedimento forent. Nulla

la cacochymia, ætasve, contraindicavit hucuſque deſcriptam methodum. Ergo erit his omnibus proficua. Adde his caſibus eorum infortunium, qui nec Lithotomo gaudeant in tota regione, nec ut ad eum ferantur, eumve ad ſeſe advocent, ſumtibus ferendis ſint. Datis his remediis juvabuntur.

2do. Calculi omnia ſymptomata adſunt in nonnullis; pleraque, aut multa, in aliis; ipſumque duritie, aſperitate, Catheter detegit, ipſe manifeſtat auditus; arte autem nulla extrahendus eſt. Nota eſt hiſtoria ex *Diariis Eruditorum* annorum 1735. 1736. ſtrenui belli ducis *Dionis*, cujus denati e veſica ingens calculus extrahebatur, verum in antro, quod ſibi ex dilatata veſica formaverat, toto corpore deliteſcens. In *Ptochotrophio Hagano* adoleſcens calculi ſymptomata patitur, calculumque habere in veſica deprehenditur. Præſens fui dum ſectionem moliebatur Lithotomus aptus. Calculum omnes percepimus, audivimus; apprehendere & educere, quidquid tentaret artifex, non potuit; inani tamen conatu, cum vulnus curatum eſſet, dolores miſero multum mitigavit. Attamen poſt aliquot menſes dolor rediit, dolori mors ſucceſſit. Sectioni anatomicæ cadaveris interfui, quam prudentiſſime dirigebat vir tum a ſuprema chirurgica ſapientia, tum a morum integritate, commendatiſſimus, *Eraſmus Dringberg*. Calculus tota fere mole ſua in Uretere hærebat, parva portione modo intra Veſicam prominens, adeoque extractioni ineptus. Quantumne ſolamen ſimilibus hæc methodus præſtabit?

3^{tio}. Calculi ſymptomata diriſſima nonnunquam adſunt; ipſe calculus duritie ſua & aſperitate videtur a cathetere percipi, ſonitusque audiri; & calculus tamen non adeſt. *Baglivus prax. Lib. I. Cap.* 15. §. 8. n°. 2. "calculum Veſicæ ad amuſſim mentitur ſcirrhus Veſicæ, ut bis in cadaveribus vidimus." Doc-

tiſſimus *Rutty*, Anglus Medicus, in nuperrimo tractatu de *Viis urinæ Sect.* 3. *part.* 2. " Præcipue, inquit,
„ cognitio noſtra nititur introductioni catheteris in
„ veſicam, aut digiti in anum. Vidi tamen cathe-
„ terem fefelliſſe occaſione Scirrhi, ita omnia cal-
„ culi, in veſica præſentis, ſigna æmulantis, ut Li-
„ thotomus plane falleretur. Eſt & ſimilis obſerva-
„ tio apud Baglivum. Hæmorrhoides fallere quo-
„ que poſſunt, licet minoribus doloribus ſtipentur.
„ Medicus *Bamber* caſum maxime notabilem nobis
„ dedit, in quo magna quantitas ſubſtantiæ topha-
„ ceæ, quæ mihi videbantur globuli eſſe indurato-
„ rum excrementorum, in principio Coli, prope I-
„ lei inſertionem, erat locata; quæ premens Rec-
„ tum, ita ſymptomata calculi Veſicæ æmulaba-
„ tur, ut ſola mors rei veritatem demonſtrare potue-
„ rit. Hoc in caſu fere impoſſibile erat, ut non erra-
„ ret vel dexterrimus Chirurgus: nam induratiſſimæ
„ illæ partes catheteri reſiſtebant, & eundem ſen-
„ ſum manui Chirurgi dabant, quam veſicæ calcu-
„ lus. Eratque ſane fauſtum huic Chirurgo, ut æger
„ moreretur, priusquam operatio inſtitueretur. " Ex exemplis *Baglivi*, & *Rutti*, concludi oportere videtur, vel Scirrhos ipſos veſicæ, vel tumores extrinſecus veſicæ incumbentes, in eademque prominentes, a ſtagnante in veſica urina arenulis veluti incruſtari, hinc, quadam aſperitate cathetere percepta, fallere explorantes.

Illuſtr. Acad. N. C. Præſes *Schröckius* idem jam expertus videbatur, dum in *additam. ad Cap.* 25. *ſect.* 26. *Libr.* 3. *Boneti de Med. ſept.* ſapientiſſime ſcribebat: " Calculi ſigna nonnunquam etiam exercitatiſ-
„ ſimos fallere ſolent, ita ut abſens adeſſe, & præ-
„ ſens abeſſe videatur; idque non Medicis tantum,
„ ex concomitantibus ſymptomatibus judicium fe-
„ rentibus, accidere ſolet, ſed & Lithotomis, in-
fida

„ fida catheteris exploratione contentis, ſæpe im-
„ ponit.

Forte hic oggeret quisquam, ſi calculi multa ſigna adſunt, ipſeque tamen non adeſt, cui uſui hic poterit, quod hic tantopere laudamus, remedium eſſe? Si calculus non adeſt, remedium in illum non poteſt agere, adeoque morbo nihil opis conferre. Profecto ad hanc objectionem nihil a priore reſpondere queo; a poſteriore vero edoctus, audax aſſero morbos Renum & Veſicæ notabiles, diuturnos, ad nullam certam claſſem referendos, in quibus plurima calculi ſymptomata adeſſent, calculus tamen nunquam detegi poſſet, Uva urſina emendatos eſſe, imo ſæpe integre curatos; quorum anno 1757. nonulla exempla dedi, & præ cæteris illius juvenis, cujus caſus *pag.* 136. *cap.* 21. habetur, & cujus curationis perſeverantiam adhuc hisce diebus lætus intellexi; hoc anno iterum alia exempla collegi, quorum mox ex præcipuis unum dabo; eſt enim prius adhuc aliquantum de calculo diſſerendum.

4to. Calculus aliquando non cognoſcitur adeſſe, licet adſit, dum loco alieno, alius morbi ſub larva, ludit. Loca hæc ſunt, Inguina, Scrotum, Vagina, Perinæum, Urethra, Proſtatæ. Horum in multis calculus adeſt, ipſa ſua degeneraſcente Veſica contentus; in nonnullis extra Veſicam. Singulorum exempla theſin demonſtrabunt.

A. In hiſtoria herniarum, hernia inguinalis, præter eam, quæ ſolet ab inteſtino, vel omento, vel utroque, cum producto peritonæo fieri, etiam nata reperitur, ab ipſo utero gravido per annulum dictum abdominis prolapſo, & a veſica urinaria. De utero hic ſermo non eſt; de veſica unice agitur. Veſica urinaria, vel cum urina ſola, vel cum urina & calculo, fecit ſæpe herniam inguinalem incompletam, manens in inguine; fecit inguinalem completam, in

ſcrotum uſque prolapſa. Exempla ſat obvia habentur. Viderat ea *Boerhaave*, & cum diſcipulis ſæpius communicavit. Sed ipſi autores medici talia referunt. *Thomas Bartholinus* gloriam detectæ miræ hujus herniæ tribuit præceptori ſuo *Joanni Dominico Sala*; qui amici ſui, Veneti, cadaver luſtrans, in uno ſcroti latere invenit herniam veram inteſtinalem inguinalem, completam, in altera ſcroti parte herniam completam veſicæ urinariæ cum calculo.

Felix Platerus Obſ. pag. 849. Caſum vidit, ſed nec intellexit, nec explicuit. Egregius *Frid. Deckers*, *Excert. pract. pag.* 153. refert, & ænea tabula pinxit, cavum ſcroti ingens lapidea cruſta intus tectum, apertum dein, & a cruſta illa penitus liberatum fuiſſe: deinde ſuppuratione nata, totum in poſterum tumorem fuiſſe ſublatum. Fuit vero ſimiliter ipſe hicce caſus. *Stalpart Vander Wiel*, *Cent.* 1. n°. 50. calculum cum urina inguine exiiſſe vidit, vidit & frater ejus in *Hagano* Ptochotrophio. *Hildanus Cent.* 6. *obſ.* 57. calculos urinamque & ex inguine, & ex ſcroto, exiiſſe deprehendit. Solertiſſimus *Ruiſchius Obſ. anat.* n°. 98. in mercatore herniam recentem inguinalem incompletam detexit, ab inteſtino Ileo ſuffocato, & herniam completam a veſica urinaria in ſcrotum delapſa. Egregius Chirurgus Gallus M. *Mery*, *Mem. Acad. Reg. ſc. Par. anni* 1713. ejusmodi herniam in viro reverendiſſimo deprehendit, ita quidem, ut veſica eſſet circumquaque ſcroto accreta: idemque poſthac & in alio homine vidit. In *Tom.* 2. *Acad. Reg. Chirurg. Pariſ.* hæc herniæ ſpecies quatuordecim exemplis confirmatur: quorum pleraque recentia ſunt.

Vidi incompletam hanc herniam inguinalem veſicæ, *Schevelingæ*, pago maritimo *Hollandiæ*, in piſcatore 25. annorum. Dyſuria jam puer laboraverat, ſed ab anni nunc ſpatio tumor ipſi in inguine dextro natus,

tus, per ſex menſes evanidus, iterumque conſpicuus, demum ſuppurabatur; rupto vero abſceſſu urina ex ſiliit, exire continuavit, prodiitque interea temporis calculus pondere unciæ mediæ ex eodem foramine.

In varias opiniones Eruditi circa veram hujus herniæ originem abiverunt: ita quidem ut alii eam vitioſæ conformationi connatæ adſcriberent; alii eam crederent poſtmodum genitam, ſed non niſi vacua flaccidaque veſica; alii denique & poſt nativitatem genitam, & non niſi plena veſica gigni poſſe, ſtatuerent. Sed ad dirimendam hanc quæſtionem, qui omnes nunc citatas hiſtorias ſuis in fontibus attente examinat, & mature digerit, ille, ni fallor, clare videbit, nec nativam diſpoſitionem requiſitam eſſe, nec vacuam veſicam ad id aptam fore, ſed plenam veſicam unice poſſe hanc herniæ ſpeciem producere.

Sed ſi tumores hi in inguine non aperiunt ſeſe, ſi aliquoties diſparent, ſi externe non conſpiciuntur, licet interne vehementer excruciant, veram non præbent ſui notitiem, vacillantes circa mali diagnoſin Medicos relinquunt ambiguos. Latent ergo, & aliorum ſub ſpecie hæc mala ludunt, donec forte cognoſcenda ſeſe effectibus præbeant. Quid mirabilius quam ſequens caſus? 20. ann. juvenis *Hagæ Bat.* ex plena ſanitate immani dolore torquetur ad inguen, pone locum ubi vaſa cruralia, ſub expanſione muſculi obliqui externi, prodeunt. Dolor ille, æque ferocia ſua, quam pertinacia, formidandus, per binos integros menſes & juvenem extenuat penitus, & omnem ſagacitatem luſit Medici peritiſſimi, prudentiſſimique, domini *Abrahami Weſterhoff*, Practici ibidem famoſiſſimi, & ob ſingularem in arte præſtantiam, mutuamque amicitiam, mihi perpetuo honorandi. Tandem acuto dolore paulo altius pergente, mictus ſanguineus oritur, datiſque mox diluentibus ac demulcentibus, plures calculi majores, minores,

cum cruenta urina emiſſi ſunt. Cum nulla unquam in viis urinæ vitia in hoc corpore comparuerant, quis demum hunc in inguine dolorem calculo tribuiſſet? Tribuendum ei tamen eſſe docent emiſſi per veſicam calculi, & ſenſim poſtea reſtituta ſalus. Speculatus hiſtoriam, cogitabit forſitan calculum in uretere hærentem compreſſiſſe & irritaſſe ſubjectum ſibi muſculum Pſoam; huncque muſculum, cum in loco deſcripto pelvi exeat, oſſi femoris inſigendus, tam acute ad marginem oſſis Iſchii doluiſſe. Sed cur tunc Pſoas in decurſu toto nullum ſenſum doloris totis binis menſibus habuit, niſi eo tantummodo loco, ubi pelvi emergit? Unde longe fit veriſimilius, veſicæ incipientem herniam ibi loci natam fuiſſe, ubi hernia femoralis naſci ſolet, veſicam, parvo lapillo ibidem contento, acute doluiſſe, eandem poſt duos menſes inde emerſiſſe, & in conatu emerſionis aſpero calculo læſam, ſanguinem fudiſſe, ipſosque demum calculos foras pepuliſſe.

B. Calculum vidimus veſica contentum in inguine, & ſcroto: ſed etiam inventum novimus in veſica prolapſa in vaginam. Quomodo id fiat, & ſic elabatur Veſica, experimento Anatomico demonſtravi hujus operis *Cap.* 7. Prolapſam vero Veſicam hanc, 42. calculis refertam vidit *Ruiſchius Obſ. anat. chir.* n°. 1. An non ſimilis forte huic caſui ille, quem Societas *Harlemenſis* tomo ſuo tertio refert? In Tom. 2. *Acad. Chir. Reg. Par.* plura exempla habentur.

C. Calculos extra veſicam reperimus. Hos poſſe in urethra læſa, & ſcroto, a ſtagnante urina naſci, *cap.* 21. *pag.* 136. innui, & exemplo, ut puto, probavi. Dum in quarta Gonorrhœæ ſpecie Proſtatæ, Veſicæ collum, inteſtinum Rectum, atque Perinæum, afficiuntur, poſſunt ibidem, transſudante & extillante urina, vel parvi, vel portentoſi calculi, generari; ut binis exemplis, uno in Noſocomio, altero in urbe, vidi.

In

In cunctis huc uſque enarratis caſibus, dum vera morbi cauſa necdum ſeſe manifeſtis probet indiciis, dum præterea nulla alia probabilis cauſa videatur dari poſſe, nosque plane circa genuinam mali originem hæreamus ancipites; levamen poſſe hominibus inſigne adferri, aut ſaltem nullum poſſe nocumentum inferri, ſi commendata methodus inſtituatur, uſu ſane multiplici didicimus. Pluribus experimentis id probare poſſem, ſed ex iis unum, quod promiſeram, notabile adferam.

In Noſocomio civico ſexagenarius erat, qui ante elapſos 18. annos calcitrantis equi ictum evitaturus, tum corpus vehementer in ſiniſtra contorſit, tum valido terrore perculſus fuit. Mox horruit, friguit, incaluit, ac febre per aliquot dies correptus, tandem horroris ac caloris viciſſitudines perpetuas paſſus eſt. Porro jam a primo frigore febrili dolor vehemens in ſiniſtra hypogaſtrii parte, paululum ſupra annulum abdominis, percipiebatur, qui trimeſtri prope tempore auctior, imminutiorve, perſeveravit. Tunc autem dolens ille locus, licet vix tumens, lanceola apertus, dedit intra octiduum libr. XII. boni puris, & altero menſe elapſo, ſiccatus conſolidatusque fuit. Medio poſtea anno urinæ incontinentia obſervabatur, eaque deinceps continua fuit. Atque ita, citra alias calamitates transfluunt 12. anni. Tum denique, nempe anno 13. a principio morbi, abhinc quinquennio, dolor in urethra obſervatur, ardens quidem ille, & cum Recti fine, aliisque inteſtinis, ita communicans, ut inde ſæpius Colica naſceretur. Hæc anamneſis, quam bonus vir iterato examine dedit Exp. D^no^ *Erndl*, laudatiſſimo ibidem Phyſico, & ejusdem Noſocomii dexterrimo Chirurgo *Leber*. Annus porro nunc eſt, quod æger horum virorum curæ ſubfuerit. Deprehenderunt illi urinis ejus pus perpetuo admiſtum, urinam pallidam, tenacem mucum gerentem,

ſalſamenta putrida ſpirantem, & illico a mictu cum ſpiritu nitri valide efferveſcentem. Catheter, digitus in anum intruſus, nunquam, iterato quamvis ſæpius conamine, vel minimum calculoſi deprehendere potuerunt. Igitur ob dolores violentos ſæpius opio opus fuit, dataque Uva urſina eſt. Quam 14. die ſumenti, Iſchuria oboritur, cum urethræ, ani, inteſtinorumque intolerando dolore. Dato opio, dolor miteſcit; tumque vi magna, ac veluti cum partium internarum quadam veluti diſruptione, ut ait, urinæ, craſſæ, libram dimidiam puris gerentes, prodierunt: nullo calculo, arenulisve, a Medico omnia ſedulo perquirente, perceptis. Porro ex hoc tempore dolor ſenſim mitior, urinæ incontinentia imminuta, urina commodius miſſa. Tandemque homo ſesquimenſe remedio uſus, ab omni dolore, a pure in urina, ab ejusdemque incontinentia, prorſum liberatus eſt, liberatus manſit. Pergebat nihilominus urina effervefcere cum acido ſpiritu: Sed remedio, integro poſthac menſe, continuato, alcalina illa qualitate penitus caruit. Jam vero a medio anno nullis ultra remediis uſus, perfectiſſime ſanus manet.

Morbi profecto veram diagnoſin vix dare auſim, cum, in quamcumque partem me vertam, ineluctabiles difficultates offendam. Verum hinc nihil damni. Id certum, quod magna purulenta collectio ſive veſicam, ſive partes veſicæ vicinas & nexas, ſive utrasque, obſederit, eaque, cum nunquam quid calculoſi deprehendi potuerit, enarrata ſymptomata produxerit. Gravem itaque, &, ut videbatur, immedicabilem, letalemque lapſu temporis futurum morbum, Uva urſina tam expedite, tam integre percuravit, ut nulla ſuperſint veſtigia mali.

Ureterum, ac potiſſimum Renum calculi, obſcurius ſæpe latent, frequentiusque & facilius aliis cum morbis commiſcentur, quam calculi veſicæ; præterquam

quam quod cathetere, aut digito, præſentes non demonſtrentur. In hisce pluries nobis conſtitit, uvam urſinam cum opiatis nocuiſſe nunquam, ſæpe mirum mitigaſſe, non raro integre diſpuliſſe malum. Imo ſi adeſſet nonnulla Luis Venereæ ſuſpicio, juvit hæc methodus, modo prudens Mercurii uſus eidem interpolaretur.

Hæc, opinor, ſuffecerint, ut pateat, in hac morborum claſſe, quæ ſane plurimos tum intolerabiles, tum deſperatos, caſus contineat, remedia efficacia dari, quæ frequenter inexpectatos proferant effectus; quæque, etſi forte caſus aliam originem agnoſcat, minime noceant. Quod ſi contingat, ut aut nimia intenſitate mali, aut partium deſtructione, aut cacochymia putrida totum jam corpus depaſcente, homo non juvaretur, quinimo periret, non derogaret hoc remedii præſtantiæ. Id quippe omnia vel optima remedia habent, ut intra certos mali limites agant, extra eosdem agere nequeant. Noſtrum tamen ejus deprehenditur efficaciæ, ut cum ſpes affulgere nulla videretur, annoſiorque morbus eſſet, inexpectatum levamen attulerit, vel integram ſanitatem.

CAPUT XXVII.

De Virtute Singulari Quorundam Medicamentorum.

Virtutem Corticis Peruviani Cap. 23. in Malignis morbis miratos, oportet nunc in quibusdam Chronicis contemplari. Puella Rachitica oſſis femoris luxationem triennis paſſa, ac neglecta penitus, perpetua claudicatione laborat. Decenni dolor ad ejusdem femoris ſuperiora oritur, paulatim ita ſæviens, ut ultra ferendo puella haud eſſet. Cum is jam integro tri-

trimeſtri ſpatio perſeveraſſet, ad nos demum adducitur. Pure ſcatere totum ſuperius femur deteximus, puellamque hectice conſumi. In antecedentibus quæſtio agitabatur utrum præſtaret ejusmodi abſceſſus aperire, nec ne? Docuerant quippe experimenta, interiora prius conſumta, exeſaque, tum & corrupta labe cruorem antea inquinatum eſſe, quam ejusmodi absceſſus vergant foras: adeoque facta apertura mortem ſæpe accelerari, aut aëris acceſſione, aut alia minus nota cauſa. Attamen eo nos ducebat tunc obſervationum ſeries, ut, dolore urgente, ut morte cæterum indubitata inſtante, interiorum tamen deſtructione necdum palam facta, expedire videretur exitum puri parva apertura conciliare: qua nimirum lege & malum verti foras poſſet, & prudenti deligatione aëris fere omnis præcaveretur acceſſus. Sed hectica febre corpus depascente, quæ demum ſpes hic poterat adblandiri? Plura exempla habebamus natæ ex Pleuritide & Peripneumonia Phthiſeos, in qua jam inveterata, & corpus depascente, Metaſtaſis materiæ ad os ſterni fieret, aut ad criſtam oſſis Ilei, aut ad colli glandulas, Parotidasve: & dum aperto loco pus & copioſe, & diu, manabat, bonaque, potiſſimum lactea, diæta obſervabatur, ſanitas integra rediret. Igitur ſi jam Gangræna, imo ſphacelus eſſet interiora depaſtus, qualia exempla videramus, moriendum foret ægro, & clauſo loco, & aperto: apertura autem maturior efficere id poſſet, ut, internis necdum inſigniter deſtructis, materies extrorſum alliceretur; quæ alioquin in loco permanens, tam ejus conſumtionem, quam univerſi corporis corruptionem, producere apta nata fuiſſet.

Sed aliam quæſtionem obſervata priora ſuppeditaverant. Cum toties viſa eſſet jam corrupta, quæ exibat materies, ſummumque vitæ hinc perciperetur diſcrimen; an Cortex Peruvianus ſua vi antiſeptica

hic

hic aliquid conferret? An ideo partes gangrænoſas conſervare, emendare carioſas, poſſet? Id igitur tentare animus fuit.

Apertura facta, pus exiit ex flavo viridescens, fœtens, copioſum. Uncia dimidia Corticis, cum melle in conditum redacta, quotidie data eſt, & panni lanei, denſique, ſaturatiſſimo Corticis decocto penetrati, diu noctuque femori circumponebantur. Diæta inprimis lactea fuit. Hac ratione trium menſium ſpatium emenſa puella, tum hoc abſceſſu, tum cachexia ſua purulenta, penitus curata eſt. Prava ergo & immiſericors regula eſt, deſperatos haud attingendos eſſe.

Reticere tamen non oportet ejusmodi mali exemplum, ubi minime profuerit hæc cura. Decenni puero dorſum gravi baliſta contunditur, tumorque inde nascitur, qui, quod ruri aſſolet, negligitur. Elapſis ſex a nato malo annis, mihi demum ſiſtitur puer, cadaveri, quam vivo ſimilior, purulenta Cachexia conſumtus totus; quippe qui toto illo ſexennio tuſſi, gravi anhelitu, debilitate, febribus, & craſſorum alborumque ſputorum ejectione, laboraſſet. Ex iisdem artis principiis dorſi ingens tumor aperitur, e quo boni puris libra propemodum civilis educitur, tumorque flacceſſit, nec rediit unquam. Tuſſis perpetua moleſta, quandoque veluti ſuffocatura, indiguit Oxymelle ſquill. & Kermes minerali. Lactea diæta inſtituta eſt: Cortex dein, pulmone emendatiore, datus, & affecta pars ſaturato corticis fomento tecta. Tribus integris menſibus effluxit ex illa, minime, ut jam monui, tumente, puris circiter libra media quotidie; binis ante mortem menſibus capilliſluvium obſervatum eſt, unoque ante mortem menſe Diarrhœa. Notandum porro, ex quo tempore Diarrhœa inchoavit, inguen dextrum ſine tumore doluiſſe perpetuo; dolorem hunc nullis impoſitis remediis auſcultaſſe, pueroque ultimo vitæ octiduo ita moleſtum fuiſſe, ut omni

ni momento fere ſitu mutari voluerit. Pure interim ex dorſo plus minus aſſiduo fluente ad 6. Julii 1758. expiravit.

Equidem dubia ſemper viſa fuerat natura mali. Tuſſis enim, puris ſputum, totius corporis marasmus, innuere videbantur, vel a prima contuſione pulmonem ſimul cum dorſo inflammatum, ac ſuppuratum, hoc pus producere: vel materia purulenta ſuppurantis dorſi in cavum thoracis intrante, pulmonem abſorbere eandem, ſputorumque ejicere forma: vel denique ſanguinis purulentam diatheſin, affecto dorſo genitam, citra peculiaria pulmonis ulcera, citra empyema, per illæſos evacuari pulmones.

Omne hoc dubium Anatome ſuſtulit. Pus deprehendebatur etiam a morte de facta apertura ſtillaſſe. Aperturæ ſtylus prudenter inductus eſt, & ſecundum ſtyli ductum ſectio facta. Videbatur ſic ulcus in dorſi dextro latere ſub Latiſſimo dorſi, ad coſtam infimam pergere, quæ jam cariem inchoaverat; ac dein ſub Sacrolumbali & Longiſſimo dorſi terminari. Cadaveris dein ſupinati thorace aperto, viſcera thoracis, bona reperta ſunt, ut, quod accuſares, invenires prorſum nihil, præterquam modicam utraque in camera aquam. Exemtis abdominis viſceribus, caro Pſoæ, & Iliaci interni, fluctuante materie elevata adparuit. Conſtitit tunc, accuratiore examine facto, materiem purulentam inter hos musculos, & Sacrolumbalem deſcendiſſe, ad inguen perveniſſe, ſub aponeuroſi Obliqui externi, ſive ſub dicto *Poupartii* ligamento, penetraſſe, indeque emerſam, ſub Adductoribus femoris, & Sartorio, cavum ſinum formaſſe, pure plenum, ad $\frac{1}{3}$ circiter femoris altitudinem. Musculi autem ubique integri erant, ita ut modo eorum, a ſeſe mutuis ſeparatione, ſaccus formatus eſſet.

Ergo Phthiſis eſt infinite varia, pro varia parte affecta; unde & pro diverſo viſcere affecto diverſo nomine

mine gaudet: v. g. phthiſeos pulmonalis, aut hepaticæ, aut ſplenicæ, aut meſentericæ, aut nephriticæ, & ſic porro. Qui autem hæcce vocanda? Si eſt a ſede denominanda, *Cellularis* eſt; quum in celluloſa membrana, muſculis interſtrata, ſedem haberet. Videtur autem res tota ſic ſe habuiſſe: A contuſione inflammatio, ac ſuppuratio, nata eſt; pus ibidem loci collectum, & neglectum; ſanguis ejusdem abſorptione corruptus, purulentus redditus, pulmone exoneravit ſeſe; quemadmodum in ea Phthiſeos ſpecie, quam in antecedentibus ex pluribus demonſtraveram cadaveribus. Facta vero apertura, cum nunc reſiſtentia ad dorſum amota eſſet, nulla ultra materiæ purulentæ per pulmonem, ſed unice per apertum locum, evacuatio contigit. Effectum hinc, ut hæc ſanguinis purulenta diatheſis perſeverans, per aperturam hanc quotidie, ſpatio trium menſium, libram mediam puris, id eſt trimeſtri hoc ſpatio toto, libras fere 50. evacuaverit. Confirmatur hinc, quod in antecedentibus toties evictum, in quacumque Phthiſi nequaquam magnam vomicam requiri, continentem illam, quæ aſſiduo expuatur, materiem: modicum aliquando, ſæpe nullum inveniri Phthiſicorum in corpore puris diverticulum. Confirmant iterum hæc, quæ *de Puogenia* capite. 11. aſſerui.

Caſus igitur ultimus, per ſe deſperatus, omnem curam reſpuit; prior vero, qui etiam conclamatus videbatur, curam admiſit. Nonne ideo certa alioquin adfutura mors, nos cogit tentare quidquam tantarum virium, num forte ſuccedat? Scilicet nemo certo novit eam ſolidorum fluidorumque corruptionem adeſſe, quæ nullam ultra curam admittat. Ut proinde in ſimilibus ſimilia Practici tentent, lubens adjungam hiſtoriam, prout eam mihi deſcriptam, ac propria manu ſignatam, tradidere Medicus ac Chirurgus, qui curam ſuſceperant.

No-

Nobiliſſima Matrona 33. annos nata, febre continua putrida laborat, ac deinde febre hectica conſumitur. Hecticæ cauſa videtur Metaſtaſis eſſe materiæ morboſæ, facta ad utriusque femoris ſummitatem. Ulcera hinc ad exteriora femorum nata, inque ulceribus fungi orti, ovo gallinaceo magnitudine pares, ſub quibus Trochanter major uterque nudus deprehenditur, & carie exeſus. Oſſa Coxendicis, & Sacrum, ulcere ingenti, ſinuoſo, fungoſo, tegebantur. Eoque demum calamitatis ægra devenit, ut, inepta prorſus quæ alterutri lateri, dorſove, incumberet, fasciis lecti lacunari affixis, pendula hæreret; idque adhuc adeo incommode, ut quavis fere hora ſitu mutanda eſſet. Deerat appetitus, deerat ſomnus fere omnis, facies livuit, pulſus frequens fuit, parvusque, & contractus, turbatæ urinæ, incredibili copia puris onustæ. In hoc miſerando ſtatu nobiliſſimam ægram viderunt magnificus Dominus J. A. *Keſtler*, S. C. A. R. Maj. Conſiliarius & Archiater; Domini Chirurgi N. *Humbourg*, S. C. R. A. M. Chirurgus ordinarius; V. *a Kaiſer*, S. C. M. Imperatoris Chirurgus primarius; N. *a Laudes*, Imperatricis Amaliæ quondam Chirurgus; *Simon*, S. C. Elect. Bav. Conſiliarius, & primarius Chirurgus, nec non Acad. Reg. chir. Par. membrum digniſſimum; *Crampagna*, C. R. Caroli, Lotharingiæ Ducis, Chirurgus primarius, poſthac etiam Medicinæ Doctor creatus; *Reichberger*, Noſocomii S. Marci chir. primarius, & *Hoffmann*, Noſocomii Hiſpanici chir. ſecundarius. Diagnoſin hi omnes agnoverunt eſſe conſumtionem & marasmum, a carie oſſium, pravisque ulceribus, omnia ſolida & liquida a longa jam die corrumpentibus: ex qua diagnoſi infauſtam prognoſin merito metuerunt. Interim optimi Viri, *Keſtler*, & *Humbourg*, deſperatam fere rem eo perduxerunt, ut, Divina Clementia annuente, quatuor menſium tempore, integram ſanitatem, tota civitate

vitate mirante, adepta ſit ægra. Porro, his quatuor menſibus integris, Nobiliſſima Comes corticis peruv. unc. 2. aqua coctas, cum lactis caprini æquali portione, quotidie aſſumſit. An ergo male aſſerui, in hujusmodi caſibus, cum ſpe, aliquid audendum eſſe?

Spina ventoſa hisce in regionibus frequentiſſimus morbus, ſæpe reperitur communi methodo decocti Lignorum, Antiscorbuticorum, Purgantis mercurio aculeati, aliquoties repetiti, plane immorigera. Cortex Peruvianus pueris. 8. 10. annorum, ad 2. 3. 4. dragmas die datus, nonnunquam etiam in pertinacioribus fomentum ſimile parti affectæ adpoſitum, mox bonum pus generarunt, curaruntque plures. In Noſocomio Civico, hoc anno, ſpatio 4. 5. menſium decem pueri curati ſunt. Notus quoque in hac urbe caſus pueri eſt, quem parens, nobilitate, eruditione, rerumque geſtarum prudentia, clarus, nunc veluti redivivum contemplatur, & lætatur; ex quo Cortex Peruvianus, & lactea diæta, conſilio doctiſſimi viri, Medici aulici, *Molinari*, diuturno tempore adhibita, illum a ſpina ventoſa, & peſſima totius femoris ſuppuratione, fere liberaverint.

Mulieri *Cancrum mammæ* a quadriennio clauſum, jam vero exulceratum gerenti, febris vaga, & periodicus in mamma dolor, dudum contigerant. Utrumque hoc mitigandi gratia corticem dederam: cum autem hujus ope non modo febris vaga, dolorque periodicus, minuerentur, ſed Cancri ſymptomata ita mitescerent, ut pro ichore cancroſo jam pus laudabile generaretur, eodem uti perrexi. Durities tota hinc fuſa eſt, ita quidem, ut æque mollis parvaque hæc mamma facta ſit, quam altera, & ſuperſit modo prope areolæ ſuperiora dolor cutaneus, attactu ferox, & vix viſibile ulcusculum cutaneum. Tredecim menſes ſunt, quod hanc curam inchoaverim, ſed fœmina, negligens ſui, tantummodo ſolebat ad majores dolo-

res ad nos accedere, medicinam acceptura. Ita ut ex Noſocomii tabellis collegerim eam quinque ſolum menſibus cortice uſam fuiſſe. Monere debeo tantillum Camphoræ cortici additum fuiſſe, ad compeſcendos dolores. Accurato examine inſtituto, patuit eam vix dragmas tres de die corticis aſſumſiſſe.

Doctiſſimus Ratisbonenſis Medicus *Dieterichs* typis evulgavit epiſtolam Illuſtr. L. B. *van Swieten*, in qua hic corticis experimentum ſuadet cum cancro tentandum, cum ipſe cancrum exulceratum unguento nutrito prius tectum, ſpiritu ſalis marini diluto involvens, corticisque ſesquidragmam quotidie exhibens, totum cancrum excidiſſe vidiſſet, licet ulcus penitus claudere nunquam valuiſſet. Peripneumonia nota hanc fæminam e medio tulerat; adeoque experimentum ultra proſequendi occaſionem demſerat. Addit autem Exp. *Dieterichs* duas hiſtorias, quarum altera per omnia fere ſimilis huic, ſed altera perfectam curationem refert.

Eſt nobis in *Diarrhœis* ac *Dyſenteriis* a laxitate oriundis, excellens remedium *Lyſimachia Vulgaris, flore purpureo*, dicta *Tournefortio Salicaria*, *Linnæo* autem *Gen. pl. n°.* 463. *Lythrum*. *Dodonæus* ſuo jam tempore tria hæc nomina, ut plantæ ſynonyma, refert; ſpeciem vero hanc deſcripſit & depinxit, ut *Pſeudolyſimachiam*. Veram *Lyſimachiam* ad Dyſenteriam, omnesque morbos, quibus adſtrictione opus eſt, curandos, laudat; hujus vero, de qua agitur, ſpeciei ſe vires ignorare fatetur. At in additamentis Botanicis, quas *Juſtus Ravelingius* ex *Cluſio*, & *Lobelio*, ad *Dodonæi editionem anni* 1618. adjecit, omnes hæ ſpecies ad nominatos mox morbos indiſcriminatim laudantur. Nullum autem cum in diſpenſatoriis locum habent, & uſu medico carent, plane ignotæ ſunt plerisque Medicis. Exp. Medicus caſtrenſis, eximiusque Botanices cultor, *D. Lucas Misley* in Diarrhœis, ac Dyſen-

ſenteriis caſtrenſibus curandis hac planta felix, copiam, deſcriptionemque ejus Illuſtr. Præſidi, ac mihi, miſit. Grati erga ejus candorem, præſtantiam remedii decem variis experimentis agnovimus. Dum enim, dato prius purgante, dragma una, vel quatuor ſcrupuli, pulveris hujus plantæ, mane ac ſero dantur, & morbus magis a laxis inteſtinis, quam a ſordibus, originem ducat, prætereaque nunquam ex nimia collectione putrida, nec ulcere inteſtinorum, nec alicujus visceris tabitudine, ortus ſit, intra 3. 4. dies curatur perfecte, ſi recens eſt; paulo vero longiore tempore, ſi eſt diuturnior. Annoſam Diarrhœam, ad quævis auxilia rebellem, trium ſeptimanarum ſpatio eodem remedio ita percuravi, ut nobiliſſimus Centurio nunc exercitum S. C. R. M. repetierit. Cum ipſa hæc planta in agro Viennenſi læte copioſeque creſcat, plurimam ejus copiam colligi curavi, ut omnes, qui vellent, Medici, eadem uti poſſent.

Balſami Copaybæ veri AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS dono ingentem copiam nactus, plura cum eo inſtituo experimenta in Phthiſicis; quorum quædam jam bonum ſucceſſum promittunt. Frequentia hujus morbi & magna remedii copia, ſpem faciunt, ut in poſterum multam hujus Balſami efficaciam teſtatam facere poſſim.

Mercurius ſublimatus corroſivus, quantitate gran. 6. 7. cum libra Sp. frumenti miſtus, ut prioribus annis, ita & hoc præſenti, pauperibus noſtris mire profuit. Multitudo hominum, qui ad curandam Luem veneream, aut Gonorrhœam, aut Corneæ opacitatem, & oculi Pterugia, aut ad nonnullas ſurditatis ſpecies, aut ad ulcera Cacoëthe crurum, ad ulcera labiorum adeo exedentia, ut frenum labii, naſum, naſi cartilagines, plane conſumerent, aliave peſſima mala emendanda, hoc remedio indigebant, ingentem obſervationum feliciſſimarum catalogum nobis formavit.

Hoc anno diſtribui ipſis Merc. Subl. uncias duas, cum 139. libris ſpiritus frumenti. Vix bis inde Ptyaliſmus obſervatus eſt, levis ille, & vix inchoans, mox ſuppreſſus. Factoque examine curationum plurium, prioribus annis peractarum, ſanitatis perſeverantiam gaviſus ſum. At vero in deſperata Gutta ſerena hoc anno bis tentatum remedium, uſu caſſum fuit.

Antea *cap.* 21. *p.* 140. curas noſtras, *ſublimato hoc* peractas, confirmabam editis clarorum in *Anglia* virorum experimentis: nunc vero idem *Italicis* confirmo, quæ egregius *Veronenſis* Medicus, *Joannes Bona*, perfecit, typisque edidit. Quanquam enim noſtra nobis adeo certa ſint experimenta, ut aliunde eorum confirmatione minime indigeamus, apta tamen ea, quæ alibi inſtituta, eſſe queunt, animis ad noſtra lecta adhuc titubantibus, ita firmandis, ut, quovis depoſito ſcrupulo, remedii periculum faciant.

CAPUT XXVIII.

De Machina Electrea.

Turbam miſerorum magnam toto hoc anno, & maxime ab exordio veris, hucusque habuimus: ut nonnunquam triginta eorum ad Machinam una conſiderent; hincque obſervationes formandi multiplex naſceretur occaſio. Dabo fidelem plurium hiſtoriam, hæc pauca præfatus.

1mo. Machina noſtra nunquam tantarum virium, quam hoc anno, fuit. 2. Nunquam diuturniore tempore, idque conſtantius, fuit adhibita: ſemper ſcilicet tribus horæ quadrantibus: quo equidem tempore, manibus invicem juncti, tercentos & quinquaginta ictus ſuſtinere ſolent. 3. Vix uno, alterove excepto, omnes Thermis ſulphureis *Badenſibus* uſi ſunt, alii quan-

quanto tempore a Medicis conſultum eſſet, alii prout otium, vel crumena, id concederent. Nonnulli per annos aliquot repetiverunt balneorum uſum. Pauciores parum modo levaminis perceperunt, unus alterve pejus inde habuit, plerique nihil profecerunt. 4. Quibus musculi Gaſtrocnemii, Plantaris, Poplitæus, Semimembranoſus, Biceps cruris, a longa die ita accurtati eſſent, ut crus totum foret in poſtica contractum, hi vires electrinas nullo modo efficaces experti ſunt. Eſt his primo emollientibus, & maxime balneo vaporis, rigor ſolvendus, quod diuturni ſemper, ac non raro fruſtranei, laboris eſt.

Incipiam a Deauratoribus. Veniam precor toties hic voce *Deauratoris*, & *Deaurare*, uſus. Vel enim nimias circumlocutiones, vel obſcuriorem ſermonem, involviſſet latini elegantia ſermonis. Hoc hominum genus citra ullam neceſſitatem ſanitatis ac vitæ jacturam facere cogitur: ad unam partem auri indigent quinque fere Mercurii partibus, ut amalgama, quod vocant, aptum huic operi parent: Quanto ergo in Mercurii vapore, miſeri illi oſtentationis humanæ martyres, verſentur oportet!

1. *Eyſerle* Deaurator tribus abhinc annis artubus cœpit tremere, a quinque vero hebdomadibus vehementer. Vox ita erat impedita, ut plane balbutiret, vixque intelligeretur: a 26. Aprilis ad 22. Junii, ad machinam fere quotidie accedens, perfecte curatus eſt.

2. *Lackner* Deaurator, 25. annorum, horrendo artuum omnium, maxime ſuperiorum, tremore, media hyeme vexari cœpit; verno autem tempore ita, ut nihil laboris ultra perficere, ut nec comedere biberéve ſolus, nec loquens amplius intelligi potuerit. Nutriendus, veſtiendus, & infantis inſtar, alvum, urinamque, poſiturus, adjuvandus erat; dolorum cæterum immunis. Virtute electrea trium ſeptimanarum

ſpatio adhibita, perfectiſſime convaluit; ita ut ipſi ſive in motu, ſive in loquela, ne vel minimum quidem deſit.

3. Ejusdem frater 20. ann. eodem opificio victum ſibi quæritans, a ſesquianno tremere cœpit; a novem menſibus tanto tremore correptus fuit, ut ad quosvis eſſet ineptus labores, nec niſi magno cum cadendi periculo gradus conſcenderet; ut loquens vix eſſet præ balbutie intelligendus; ut pueri inſtar alendus, vestiendus, & in cæteris neceſſitatibus ſuis fuerit adjuvandus; ut trimeſtri ſpatio domo egredi haud poſſet; & demum adventante calore repere potius, quam incedere, per plateas inceperit. Hoc in ſtatu ad machinam ductus eſt. Poſt ejusdem per 14. dies adplicationem ſolus comedit, bibit, cœpitque utcumque laborare, cruribus vix ultra tremulus. Octiduo dein tam ſtrenue ſuos peragebat labores, tamque perfecte loquebatur, quam unquam antea.

4. *Pachinger*, 39. annos nato, Deauratori, inceptus elapſo abhinc quinquennio tremor, ſenſim abiverat; at vero denuo ante biennium crura modice, brachia vehementer, adortus eſt. Fœde balbutit homo, & ut priores, eſt in omnibus, ut puer, adjuvandus. Adeo difficulter ingreditur, ut ſæpius humi concidat, dumque corpus pronando ſuſtinere ſe nititur, vi quaſi ſupinatur. Anno 1757. prima Auguſti cœpit ad Machinam electrinam accedere, ſed defuit crebro. Negligenter ergo rem agens, potuit tandem præſentis anni menſe Martio ſolus manducare, menſe autem Aprili utcumque laborare, Junio vero & optime loqui, & eleganter incedere. Accurato examine inſtituto, quidquam adhuc defuerat; ad quod perficiendum per aliquot ſaltem dies accurate invitatus eſt; ſed ultra non rediit.

5. *Pulman* 51. ann. cujus opificium eſt lapides pretioſos in aureis, argenteisque thecis firmare, indiget

get ſæpe auro ductiliſſimo: id quod ejusdem cum mercurio fuſione, & depuratione, obtinet; deaurat quoque, ſed rarius. Tremores ipſi a longo tempore eunt redeuntque, jam vero a tribus menſibus, poſtquam quinque diebus febricitaſſet, ita continuant & creſcunt, ut loquelæ, opificio, manducationi, prorſum ineptus ſit. Acceſſit ad machinam. Quinto die jam melius loquitur, 14. die perfecte loquitur, manducat ſolus, laborare inchoat. Sexta ſeptimana nullus omnino supereſt toto in corpore tremor, niſi forte in dextro pede leviſſimus. Non rediit. Ubi bimeſtri ſpatio defuerat, eum ad me vocavi, qui cum illo ageretur ſcire avidus. Dixit ſe laboribus ſubmerſum accedendi tempore caruiſſe, & cum optime ſe haberet, carere potuiſſe. Videri tamen ſibi certis quibusdam temporibus levia malorum ſupereſſe veſtigia; ad quæ radicitus extirpanda, minus obrutus laboribus, ad machinam eſſet rediturus.

6. *Joſephus Hengſtberger* 49. annum agens, Deaurator, a longo quidem tempore tremuit, ſed utcumque potuit labores perficere ſuos. A tribus vero ſeptimanis eo dilapſus eſt, ut nec ſcribere, nec delineare, nec operari, neque etiam ultra comedere ſolus, bibereque, poſſit. Frequentavit Machinam. Sexta ſeptimana cœpit parum ſcribere, delineareque poſſe, & manducare ſolus. Menſe poſtea perfectiſſime eſt reſtitutus, ſuperſtite veluti rheumatico artuum dolore; ad quem curandum remedia ipſi præſcripſi. Non rediit. Cum mihi hic dolor, ut cura durabilis eſſet, metum faceret, vocavi illum, cum bimeſtri tempore defuiſſet, ad me. Dixit ideo ſe non rediiſſe, quod tam illibata ſanitate gauderet, ut magis illibata nemo.

7. *Bergerin*, cum marito deaurans, 51. annos nata, ante biennium ita tremuit toto corpore, ut integro novimeſtri ſpatio lecto affixa hæſerit. Tum vero ædium terrefacta incendio, exſiliit lecto, & potuit ex-

tra lectum ſedere, artubus licet tremebunda totis. Capitis tremor tantus eſt, ut in lecto jacenti leviſſima incepti ſomni initia illico interturbentur, nec dormire fere unquam poſſit. Per omnia, pueri inſtar, juvanda eſt, pueri inſtar balba eſt. Ad machinam electrinam admota intra ſeptem ſeptimanas eo pervenit, ut caput nocte quieſceret, eaque jam integras noctes dulci ſomno tranſigeret; ut nunc comederet, biberetque ſine auxilio; ut perfecte loqueretur; ſuosque denuo perageret, ſuo cum marito, labores. Pergit, ſed negligenter, ad machinam accedere, quod caput non ſuffultum adhuc parum titubet.

8. *Meisner* 39. ann. Deaurator, a menſis ſpatio manibus tremere, vix operari. Quatuor ſeptimanarum tempore ad Machinam eſt reſtitutus. Quod vero notandum, eſt quidam veluti rheumaticus artuum dolor, quem dixit ſe quarto jam die, ex quo ad eam admotus fuerat, percipere cœpiſſe. Remediis ad illum percurandum datis, non redivit.

9. *Pachinger*, filius ejus qui n°. 4. a biennio deaurat multum, & a bimeſtri manibus tremit. Quarta vice ad machinam accedens, integre eſt curatus.

10. *Feirſtein*, 48. annos natus, a nulla cauſa, quantum ipſe noverit, prægreſſa, brachia percepit ad duros Vulcani labores pedetentim ineptiora reddi, ipſosque demum digitos; hos tandem incurvari, manere curvos, atque etiam omnes has partes a ſumma nucha, ad ipſos usque digitorum apices, dolere. Ad machinam adhibitus eſt, & quotidie plures cucurbitæ ſiccæ ad nucham, humerosque, adplicitæ; ſex hebdomadum tempore digitos movit, extendit, luſit, ſcripſit, brachia movit, & a tanto malo paucæ modo reliquiæ ſuperſtites fuere. Redire neglexit.

11. *Keſtler* 56. ann. Sartor, ex terrore & ira pridie prægreſſis, ſequenti aurora ſurrecturus, percepit ſeſe paralyticum omnibus artubus, lingua, genis. A novem

vem menſibus ſic manens, ad nos acceſſit. Quarto menſe vim electream quotidie expertus, vix quidquam lucratur, niſi parumper in cruribus. Continuatur ipſi quotidie virium electrinarum adplicatio. Quinto menſe non lingua, genisque, ſed artubus multum emendari incipit.

12. *Gritſch*, nauta, 42. vitæ annum agens, ex Tertiana ante annum habita, paralyticus omnibus artubus paulatim factus eſt: cruribus genibusque moleſta formicatio ineſt: brachia & dolent, & marceſcunt: perpetuo ſudores nocturnos patitur: & quod ſibi omnium moleſtiſſimum, iners veluti plumbea moles in cavo abdomine ad umbilici altitudinem, nonnunquam paulo altius, percipitur, perpetuoque homo de illa conqueritur & lamentatur. Interim abdomen externo ſenſu ipſi molliſſimum eſt, nec ullum viscus male ſe habere percipitur. Tandem extrema digitorum manuum pedumque admodum dolent, vires omnes collapſæ, facies plumbum colore refert. Cum bonis abdominis frictionibus, remedia ipſi leniter ſolventia & neurotica dedi; ubi autem deinde quandam veluti laxitatem musculorum abdominis, præcipue Rectorum, advertebam, curavi lato cingulo abdomen circumvolvi ac muniri: intereaque temporis ad machinam electrinam eum quotidie admovi. Menſe toto Junio elapſo nonnihil emendationis in cruribus percepit. Menſe Julio nulla emendatio. Toto Auguſto fruſtra. Finiente Septembri emendatio tanta, ut vix ſit credibile. Adeo nunc utitur ſuperioribus atque inferioribus artubus, adeo bene ipſi in abdomine eſt, ut iterum fungatur officio ſuo. Quia tamen veteris mali tantillum adhuc ſupereſt, promiſit, quoties id ſua ſibi negotia permittant, ad machinam ſe rediturum.

13. *Zeidler*, ſcriba ille, de quo *pag.* 52. actum, adhuc ad Machinam acceſſit, quia cura ibidem relata inconſtantior fuit, ita ut leviora paralyſeos inchoa-

menta ſubin ire redire appareant, & occipite adhuc multum doleat. Interim tamen ſemper aptus manſit ſcribundi officio. Sæpe hac æſtate, & nunc etiam, Machinam repetit, vi ejus occipiti adplicata; unde longe quidem melius ipſi fit, ſed necdum eſt abſoluta cura.

14. *Clara Bergerin* 12. ann. medio Majo Chorea S^ti^. Viti affecta, 22. Junii ad nos affertur. Manuum motus ipſi adeo titubans, & ridiculus, ut ad nullum uſum aptæ ſint, & ut a matre nutrienda, omnibusque in rebus adjuvanda ſit. A quarta virtutis electreæ adplicatione ſola comedere, ac nere, poteſt. 27. Julii integre reſtituta eſſe viſa eſt, niſi quod dextra manus necdum haberet æque firmum, quam læva, robur. Sed jam collum ipſi totum pluribus tuberculis cingitur. Iteratum purgans hæc diſpulit. 23. Aug. tota ſana dimiſſa eſt.

15. *Jordinin*, ſimilis puella, fuerat elapſo triennio a Chorea S^ti^. Viti integre curata; biennio dein a magno terrore, pravaque diæta, in eandem relapſura videbatur. Cum putrida bilis vias primas obſideret, Pulpa Tamarindorum, cum Cremore tartari per aliquot dies ſumta, emendavit corpus ita, ut & primæ viæ puræ eſſent, & choreæ S^ti^. Viti initia præfocarentur. Menſe Majo hujus, quem vivimus, anni, citra cauſam ullam notam, chorea rediit, nec olim adhibitis remediis, nec aliis neuroticis aut roborantibus, cedens. 27. Junii ad Machinam acceſſit. 23. Aug. penitus curata eſt. In omnibus chorea S^ti^. Viti ſemper ad Machinam ceſſit.

16. *Lorenz*, Juvenis, Sartor, longa annorum ſerie tumoribus, ulceribusque colli, affectus, habuit triennio elapſo in collo tumorem, arte nulla aut reſolvendum, aut ſuppurandum: unde contortum ipſi collum fuit, nataque dextri lateris paralyſis; quam ſemianno poſtea Exp. *Erndl* ipſi integre curavit. Novus tamen

in collo tumor apparuit, multo pure ſcatens, nataque oculi ſiniſtri lippitudo perpetua, unde pterygion ad Corneam pellucidam. 8. Febr. præſentis anni ita cecidit, ut prope omnis dextro in latere perierit motus. Remedia plura interna externaque pro indicatione adhibui; a quibus quidem modica emendatio, ſed tardam fore, ſi tamen obtineatur, integram curationem præſagiens. Hinc tandem ad machinam admotus fuit, ad eamque ſummam opem eſt expertus; ſed reſtitutus fere, ultra non comparuit. Sollicitus de hominis ſalute, revocari juſſi bimeſtri jam abſentem. Venit dicturus jam partium omnium ſibi integerrimum uſum esſe; & ex quo tabaci pulverem naribus hauſerit, oculo bene eſſe.

17. *Eiſéngruber* vir 48. ann. faber ferrarius, ſcorbuto lento oppletus, motuque artuum fere deſtitutus, ac viſu indies debilior, ad machinam nihil lucratur; imo majores conqueritur dolores. Hinc dilata res, donec cura antiscorbutica dolores emendaverit. An gravi ſcorbuto detentis Machina inepta? ñoxia?

18. *Pozin* puella 15. annorum biennio elapſo a paralyſi dextri brachii reſtituta quidem eſt, ſed ex eo tempore Adductores pollicis musculi prævalent ejus Extenſoribus & Abductoribus. Negligenter quamvis accedit, haud multum tamen ab integra curatione abeſt.

19. *Fridingerin* 57. ann. manuum, crurumque, tremore, ad motum & ingreſſum ex quadriennio inepta, ſimul artubus ita dolet, ut vix horulam de nocte dormire poſſit. Eſt dolor rheumaticus. Datis remediis idoneis, 5. Junii viris geſtata duobus, ad Machinam acceſſit. 23. Junii ſola ſtat erecta, nonnullos progreditur paſſus, manibusque incipit quadantenus uti. Menſe dein elapſo eadem fæmina, cui præ dolore vix horula tota nocte dormiendo tranſigebatur, integras dormit noctes. Unica puella ſuffulta longam viam ab ædi-

dibus ſuis ad Noſocomium, indeque domum, alacriter tranſit.

20. *Bernhardus Conrad* 44. annos natus, ſtrenuus miles, toroſus, procerus, gravi morbo ante biennium decubuit; ex eoque reſtitutus, & per 14. dies munere militari functus, crurum dolore, eundemque inſequente paralyſi, affectus eſt. Ex ipſis lumbis malum cepit. Nunquid morbi, haud integre judicati, materies delitescere per tantum temporis ſpatium innocue poteſt? & poſthac dolorem ac paralyſin metaſtatice generare? Res exemplo non caret. Paralyſis hæc incompleta, motum quendam reliquum fecit, ita ut æger binis ſuſtentatus ſcipionibus, & ab alio inſuper milite brachio ſuffultus, nec niſi toto corpore pronus, ad nos adduceretur. Cum electrina vis hic indicaretur, illeque non niſi, quo dixi, modo adduci poſſet, locum ei in Noſocomio conceſſi, & a 27. Junii quotidie ad machinam admovi. Tarda admodum fit mali emendatio; fit aliqua tamen: ita ut nunc, binis ſuis baculis innixus recta poſſit per ædes incedere, imo ut ſine baculorum ope erectus ſtare poſſit, & per aliquot minuta ſitum hunc conſervare; ipſaque crura, innixus baculis, jam alterum poſt alterum in poſteriora flectat, elevetque. Spem certe, ſed lentam, promittit Machina.

21. *Zahnin*, Arthriticis doloribus integro biennio dire cruciata, catameniis interea bonis gaviſa, plurima remedia, ex arte indicata, nullo fere cum effectu, adhibuit, niſi quod crura paulo minus acerbe dolerent. Cum brachiorum dolore cœpit tandem eorundem perire motus. Experimentum nunc capiendum erat, num Arthritis vim electrinam commode ferret. Pauci modo ictus primis diebus adhibiti ſunt. Hos egregie tulit, tulitque eosdem poſtmodum ſenſim auctiores. Tertia ſeptimana motui ita apta, doloribus ita exemta fuit, ut per quinos dies perfecte curatam ſe

cre-

crederet: verum contrarium experta eſt, redeunte, partim ſaltem, antiquo malo: percepitque ad carpum utrumque tumorem, qui, remittente dolore, abit; dolore repetente, redit. Octiduo vero poſt hæc cuncta mitiora. Et hoc quidem univerſo tempore minime neglecta ſunt antarthritica auxilia. Bis jam habuit, ad machinam adhibita, ſuos menſes; ſed copioſiores nunquam, toto vitæ tempore, eosdem habuit, quam ad Machinam, ſimulque & ante menſes, & poſt eosdem, fluorem album, quo tota vita libera fuit, experta eſt.

22. *Morauerin*, juvencula, muſcas aſſiduo & ſtellas ante oculos obvolitantes, ipſosque oculos vellicatos ac dolentes, jam ultra anni ſpatium conqueritur. Uſa dudum eſt ſpiritu frumenti cum ſublimato: eo non juvante, millepedibus. Rectius hinc dexter oculus habuit, ſiniſter minime: obſervatque menſtruorum tempore utrique oculo male eſſe. Cum remediis nervos roborantibus vim electream tentare animus fuit. Quo quidem tempore Catamenia ſua, quæ pauca ſemper, at boni coloris habuerat, nunc habuit longe quam unquam copioſiora. An ergo Machina electrina iis adhibenda, quæ cum ſufficiente quantitate ſanguinis, & paucos habent, & dolorificos menſes? Binis elapſis menſibus emendatio conſtantior dextri oculi obſervatur; tribus vero elapſis, oculo dextro perfecte, ſiniſtro fere, ſana, urbe diſceſſit.

23. *Joſephus Goffé* 60. annorum, *a puero* tremulus, quatuor abhinc annis magis, ab anno maxime; ut nihil manu efficere, imo nec cibos potusque ori poſſit admovere; veſtiendus, alendus, ut infans; cætera ſemper ſanus: ad Machinam 10. Julii acceſſit. Prima Aug. poculum prima vice ſolus ori admovere potuit. Toto Auguſto & Septembri nihil lucratur. Finiente Septembri, & ineunte Octobri, ſpectabilior fit emendatio. Solus manducat & bibit, manus minime tre-

tremit, totumque brachium, olim extenuatius, jam æque toroſitate creſcit, quam viribus. Ergo neque in ſene deſperatum eſt vitium, quod ipſi jam a teneris conſueverat.

24. *Joanna Poldin* annos nata 36. Apoplexia tacta fuit anno 1757. menſe ſeptembri, inſcia peperit, inſcia ſui 12. diebus fuit. Ad ſe rediens, dextro latere, (paralyſis ab apoplexia in dextro latere rarior) paralytica facta eſt; motu, ſenſuque, amiſſis. Et quamvis Medicus, aſſiſtentesque amici, totum ejus dextrum latus egregie calidum perciperent, ipſaque ægra hoc latus dextrum, ſiniſtra manu tangens, bene calidum obſervaret, tamen aſſiduo internum ejusdem frigus eſt conqueſta. Quinque menſes abhinc elapſi ſunt, cum melius ipſi cepit eſſe; ita ut partibus ſenſus redierit, exceptis digitis auriculari & annulari manus dextræ. Pes contortus ex morbo manſit, & crus difficulter movetur. Movet equidem brachium, manumque; at tenere nihil poteſt; quidquid enim manu arripitur, mox humi cadit. Linguæ & Loquelæ uſus fere rediit omnis. Humeri motus eſt gravis & difficilis. Genu eſt præ debilitate articuli immobile. Ad manducandum & bibendum hucuſque ſola ſiniſtra manu uti poteſt. In eodem dextro latere herniam inguinalem habebat, quam apto brachierio firmavimus. Vertigines quandoque habet. Cæterum ſana eſt. Menſes habet. 12. Aug. ad machinam adhibita eſt, & per ſex continuas hebdomadas non modo nihil lucrata eſt, ſed doluit acrius. Emendatio poſthac tam ſubita ſucceſſit, ut 23. Septembris dextram egregie moveat, ut eadem ſibi ingerat cibos; ut capitis integumenta utraque manu, æque expedite, imponat, conſtringat, alliget; ut quod manu arripuerit, tenaciter contineat; ut genu denique commode moveat. Supereſt modo in tota calente parte dextra moleſti frigoris ſenſus; quam ob cauſam perget ad Machinam

ac-

accedere. Huic etiam Catamenia tum diuturniora contingunt, tum profuſiora, ex quo adhibita ad Machinam fuerit. Ergo in tribus fœminis hæc jam facta obſervatio, me impedivit ne Deauratoris uxorem, omnium peſſime affectam, ad Machinam ſuſciperem, quod tertio menſe gravida eſſet.

25. *Plumer*, tuſſi aſſidua, pondere in pectore perpetuo, dolore continuo, perenni ejectione glutinoſæ materiæ ab anni retro ſpatio, ingens in pectore impedimentum habere videtur. Forte ingens latet, multumque comprimens, vomica. Senſim ipſi periit artuum ſuperiorum motus, iſque inferiorum debilitatur. Narrat autem fere ſingulo menſe nares vehementer obſtrui, tumque purulentam, fœtidamque, materiem naribus exſtillare. Utitur quotidie granis 12. Balſami Copaybæ, cum pulvere Glycyrrhizæ in pilulas redactis; infuſoque largo Veronicæ, Hederæ terreſtris, Hyſſopi, cum Melle & lacte. Cum hæc ſpatio 16. dierum nihil juvarent, quinimo magis periret brachiorum motus, ad Electrinam machinam eum adhibui, ea nihilominus lege, ut remediis hic recenſitis uti pergeret. Obſervavit a primo tempore adhibitæ vis electrinæ tuſſim ſibi minui, materiem purulentam fœtentem, quæ olim id quovis menſe ſolebat, jam perpetuo naribus effluere, artuumque omnium motum, poſtquam per menſem Machinæ acceſſiſſet, jam expeditum eſſe; ut putet ſe machina electrea vix ultra indigere: dolorem vero Thoracis ſibi permanere. An pulmo, ſputa ultra non ejiciens, ſe naribus expurgaret? Oriundane hæc Paralyſis ab ejusmodi cauſa, quam ſupra *Cap.* 24. *p.* 186. *de Col. pict.* expoſui? Experimentis diſcimus: cum ergo homo hic & a datis medicamentis, & ab adhibita vi electrea tam belle ſe habet, in utriſque acriter perſeveraret, ſuaſi.

26. Vitia *ophthalmica*, maxime *Amauroſin*, jam *Cap.* 8. *p.* 53. innui me virtute electrea emendare anniſum

fuiſſe,

fuiſſe, ſed omnibus dolores obortos eſſe, hominesque non rediiſſe. Ut redirent non urſi, quod hunc laborem aliquoties inanem in aliis experirer. Minus urſi alios, quod legiſſem eundem in *Upſalienſi* Noſocomio inutilem inventum eſſe, licet binis ejusmodi cæcis vis electrina quovis modo & artificio eſſet adplicata. Attamen animum iterum addidit obſervatio a Societate *Harlemenſi Tom. I. pag.* 358. nomine Eruditiſſimi Viri, Clariſſimi Profeſſoris *Allamand*, communicata, ad quem videlicet *Petropolitanus amicus* ſcripſiſſet, ſe puellam 20. annorum ope machinæ electrinæ ab hoc malo magnam partem liberaſſe. Novas igitur occaſiones nactus, tentamen repetii.

Vir robuſtiſſimus, ſaniſſimus, menſe Majo 1757. Pleuritide ruri afficitur, negligiturque. Suppuratione nata, Natura Metaſtaſin ad crura molitur, moxque inde reverſa, deponit materiem ad organa Auditus & Viſus; ita ut Cophoſis & Amauroſis gignerentur; pectore nunc interim liberrimo, ſaniſſimo. Surditas emendabatur multum; Gutta vero ſerena utrumque oculum occupans, pertinaciter perſeveravit. Trimeſtri ſpatio jam cæcus, conſilium petiturus me acceſſit, rogatusque num in Noſocomio manere vellet, lubens annuit, variaque ex arte tentandi occaſionem integro, quo hic fuit, anno, dedit. Corpus primo copioſo lacte, aqua, melle, ſale polychreſto, ut optimis antipuicis, replevi, viſurus num forte mobilis reddita, per bonas vitæ vires, mala morbi materies, aliam metaſtaſin, aut etiam, quod melius, evacuationem moliretur. Cum hoc minime ſuccederet, Phlegmagoga pharmaca, Mercurio animata dabantur, quibus curata fere ſurditas & vertigo, at vero gutta ſerena ne hilum quidem. Igitur dedi Mercurium ſublimatum cum ſpiritu frumenti, quod continuare non potui, cum hic vir ex pauciſſimis illis unus eſſet, quibus Mercurius ſic datus Ptyalismum crearet.

ret. Ptyalismum moderavi, non ſuppreſſi, neſcius quid forte illa humorum fuſio præſtaret boni? At ruente demum violenter ad alvum Mercurio, ejus uſui plane debui ſuperſedere. Quatuor tamen menſibus eo fuerat uſus, niſi quod aliquoties, ne ſalivatio copioſior fieret, eum omitteret. Memor felicis curæ ope millepedarum in inſpiſſatione humorum in oculo aliquoties obſervatæ, dedi ipſi quotidie ſex dragmas millepedarum vini unc. VI. emulſarum, & expreſſarum, idque per quatuor continuos menſes. Altero menſe, quo millepedis utebatur, ſua rediit pupillis amiſſa mobilitas, nulla cæterum in viſu emendatio. Cucurbitæ ſiccæ ad tempora frontemque fruſtra quoque quotidie adhibebantur. Quarto menſe uſus millepedarum, vis electrina ſimul quotidie eſt adhibita. Quum vero cura hæc quadrimeſtris uſu caſſa deprehenderetur, denuo Mercurii ſublimati tentamen ipſe æger petivit. Jam illud ſuſtinuit egregie, ſine ptyaliſmo aut dyſenteria. Trimeſtri igitur ſpatio & Mercurium aſſumſit, & vim electrinam ſuſtinuit, & cucurbitas circum oculos adplicitas habuit, ſine ullo levamine: unde medicinæ pertæſus, ad uxorem liberosque, alias ſaniſſimus, rediit. Duo adhuc ad Machinam veniunt, malo ſimili affecti, quorum unus jam 3. menſibus adeſt, altera 4. menſibus. Si pergere amant, metuo ne priores obſervationes tandem confirment. Cophoſis, de qua *Cap.* 8. *p.* 53. non emendata eſt ſpatio 5. menſium, nec ultra experiri juvenis voluit.

Longus fui in recenſendis virium electrearum effectis, nec tamen, quos habui, recenſui omnes; quos enarravi, ſufficere hoc capite arbitratus, ut haud immerito videar vires electreas in antecedentibus laudaſſe. Quæ enim *cap.* 8. *&* 22. in genere recenſui, nunc in hoc capite longa exemplorum ſerie do demonſtrata. Vix crediderim alibi tam luculenta, tamque numeroſa, tam in paucis modo fallentia, obſerva-

ri exempla: ſed ſimul cenſeo, curam ejusmodi rarius a tanto hominum numero, tanta cum conſtantia, prolongari. Si mei ægri patientiam habeant ſuſtinendi, ego habeo adplicandi, utque perſeverent, adhortandi. Niſi utrinque ita actum fuiſſet, multos egregios effectus nec nos mirabundi vidiſſemus, nec calamitoſum hoc hominum genus gaviſum fuiſſet. Præterquam quod & in his, & in cæteris omnibus, maximopere juvet laborum tolerantia, ut demum arctiores cognoſcamus, quos inter coarctemur, medendi limites. Porro prodeſt horum utrumque. Vires ſi DEUS, vitamque ſi ſervet incolumem, animus eſt ſequenti academico anno acriter ſimilia proſequi, novisque augere tentatis. Nonne improbus labor ignota patefacit, falſo credita diſpellit, manifeſtat abſcondita, incerta firmat, revelat arcana? Dii omnia laboribus vendere dicebantur Antiquis, & merito; quum idem experiamur. Solus pepetua & amabili veneratione nobis Adorandus Naturæ Autor, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum, non ſolet deſidibus Naturæ arcana pandere: laborem imperat, laborem coronat. *Quid hic ſtatis tota die otioſi? Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis. Matth.* 20.

De Febribus Malignis Dictis.

§. I. *Malignitatem de morbi cujusquam acuti eſſentia non eſſe, ſed modo accidens quoddam, probatur exemplo variolarum.* §. II. *Cortice Peruviano plurimo qui olim a morbo maligno curati, valent pulcre omnes.* §. III. *Exempla duarum fœminarum, quarum alteram Cortex ſervavit uberrima cum Petechiarum expulſione; alteram, cum earundem præmatura retropulſione.* §. IV. *Cortex ſerius datus, malignitatem non curat.*

§. I. Quæ anno proxime elapſo adeo fuſe de Febribus, quas malignas vocant, diſſerui, ea præſens annus confirmavit abunde; tum quantum ad genium earum adtinet, tum quantum ad curam.

Quippe Capite 23. frequentia obſervationum ſuffultus, concluſi malignitatem haud eſſe, quod in ſcholis medicis ita vocant, de eſſentia morbi, ſed quoddam potius accidens; quod nimirum alienis illum ſtiparet ſymptomatibus, quod artis potentiæ illum ſubtraheret. Id, niſi me animus fallit, manifeſtum eſt. Variolas v. g. deſcripturi Autores, haud ſolent ab illis, malignas quas appellitant, exemplar, normamve, deſumere, ſed a communi illarum genere. Quo facto, primo eam addere ſpeciem conſuevere, qua, licet genuinâ, qui laborant, tamen vix lectum petant, non ægrotent fere, & præter manifeſtam papularum expulſionem, maturationem, exſiccationem, aliud fere morbi hujus ſignum non habeant. Secundo peſſimum iſtud genus adjiciunt, quod ſymptomatum numero, ac ſævitie; quodque pertinaci adverſus omnem artis operam reſiſtentia, ita ſua malignitate ab illa prædefinita communi ſpecie abludit,

quam benigniſſimum illud bonitate, ac lenitate ſua, ab eadem differebat. Ut itaque & dicta illa malignitas æque parum in vera idea, ac definitione Variolarum includatur, quam miranda illa mitiſſimarum benignitas.

Quod ſi ita cum Variolis eſt, eo magis id cum Petechiis, cum albis, rubrisque Miliaribus, ſe ſic habebit. Examine ritè inſtituto, efflorescentiæ hæ binæ 1mo ut morbi primarii producuntur: id vero rarius, & ad certas potiſſimum Epidemias duntaxat. 2do ut acutorum criſes: quod etiam raro admodum; nec niſi regiminis errore frequentius. 3^{tio} ut ἐπιγινόμενοι plerisque morbis acutis, puerperio; quæ duo poſteriora de Variolis affirmari nunquam poſſunt. Porro quæ tria hic dixi, audacter aſſevero, cum ſexto jam anno huic Noſocomio præpoſitus, innumeros acutos morbos hic jam demonſtraverim, tractaverim, & ter modo quaterve primarium invenerim, ſemelque modo epigenomenon. Quotiescunque vero morbum hunc primarium in urbe, ſuburbiisque, inveni, Epidemico id tempore fuit, niſi ſemel forte iterumque ſporadice. Cæterum vero, experientia multiplici fretus, repeto id, quod in antecedentibus ſat ſuperque, ni fallor, evici, Morbos hosce a malo potiſſimum regimine proficiſci, & hinc Germanis, Hungaris, Bohemis, Sclavis, Styris &c. tanta frequentia ac malignitate infames eſſe.

§. II. Ad relatas capite 23. curationes, id modo addendum habeo, quod omnes illi, quos Cortice Peruviano abundantiſſimo uſos ibidem enarravi, hucuſque perbelle, cujuscumque demum temperamenti ſint, valeant; & quibus mobilior nervus imbellem olim valetudinem conciliaſſet, jam longe valentiore ſanitate fruantur.

§. III. Pulcras hoc anno hujus morbi curas vidi.

30. annorum fœminæ, petechiis adeo ſcatenti, ut Medici alii mecum teſtarentur repletiorem iis ſe neminem vidiſſe, jamque maligne ab ipſo principio decumbenti conſueta methodo Corticem dedimus; corticis uſum a curato morbo dudum protraximus. Læti contemplabamur poſtquam aliquot diebus eo remedio uſa eſſet, vires increſcentes, ægramque cum abundantiſſima efflореſcentia vix ægrotantem, & firma valetudine brevi potitam.

Contra vero æque fortunatum exemplum, cum retroceſſione petechiarum, Juvencula dedit, quæ ſex ſeptimanarum ſpatio febrium inſultu vago, univerſaque artuum laſſitudine, ſuum inter famulatum vexata, febrim deinde continuam putridam, (incertum quot diebus, octo tamen ad minimum) perpeſſa, ad nos adferebatur, multa jam ſcatens Petechia. Poſtridie iisdem repleta omnino fuit. Eo uſque nec vires, nec pulſus, nec febris, nec pravum quodquam ſymptoma, ullam faciebant malignitatis ſuſpicionem. At vero poſt meridiem, en maligna quæque ſymptomata, cum introcurſu macularum, turmatim acceſſerunt. Cortex igitur ilico datus, admota Veſicantia, Paregorica per vices ſunt porrecta. Hinc ſequenti quidem die paucus macularum reditus, copioſior poſt meridiem, tertio autem die vix ullus; niſi quod earum loco decem forte Miliaria alba in jugo colloque comparerent. Interim quæ paucæ ſuperfuerant petechiæ lateſcebant; quæ pauca Miliaria comparuerant, mox opaca fiebant, quarto die evanida. Vomitus eodem tempore primo æruginoſus, deinde frequenter flavus, inſigni aderat levamine. Porro febris, poſtquam integro octiduo ſub tanto corticis uſu perſeveraſſet, ceſſavit, integram ſanitatem poſt ſe relinquens.

In penultimo exemplo corticis ſub uſu confertiſſimæ, quæ præextiterant, petechiæ, adhuc augeban-

tur, & extantibus hiſce ſanitatem jam afferri cortice lætabamur; id quod in his morbis ſolenne eſſe Capite 23. pluribus exemplis demonſtraveram. Ultimum exemplum omnium primum eſt, quod obſervavi, Petechiarum introverſarum, nec Cortice, nec Opio, redeuntium, Miliariumque numero tam paucorum, & quarto jam die evanidorum. Æque tamen & cita, & integra, huic, quam illis, ſalus rediit. Nunquid introverſus humor vi corticis ad ſyſtema cæliacum determinatus, & ſic vomitu eliminatus fuerit? Credibile.

§. IV. Quamvis porro hæc methodus tum mihi feliciſſime cedere ſoleat, aliiſque in Noſocomiis impenſe laudetur; eſt tamen quod ſero adhibita mortem non averruncet. Puella 17. annorum, cujus hiſtoria *capite de ſanguine* habebitur, primis decem ægritudinis diebus penitus neglecta, ad nos adfertur, Petechiis in pectore plena. Conſueta quidem methodo Petechiæ pulcre per ſex integros dies perſtitere, attamen febris continua remittens, eaque valida, die decimo ab ingreſſu ejus in Noſocomium, ſuſtulit illam. Quippe inertiores Corticis vires, quam ut humores, jam intime hac malignitate penetratos, & infectos, repurgare emendareque poſſit.

CAPUT XXX.

De Aneuryſmate.

§. I. *Cum nullus fere locus humano in corpore ſit, qui Aneuryſmati, interna de cauſa genito, ſedem non præbeat, loca præcipua enarrantur.* §. II. *Varia circa Aneuryſma: unicum exiſtens duplex poteſt apparere; intus ſæpe oſſeum eſt; loco poteſt mutari; eſt ſimplex ejus, & multiplex ſaccus.* §. III. *Anatome Aneuryſma-*

matis cordis §. IV. *Solutio problematum, α Cur unum Aneuryſma ſimplicem modo tunicam, eamque tenuem, habeat? aliud craſſiſſimam? aliud denique & pluribus, & ſæpe concentricis ſibi lamellis, compoſitam? β Cur manu frequentius examinare haud tutum? γ Cur ſæpe non pulſet? δ Cur locum mutet? ε Cur licet ſemper præſens, tamen nonnunquam abſens videatur? η Quare tremit aliquando?* §. V. *Curatio pallians, & curans.* §. VI. *Bini notabiles caſus Aneuryſmatum, quæ idiopathica haberi poterant, & modo ſympathica, aut deuteropathica, erant.* §. VII. *Datur aneuryſmatica totius fere corporis Diatheſis.* §. VIII. *Biga Aneuryſmatum a male adminiſtrata venæ ſectione ortorum.* §. IX. *Aneuryſmatis ejusmodi externi curatio, quandoquidem compreſſione, & interceptione perficitur, præprimis diſſeritur de compreſſione; tam ea, quæ, apertura facta, Arteriæ immediate incumbit, quam illa, quæ externe tantum, citra aperturam, adhibetur. Prior harum, uſitata veteribus, poſtmodum neglecta, a Germanis primum, dein & a Gallis, in uſum revocata eſt, ab ultimis præterea Fungo Agarici decorata.* §. X. *Curatio in Noſocomio, apertura loci, adplicatione Fungi, compreſſione externa, feliciter peracta eſt.* §. XI. *Tentamen curæ per ſolam externam compreſſionem.* §. XII. Fouberti *ſententia circa ſpuriorum Aneuryſmatum duplex genus.* §. XIII. *Reſponſum ad tria problemata.*

§. I. CUm nullus fere in corpore humano locus ſit, in quo Aneuryſmatis ſedes inventa non fuerit; cum idem Aneuryſma ſub larva aliorum tumorum haud raro apparens, turpiter fallat incautos; cumque demum præſens creditum, nihilominus aliquoties minime adfuerit: frequentia obſervationum, qua inſtructus ſum, me adigit ut de hac materie fuſius agam. Ac primum quidem dico Aneuryſma ubicumque inveniri locorum; externa ſive cauſa, ſive interna, genitum fuerit.

1mo. In cubito, ſeu brachio, frequenter obſervatur a male adminiſtrata venæ ſectione.

2do. Circa talum a cauſa interna, ut videtur, ortum, vidit, deſcripſit, *Ruiſchius* Obſ. anat. 38. "Si
„ ſanguis in Aneuryſmate coagulatur, nulla perci-
„ pitur pulſatio. Hoc olim decepit Chirurgum ex-
„ pertiſſimum, ... mihi, dum viveret, amicum
„ familiarem; qui circa talum Aneuryſma, nucis ju-
„ glandis magnitudine, aperiebat, neſciens tamen
„ tumorem dictum Aneuryſma eſſe, quia omnis pul-
„ ſatio deërat. Aperto tumore, & ſanguine coagula-
„ to expreſſo, tanta ſuborta eſt hæmorrhagia, ut vix
„ eſſet ſiſtendo.

3^{tio}. In genu vidit clariſſ. *Boerhaave* in ſtudioſo Germano, quem ſerio monuerat, ne unquam, quod non pulſaret, cuipiam aperiundi facultatem faceret. Fecit tamen, & periit.

4to. In arteria Poplitæa horrendum vidi, a ſaltu veroſimiliter natum. Crus amputandum fuit.

5to. In art. Femorali terribile, letale, vidi in orphanotrophio Hagano, vulnere ortum.

6to. In Art. Iliaca, *Lanciſius*.

7mo. In Aorta mox ſupra illius in Iliacas diviſionem vidit *Fantonus* Tom. 3. *Sepulcr. Boneti*, pag. 556.

8vo. In Cæliaca art. *Lanciſius*. Studio omitto Aneuryſma ter quater in art. Meſenterica equi a *Ruiſchio* inventum, cum hic de humano corpore tantum diſſeritur.

9no. In Intercoſtali art. exili *Ruiſchius* ter quater vidit Aneuryſma, ovi gallinacei magnitudine. Vulneri originem aliquando id debet, paſſim vero cauſis internis.

10mo. In Subclavia, a contuſione natum, vidit Illuſtr. Baro *van Swieten*, Com. Tom. I. pag. 228. Subclaviæ Aneuryſma homini mortem tuſſi, & hæmoptöe, conſciſcit. Anatome detexit Aneuryſma

hoc

hoc Aſperæ arteriæ accreviſſe, ſpatium intercartilagineum eroſiſſe, & omnem vitalem ſanguinem hinc profudiſſe. vid. *Hiſt. Acad. Reg. Sc. Par.* anni 1733.

11mo. In Aorta inter primas ejus diviſiones, & Cor. *ibid.* ann. 1712. Etiam illud monſtroſiſſimum *Ruiſchii* Obſ. anat. chir. n°. 38. incipiebat digitis tribus ſupra cor.

Et mox ſupra cor incipiebat *compoſitum* illud Aneuryſma, cujus hiſtoriam brevi dabo.

12mo. In curvatura Aortæ. *Hiſt. Acad. Reg. Sc. Par.* an. 1707. Aneuryſma naſcitur homini in collo, poſt enormem 5. dierum vomitum, quem Agyrta, Rheumatiſmi diſcutiendi gratia, excitaverat, produxerat. *Littræus* in cadavere ejus invenit Aortam ſua in curvatura in ſaccum dilatatam, qui media ſui parte in thorace locatus, cariem oſſibus creaverat; dein alia ſui parte ſuperiora conſcendens, totum latus colli, ad uſque maxillam, expleverat. Multos polypos, & ſanguinis, tum fluidioris, tum coagulati, duas eduxit pintas. Videatur ſimile *ibidem* anno 1700. natum a ſubito flexu colli in venatu.

13^tio^. In arteria Epicrania Aneuryſma vidi ovo gallinaceo magnitudine par, felici interceptioni interfui. Contuſione natum erat.

14to. Cæterum Aneuryſmata inventa ſunt arteriæ temporalis, arteriæ in naſo externo, aliis corporis partibus, ut paſſim inveniri poteſt in Sepulcreto *Boneti*, in Biblioth. Med. *Mangeti*, &c.

15to. Aneuryſmatica datur plurimarum eodem in corpore arteriarum diatheſis, ut §. VII. patebit.

Unde concluſio hæc firma ſit, quod in tractandis hiſce ſumma ſit prudentia opus, cum ubique locorum exiſtentia, pathognomicis ſignis aliquando careant, facillimeque aliis cum tumoribus commiſceantur.

§. II. Atque hæc de varia ejus ſede ſufficiant; conſideranda nunc veniunt obſervata quædam de Aneuryſma-

ryſmate in genere; ac primo quidem obſervamus illud duplex quandoque adparere, cum tamen vere unicum ſit. Egregius *Morand*', *Hiſt. Acad. Reg. Sc. Par.* ann. 1721. tumorem aneuryſmaticum detexit alteram inter tertiamque coſtam; alium iterum tumorem ſimilem inter tertiam & quartam. At in cadavere unicum modo eſſe deprehendit, ſed a coſta tertia intropreſſum, & vi ſanguinis protruſum infra, ſupraque eandem.

Secundo, Aneuryſmata inveni bis intus oſſea, non quidem continuitate, ſed veluti per inſulas difformes. Magni *Wepferi* Aorta ſic inventa eſt, ut tabula vitæ ejus præfixa exhibet. Plurimi alii id ita invenerunt.

Tertio, Aneuryſma loco mutari poteſt, ut diſparuiſſe quis crederet, niſi revera adeſſe ſymptomata demonſtrarent. En notabile exemplum! Subtiliſſimus Anatomicus, præſtantiſſimus Medicus, candidus Amicus meus, C. H. *Velſe*, egoque, anno 1753. quinquagenariam mulierem ſæpius examinavimus, cui citra manifeſtam cauſam inter 2. & 3. coſtam, ad læva ſterni, Aneuryſma aderat. Id tamen integro ante mortem menſe penitus delituit, ut videretur diſparuiſſe. Symptomata tamen continuabant. In cadavere Aneuryſma inventum, quod angulum Aortæ dictum occupans, tres forte pugnos magnitudine æquaret. Tunicas habebat haud craſſas, ſed veluti lamellas albicantes, haud cohærentes inter ſeſe, ſed quaſi alias ad alias adpoſitas, quo magis internas, eo magis fuſcas. Nucleus ſacci, grumoſus ſanguis erat, ita tamen ut nonnihil ſpatii in eo pervium eſſet, quo ſanguis, corde miſſus, per Aortam deſcendentem transflueret.

Quarto, ſunt aliquando Aneuryſmata compoſita, ut haud ita pridem publice demonſtravi. In Noſocomio dicto *Becken-hauſel*, in viri cadavere invenerat mi-

mirum hoc ſpectaculum expertiſſimus ibidem Phyſicus *A. Störck*, vir ad illuſtrandam ſectionibus anatomicis Medicinam natus; dumque rari, utiliſque, quiddam invenerit, quo univerſum ſtudium medicum inde promoveatur, id intactum ad me mittere ſolitus. Porro Aneuryſma iſtud erat in Aorta ab ipſo corde inchoans, & ultra curvaturam pergens, oſſeis inſulis craſſioribus inſtructum. Ubi nunc Aorta ex curvatura in rectum eſſet abitura, removebatur ſenſim a dorſo, ita ut demum inde ad duos pollices latos aberraret. In cauſa erat ſaccus, ex poſtica parte ejuſdem Aortæ deſcendentis enatus, orificio pollicis diametrum habente. Porro ex hoc orificio creſcens ſaccus, habebat quatuor pollicum longitudinem, craſſitiem vero binorum, explebatque accurate cavum id, quod dorſum inter Aortamque intereſſet. Quod vero adhuc mirabilius, inter quartam ac quintam coſtas idem ille ingens ſaccus primo removerat, valido pulſu ſuo, haſce a ſe mutuo coſtas, intercoſtales muſculos deleverat, tumque inter remotas ad ſeſquipollicem a ſe mutuo has coſtas tranſeuns, mox ſupra eaſdem explicaverat ſe in ſaccum manui integræ magnitudine parem. Neque veſtigia invenire fuit muſculorum dorſi ſecus ſpinam, & ultra; craſſa demum ſubſtantia, eademque fungoſa hunc ſaccum externum demum terminabat. Ipſe vero ſaccus, dudum ante mortem haud pulſans, cruore grumoſo atro, tum intra, tum extra thoracem, totus infarctus fuit. Haud multum diſſimilem caſum doctiſſimus *Noordwyk* habet in præfatione ad *Franciſci Solani Obſ. de Pulſu.*

§. III. Ut arteriarum, & cordis Aneuryſmata dari, tum paſſim ſcriptores Medici, tum præprimis *Lanciſius*, & denique Ill. noſter Præſes *in Comm. Tom.* 1. ad §. 176. pluribus evicere exemplis. Addam quæ viderim ipſe. Nauta, vir mediæ ætatis, levi ſarcina onuſtus, iter unius horæ pedes confecerat, indeque per-

perceperat cordis palpitationes. Venæ ſectio interim, lenia ſolventia, blanda neurotica, effecere, ut conſcendere denuo, ac gubernare navim poſſet. Ter quater in anno recruduit quidem paroxysmus, ſed ad eadem auxilia iterum conticuit. Intermedio vero tempore, atque id quidem integri quadriennii ſpatio, ab omni incommodo immunis fuit; leviſſima mali admonitione, ad majores animi corporisque motus, tantummodo percepta. At vero quinto demum anno continuarunt inſultus. Quum igitur tribus ferme menſibus vix remiſiſſent, Exp. *Velſe*, ordinarius ægri medicus, qui ſuis in difficilioribus me, ut ego illum, amice conſulere ſolebat, ad ægrum me adduxit. Horrui ſane hominem videns, lividum, anxium; inæqualem habentem, ac tremulum, pulſum. Et ſi ipſi manus ad præcordia, ad ſternum, ad 7. & 8. ſiniſtri lateris coſtam, præcipue vero earum ad arcus, admovebatur, percipiebamus inæqualem, tremulum, ingratumque penitus motum: exceptis ſex ultimis vitæ diebus, quibus nullus unquam pulſus obſervari potuerat.

Cadaver luſtrantes multam invenimus in cavo pectoris dextro, putremque, aquam, ac pulmonem, medio lobo excepto, totum fere purulentum; in ſiniſtro vero cavo pulmonem a corde maximo ita compreſſum, ut aëra ægerrime capere potuerit. Cor enim ad minimum triplo majus ſolito erat, mucrone quam baſi latius. Omnium autem maximus ſiniſter ventriculus, ad mucronem ampliſſimus, at vero extenuatus adeo, ut levis modo membranula albeſcens, facile disrumpenda, ibidem ſupereſſet. Cæterum ſanguis concretus, vehementerque tum polypoſus, tum cordis parietibus, columnisque, accretus, cavum hoc explebat. Cordis vero dexter ventriculus, & binæ auriculæ, ſinusque, arteria pulmonalis, utraque cava vena, polypos firmos longosque continebant.

§. IV.

§. IV. Sed ne longus ſim, ſufficiat hæc exempla attuliſſe, ut vera Aneurysmatum idea habeatur. Collectores caſuum quidem, *Borellus*, *Schenckius*, *Paræus*, *Hildanus*, *Bonetus*, *Mangetus*, plurima exempla attulere; verum cum ad præcedentia jure referri queant, recenſio eorum non uſui, ſed oneri, foret. Practice modo ex iis agendum eſt.

Ac primo quidem quæritur, cur multa Aneurysmata tenues tunicas, alia craſſiores, alia denique easdem lamellatim diſpoſitas habeant? Polypoſus ſanguis ejus eſt naturæ, ut ejusdem adplicatione tunica arterioſa adpareat longe craſſior. Deinde ipſæ arteriarum tunicæ a ſe mutuo diſcedere queunt, geruntque nonnunquam inter ſeſe ſanguinem in lamellam compactum. Tandem in degeneratione partium, ut alibi, ita & hic, novæ membranæ ex veteribus enaſcuntur, ejusdem fere cum naturalibus ſubſtantiæ. Veſicam felleam inveni in ſeptem loculos membranoſos diviſam, quorum quisque magnum gereret lapidem. In antiquis Herniis vidi Operatores ſudantes, dum 10. 12. 20. & plures, membranas ſolvere deberent, priusquam verum Peritonaei ſaccum attingerent. Ubi vero ſanguis modo in ſacco grumeſcit, vel potius paulo tantum ſpiſſior fit, tunicam mole non auget, ſed extendit duntaxat, idque nonnunquam adeo, ut ruptura ſubſequatur letalis.

Secundo. Cur haud adeo tutum eſt Aneurysma frequentius tractare manibus, & curatius examinare? Pluribus de cauſis. 1mo. Quia eo modo reprimimus ſanguinem verſus cor, caput, &c. unde haud raro ingentes anxietates, ſuffocationes, vertigines. 2do. Quia filamenta, ac fragmenta polypoſa, preſſione ad arteriæ axin ducta, impetu ſanguinis facile abripiuntur, inque vaſa minora impulſa, circuitum humorum in iisdem intercipiunt. 3^{tio}. Quia ſic tunicæ teneriores ſolvi queunt, letalemque hæmorrhagiam producere.

Ter-

Tertio. Cur ſæpe non pulſat Aneurysma? 1mo. Quia ita ejus tunicæ incraſſari poſſunt, ut impulſi cruoris effectus exterius non percipiatur. 2do. Quia tanta tunc adeſt in ejus ſinu grumoſi ſanguinis copia, ut pulſus ſuffocetur. 3tio. Quia ſenſim impellentis cordis vires minuuntur; unde licet reliquis in arteriis pulſus quisquam percipiatur, vires tamen cordis debiliores ſunt, quam ut per incraſſatas tunicas, ſanguinemve concretum, pulſum exterius percipiendum producerent. Jam ſimile quid ſuſpicatus *Paræus* erat.

Quarto. Undenam Aneurysma ita loco mutari posſit, ut antiqua in ſede ultra non inveniatur? An non ubique ligamentis enatis ad vicinas ſe partes annectat? Aneurysma, ita loco mutatum, internum fuit, ut pag. 250. patuit. Hinc magnum illud, ac ponderoſum, dum in parte averſa ponderis forſitan augmentum fit, eo verſus tota mole propendeat, antiquæ ſedis ligamenta elonget, eamque vacuam relinquat, oportet. Caſum hunc noviſſe juvat, ne forſan relationem manifeſti Aneurysmatis dubiæ fidei habeamus, illud ultra non invenientes. Quanquam ſymptomatum perſeverantia cum Anamneſi priore conjuncta, Aneurysmatis præſentiam abunde demonſtret. Mutatione autem loci hoc Aneurysma fæminæ multo moleſtius fuit, cum moles quondam foras extans, jam vero introverſa, reliqua magis premeret, angeretque vitalia. Qua ipſa de cauſa compreſſio artificioſa mortem acceleravit Canonico, de quo *Lanciſius* part. 1. Lib. 1. cap. 2. prop. 28. Quare cum eodem autore concludimus quascumque externas Aneurysmatum compreſſiones fatales eſſe, niſi oſſe probe ſuſtineantur: tum quod hinc cavum internum anguſtetur, tum quod Aneurysma interius nunc minus ſuffultum, facilius findatur.

Quinto. Quæ cauſæ, quod Aneurysma cordis aliquo tempore Nautam vexaverit? & notabili iterum tempore non vexaverit? Cur iterum elapſo quadriennio

nio continuo ipſi moleſtum fuerit, ac mortem tandem intulerit?

Inchoans cordis debilitas, principium Aneurysmatis illius ponens, venæ ſectione, diluentibus, paregoricis, & quiete, emendata fuit, ut jam inter vim impulſorum humorum, & contrahentis ſe cordis, æquilibrium reſtitueretur. Plethora poſt aliquot menſes elapſos renata, ſuperabat denuo debilioris cordis vires: hinc renata ſenſim Aneurysmatis ſymptomata. Cura autem eadem æquilibratam poteſtatem reſtituens, ſymptomata abegit. Ita potuit hac cura palliante homo ille quatuor annos illos ſat commode tranſigere: *palliante*, ajo; cum cor ſemper debilius exiſtens, quam ut aliquam plethoram promoveret, proëgumenam cauſam futuri Aneurysmatis perpetuo in ſe gereret. Demonſtrabatque hanc ipſam proëgumenam cauſam, levior ille morbi reditus, ad rarefactos adeoque ſpatium ſibi amplius poſcentes, in animi ac corporis validiore motu, humores; rarefactione ceſſante denuo pacatus. Ultimis vero tribus vitæ menſibus debilitas hæc cordis tantopere increvit, ut ultra contrahere ſe non valuerit, ſed amplificari ſeſe, extenuarique, vi, & pondere ſanguinis, permiſerit; unde vitæ perfecta eſt orta quies.

Quinto. Undenam tremor explorante digito perceptus, &, ſi aliquantum continuatur, ingratus, Aneurysmatis, præcipue ejus quod in brachio eſt? Iſque tamen in uno, quam in alio, major? Difficilis eſt problematis ſolutio: ſed ad finem, enarratis primo aliquot practicis caſibus, facilior forte patebit reſponſio.

§. V. Morbi atrocis nunc proponenda cura eſt, eaque ſive perfecta, curatoria dicta, ſive pallians tantum. Ac primo quidem ea Aneurysmatis interni.

Si undique colligamus obſervata, & omnia unquam data remedia; ſi quæcumque dicta ſpecifica; ſi ſucceſſus

ceſſus bonos, tam celebratos Antiquis, quam nobis obſervatos, expendimus; clare comprehendimus cardinem rei verſari in eo totam, ut quod ſolida inter fluidaque deſideratur, æquilibrium reſtituatur. Dum id reſtituit Medicina, vel *curative* id facit, vel *palliative*. Palliative, ſi, reſtituto æquilibrio, cor, arteriave, debilis eſſe perſeveret, ipſumque æquilibrium reſtitutum non ſit, niſi copia imminuta humorum, ac morbus actutum redeat, dum vel copia, vel rarefactio, molem humorum iterum auget. Cura vero curatoria ſive integra fit, ſi reſtituto palliative æquilibrio, Ars noverit debilitatis ſolidis priscum robur reſtituere, amplificatis priſtinam reddere diametrum. Id & poſſibile eſſe, & nonnunquam præſtari, tum ratio ſuadet, tum experimentum confirmat. Facta enim ejusmodi evacuatione, quæ æquilibrium ita reddit, ut quod olim ratione ſolidorum deficiebat, nunc potius ratione fluidorum aliquantisper deſideretur; fieri poſſe id videtur, ut ſolida, contractilitate adhuc ſua donata, in priscam ſe formam reſtituant: præſertim ſi & copioſe, & aſſiduo, tam alimenta quam medicamenta ingerantur, quæ ſpiſſitudini polypoſæ, in dilatata parte hoſpitanti, diluendæ, apta nata ſint. Curæ feliciter peractæ jubent hæc aliquando fieri credamus. Cæterum pallians cura, ſatis abundeque fortunatam ſeipſam exiſtimaret, ſi noſſet humores & paucitate, & tranquillitate perpetuo ineptos reddere, ad tollendum æquilibrium. At vero, quandoquidem ita cum mortalibus eſt comparatum, ut ſex rerum non naturalium uſus nequeat ſemper æque moderatus manere; hinc cum redintegrantibus paroxysmis toties hi ægri luctantur, donec demum ſuffocati, fatis cedant.

Sed in ipſa cura magna differentia. In Noſocomio habemus, qui in antiquiore morbo, inſigni levamine gaudeant; habemus, qui in recenti vix gaudeant ullo. Ratio videtur ſuadere hos longe citius ad immedicabilem

bilem conditionem adoleviſſe. Dantur enim, quibus malum incredibile quantillo creverit ſpatio! Ipſe *Lanciſius*, cum examinaret cadaver veſtiarii, quem Aneurysma, a ſterni contuſione oriundum, intra anni ſpatium e vivis eripuerat, detexit anguli Aortæ Aneurysma, Punicum malum magnitudine æquans, quod os ſterni elevaverat, & carie penitus excavaverat.

Cæterum ſi utcumque medicabile malum eſt, humorum repetitæ evacuationes, ſapones acidi, ut Tamarindus, variorum fructuum acido-ſaponaceorum Rob dicta, Nitrum copioſum, Cremor tartari; & quia id hominum genus ſpasmis admodum torqueri ſolet, gummi ferulacea, & Opium; Diæta cæterum blanda ex jure carnium tenuiore, carnibus teneribus, fructibus horæis, oleribus ſaponaceis; tum denique magna animi corporisque quies, calamitoſum hunc morbum ad tempus notabile, ſæpe etiam per annos, tolerabilem reddunt.

§. VI. Sed eſt alia adhuc ratio, hic neceſſario memoranda, cur in ſuſcipienda horum ægrorum cura minus deſperare debeamus. Quippe plures morbi hunc ipſum ita ſimulant, ut ſæpe protopathicus eſſe credatur, quem vel ipſa curatio, vel cadaverum ad alias morborum cauſas rimandas examen, deuteropathicum duntaxat vel ſympathicum eſſe demonſtrent. Adeo quippe facile hic morbus ludit medentes. En quæ ipſe expertus!

Ætatis Centurio florentis, temperiei bilioſæ, illibatæ quondam ſanitatis, ſed a triennio ad Melancholiam ex animi ægritudine diſpoſitus, cepit demum, anno 1757. ineunte, cordis palpitationibus vexari: quas eo tempore tamen venæ ſectio, ac purgans, brevi, & integre, ſedabat. Æſtate idem malum paſſus, eodem ſanatus auxilio fuit: labente demum anno repetens illud nulli auxilio ceſſit. Operam navantes peritis-

ritiſſimi Medici inanem, jure ſuſpicantur vel Aneurysma cordis, arteriarumve majorum, vel Polypos iisdem innatos, vel & geminum hoc malum, adeoque difficulter ſanabile, hic adeſſe.

16. Jan. 1758. in conſilium vocor; quo die perbelle ſe habebat, ſed animo corporeque adeo mobilis, ut a meo, quem anhelus expectabat, introitu, & adſpectu, graviſſimum mox paroxysmum pateretur. Cor percipiebamus horrende palpitans, pulſum parvum, & admodum inæqualem, tuſſim cum ſputo mucoſo, lotium lateritio cum ſedimine. Profecto teterrimi mali jam annoſa diuturnitas, ſedamen intermedium olim quidem habens, jam vero perennis, peſſimisque ſtipata ſymptomatibus, ideam, quam præſtantiſſimi viri de eo formaverant, omni ex parte confirmare videbatur.

Nihil enim mutare hanc ideam poterat immunitas aliquoties obſervata morbi, cujus cauſa mechanica crederetur perpetuo adeſſe. In Lienis, Hepatis, Ventriculi Cerebri, morbis, intervalla optima obſervamus, dum interim in cadaveribus cauſam mali perpetui magnam, ſufficientem, eamque diuturnam detegimus. Imo in Nauta de quo antea actum, pag. 251. præſentem perpetui mali cauſam a morte deteximus, cum tamen cauſa hæc toties in vita effectibus caruisſet. Nec tuſſis, Pulmonis affecti ſymptoma, huic ideæ contraria fuit, imo potius confirmabat eandem; 1mo. quia in Aneurysmate circa vitalia tuſſis ejusmodi frequens nobis obſervatur. 2do. Quia ejusdem dudum meminerat in hoc morbo *Lanciſius*; eamque validæ Pulmonum compreſſioni & irritationi, tumentibus vitalibus oriundæ, adſcripſerat.

At vero cum in his decipi facile, praxisque nos doceat, vitalia nonnunquam tam valide ſecundario affici, quam ſi primario afficerentur; cum præterea *Boerhaave* §. 826. & ſeqq. Inſt. Med. notaſſet palpitationes

nes cordis violentas originem ſpasmis aliquando debere, vel etiam „irritationi fibrarum cordis, ab acri „ quodam ſtimulo factæ, ut in cacochymica materie „ mota" ſententiam aliquo modo lenivimus, dubiam protulimus, abjectumque ægri animum aliquantula ſpe ereximus.

Impugnare igitur malum iis intendimus, quæ cuicumque proforent cauſæ; ſaponibus acidis, nitro, neuroticis, opio. Quibus equidem proderamus utcumque, lucida tamen intervalla diris exacerbationibus turbari ſæpe dolebamus. Quin imo ruit in pejus malum. Pulſabant haud vitalia modo, ſed & Abdominis viscera. Interim miramur inſolitum phænomenon. Vomitus enim violentus, qui ex natura ſua hic letaliſſimus videri debuiſſet, palpitationem ſedavit, pulſum æqualem reddidit, & tranſpirationem dudum abſentem reſtituit; non ea die duntaxat, ſed ſex integris poſtmodum ſeptimanis. Interea tamen male ipſi fuit a tuſſi violenta, ſicca, rebelli; a reſpiratione laborioſa; a pulſu, citra palpitationem, inæquali, & nonnunquam, rarius licet, intermittente. Sputa tandem craſſa, flavo-viridia prodiere; a quibus tuſſis quidem mitior, ſed notabilior languor, horror, frigus extremorum, & calores nocturni, anxietatesque enormes. Tuſſi demum ceſſante mobilis materiæ ſtrepitus in pulmone exaudiebatur, perſeverabat anxietas. Kermes minerale, & quotidianum clysma, hic proderant.

Martii 10. expectoratione ſponte ceſſante, dirus rediit, qui a 24. Januarii ſiluerat, palpitationis paroxysmus; quem denuo vomitus, ut olim, ſed non tam integre, ſolvit. Vehementiſſimus autem paroxysmus decimo ex illinc die recruduit. Epigaſtrium quoque ab aliquot retro ſeptimanis intumuerat, jam vero totus venter tumidus, tenſusque, deprehenditur. Cataplasma emolliens 3. Aprilis impoſitum profuit, ſucceſſitque alvus flava quidem, ſed multo glutine, mul-

tiſque duris, & ex flavo viridibus, fæcibus referta. Idem & 4. Aprilis contigit; ſed eo cum eventu, ut vera jam accederet mortis imago: cordis pulſatio, virium collapſus, pulſus debilis, intermittens, atque omni modo inæqualis, frigus extremorum. 5. Aprilis Reſpiratio parva, inæqualis; pulſus exilis, intermittens, tremulus, facies vere Hippocratica. Dumque jam mors adſtare præ foribus videbatur, alvus prodiit libera, fœtidiſſima, nunc nigra, nunc viridescens; idque ea nocte octies. En vero ejus ſtupendos effectus! Mox ceſſarunt quævis ſymptomata, vires ad horam crevere, & ſanitas tam cito rediit, ut 4to. Maji gratias DEO acturus, templum adiverit, meque poſtera die cum ſuo ordinario Medico *Störck* inviſerit, perfectam ſuam valetudinem teſtatus, nec a conſcenſu 46. graduum, quibus ad me conſcenditur, vel quidquam defatigatus, aut anhelus. Manſit ipſi integra ſanitas, donec hyemali tempore, milite ad bellica exercitia coaptando, in Hungaria ſeſe defatigans, ægrotaverit, perierit.

Luculentiusne exemplum haberi poteſt deuteropathici morbi, tam perfecte protopathicum æmulans? Atra bilis per vices mota varios hos paroxysmos excitaverat. Atra bilis tota in motum ducta, mortis ad limina hominem duxit; integre tamen expulſa, corpus reliquit ſanum. Partitim mota, vomitu expulſa eſt; mota integre, alvo.

Eſt igitur exemplum ejus, quod laudato mox loco optimus *Boerhaave* de cacochymica materie mota dixerat: ſed cum deuteropathicum, vel etiam ſympathicum morbum hunc, protopathici adeo æmulum, a miris nervorum affectibus deducit, en ejus quoque manifeſtum exemplum!

Juvencula fœmina ad Noſocomium noſtrum acceſſit, multis ab annis vehementi cordis palpitatione, anhelitu, anxietate præcordiorum, tuſſique vexata fre-

frequenti; artis interea opem fruſtra eo usque experta. Cum alvo ab octiduo careret, enema immitti jubeo, alia interim paraturus. Sed interim moritur. In cadavere publice examinato vitales partes ſanitatem illibatam adeo referebant, ut nihil illibatius. Neque quod toto corpore tam in ſolidis, quam in fluidis accuſaretis, quidquam erat; præter geminam, ſed leviusculam, Pulmonis ad Pleuram adhæſionem, & tres lumbricos teretes in Ileo inteſtino. Porro & cum his lumbricis, & cum longe latioribus Pulmonum adhæſionibus millenos homines ſaniſſime vivere, Anatomicis compertum eſt. Ut proinde cum *Boerhaavio* §. 826. concludamus: „ Cauſa ejus plerumque eſt, inordina-„ tus, & violentus ſpirituum vitalium in cordis villos „ impetus, &c.

§. VII. Porro morbi hi aneurysmatici, eorumve ſimillimi, hic loci frequentiſſimi ſunt, multamque horum varietatem exhibent. Sunt duo in Noſocomio homines qui, omnibus rite perpenſis, protopathica vitalium affectione laborare videntur, quibus tamen a validiore motu nec intermittat, nec remittat, nec inæqualis ſit pulſus. Alterique horum, qui 17. annos natus, ex hortorum forte cultura hunc morbum contraxit, jamque triennem habet, vehementiſſima cordis adeſt pulſatio, ut viſu, audituque, percipiatur; Præcordiorum præterea, & ad arcus potiſſimum 3. & 4. coſtæ, ardor continuus; carotidum ambarum, totum collum concutiens pulſus; tumor colli ingens, pulſansque; pulſatio ad ambas inguinales tanta, ut tangentium digiti vi repellantur; pulſus ad malleolos tantus, ut dormientem continuo excitet, ſomnumve præprimis impediat; idemque ad temporales arterias obſervatur. Eſt igitur univerſalis fere Aneurysmatica diatheſis. Egregii *Lanciſii*, aliorumque obſervatio, ponens, quo diuturniora validioraque Aneurysmata ſint, eo locorum remotiorum arterias debiliores &

exiliores eſſe, in hoc juvene proinde locum non habet.

§. VIII. Atque hæc ſufficiant, ut quæ circa Aneurysmata interna nos noſtra obſervata docuiſſent, communicaremus. Supereſt modo obſervationes itidem noſtras circa externa patefacere.

Notabilia exempla horum duo in Noſocomio proſtabant hoc anno, ex imprudenti venæ ſectione, reſiliente inſtrumento peracta, nata. Fœminæ ambæ erant, juvencula, & vetula. Vocabo utrumque Aneurysma ſpurium. Præmonitos enim lectores velim, me hic loci haud immorari iis, quæ viri egregii *Freind*, *Monroo*, *Foubert*, aliique, contra communem Aneurysmatum in ſpuria, ac vera, diviſionem, haud absque aliquo rationum pondere, ſcripſerint: ſequar modo eam utriusque definitionem, quam, poſt *Sennertum Boerhaave*, Illuſtr. *Præſes*, & *Heyſterus*, adoptarint.

Aneurysma hoc ſenſu ſpurium, homo, minime Chirurgus, fœminæ juvenculæ conciliaverat in dextri brachii arteria humeraria, mox ante ejus in Radiæam, & Cubitæam, diviſionem; quemadmodum in operatione patebat. Tremor modicus tangendo percipiebatur, & tumor ſenſim increscebat. Pulſus in carpo debilis: idque ut poſtea patuit, naturaliter. Cum tumor augesceret, operatio concludebatur; variarumque methodorum tum præſtantia, tum periculo, rite penſitatis, compreſſio debita cæteris prælata eſt. Arridebat equidem interceptio, quod & felix ſæpe, & optimorum in arte gauderet ſuffragio; verum cum nonnunquam id periculi involveret, ut circulatio ſanguinis ſubjecta in parte aut multum læderetur, aut penitus deleretur; cumque e contrario artificioſa compreſſio quoad curam æque ſecura eſſet, nec hisce tamen ſociata periculis, hanc ipſi prætulimus. Eſt porro paucis ſuper illa differendum.

§. IX.

§. IX. Compreſſio Aneurysmatum, quæ oſſa ſibi ſubjecta habebant, ſtipticorum ſuffulta auxilio, multo priscis in uſu, eviluerat; quod inanis, quod uſu caſſa, quod etiam aliquoties damnoſa eſſet inventa. Induſtria vero humana, tandem periculis edocta, & infortuniis monita, didicit hanc ipſa interceptione præſtantiorem reddere.

In commercio literario *Norimbergenſi* anni 1732. pag. 107. & ſeqq. optimus *Hamberger*, in inclyta Academia *Jenenſi* celeberrimus, ac vere doctiſſimus Medicinæ Profeſſor, curationem Aneurysmatis ſpurii feliciſſimam cum publico communicavit. Aneurysma hoc ignarus omnino Chirurgus, venam Baſilicam tundens, produxerat; pertuſæ arteriæ manifeſtiſſima cæteroqui ſigna ne advertens quidem. Curatio hæc peracta eſt primo adpoſitione comprimentis arteriam humerariam funiculi, dein ſufficiente dilatatione loci affecti, & denique adplicatione chartæ maſticatæ, liquore ſtiptico Deppelii madefactæ, ad ipſum arteriæ vulnus: ita quidem, ut chartæ maſticatæ lamina prima minima eſſet, altera paulo major, tertia major priore, & ſic porro; donec ſufficiens laminarum altitudo haberetur, quæ circumductis fasciis apte ad vulnus appreſſa maneret: adſtringente interim pulvere totum explente vulneris cavum. Publica disputatione Doct. *Emrich Jenæ* 1734. hanc curam propugnavit.

Vir eruditis omnibus carus C. S. *Trew*, S. C. Maj. ut & S. March. Onoldino-Brandenb. Conſiliarius & Archiater, Reip. Norimb. Phyſ. ordinarius, ſenior, Comes Palat. cæſareus, S. R. I. Nobilis, Acad. Cæſar. N. C. Director, Reg. Soc. Lond. & Berol. Scient. Socius, in Eph. N. C. vol. 8. Obſ. 126. ſimilem Hambergerianæ curam *Norimbergæ* anno 1747. exoptatiſſimo cum ſucceſſu intra menſis ſpatium perfecit. Anno 1748. eadem cum felicitate curam hanc repetivit, & *Eph.* N. C. vol. 10. deſcripſit. Ad aneu-

ryſmatum vero imprudenti venæ ſectione oriundorum intellectum, & curam, egregias, atque ad ipſam Naturam expreſſas, tabulas tres addidit, una cum nitidiſſima earum expoſitione.

Exp. Chirurgus *Foubert* Acad. Reg. Chir. Socius, dedit de Aneurysmate diſſertationem in Tom. II. *Actorum* ejusdem Academiæ, in eaque laudavit compresſionem externam in recenti, parvoque Aneurysmate: in majore autem & utcumque vetuſtiore ſuadet, ſuoque exemplo comprobat, operationem. Operationem autem hanc, ſi eſt arteriæ truncus, mera compreſſione perficit, ut ita evitentur infortunia, quæ ars aliquando poſt interceptionem luget; ſin autem vulnus in ramo eſt, intercipit illum, ligatque. Haud bene capio, cur ramum etiam compreſſione curandum non ſuscipiat, ſi truncum tuto noverit compresſione curare; ſed hæc non ſunt hujus loci. Illud autem ex hac diſſertatione patet, quod Autor ſuam operationem primo charta maſticata peractam deſcribat anno 1732. non adjungens quo præciſe anni tempore. Porro eodem anno publicæ lucis curationem ſuam fecit Cl. *Hambergerus*, quam exeunte anno 1731. perfecerat. *Foubertus* vero ſua non edidit niſi anno 1753.

Igitur compreſſio arteriæ pertuſæ, celebrata Veteribus, feliciter peracta a *Sculteto* anno 1631. primo compreſſione trunci, tum ſpongia uſta, adſtringentiſſimo pulvere conſperſa, ad vulnus arteriæ admota, dein conveniente ligatura firmata, & denique artificioſe excogitato inſtrumento, quod ipſum D. *Morand.* Tom. 2. *Act. Acad. Chir.* impenſe laudat, adpreſſa; Hæc, inquam compreſſio, a *Dioniſio*, ab *Heiſtero*, aliisque commendata, deinde a Cl. *Hambergero* anno 1731. facta, & 1732. promulgata; anno 1732. a *Fouberto* primum *Pariſiis* inſtituta quidem, at vero non niſi 21. poſtmodum annis cum publico communicata eſt. Interea temporis *Cl. Trew* bis hanc curam per-

perfecit, longe antequam ille Acad. Pariſ. tomus ſecundus in lucem prodiit.

In hoc porro tomo duæ eruditæ diſſertationes de Aneurysmatis curatione habentur; quarum altera laudata jam ſæpius illa *Fouberti* eſt, altera celeberrimi in arte *Morandi:* Morandiana hæc præter alia id novum habet, quod ad *Agaricum* pertinet. Nempe poſtquam Chirurgus *Broſſard* arcano ſe pollere indicaſſet, quo arteriarum hæmorrhagiam quamcumque tuto ſiſteret, tentamen ejus & adplicatio facta eſt finiente anno 1750. idque in arteria brachiali gladio pertuſa. Arcanum ſuum Chirurgus adplicuit vulneri: quo facto, ſimplici ligatura curabatur ſpatio menſis id Aneurysma. Erat autem arcanum hoc remedium *Fungus Agaricus pedis equini facie*. Ter jam ſibi experimentum ſucceſſiſſe, aliisque præterea Chirurgis, *Morandus* aſſerit: equidem & citra Agaricum bis ſeſe, aliumque haud ita pridem Chirurgum, ſola compreſſione arterioſi ſanguinis impetum repreſſiſſe; Agarici tamen vires vel ideo præſtantiores eſſe, quod compreſſione utcumque laxiore, Gangrænæ propterea metum nunquam faciente, curam ſuam perficiat.

§. X. Plures ergo claros in arte viros imitati, curam ſpurii noſtri Aneurysmatis Agarici applicatione, & compreſſione, tentavimus. Egregius chirurgiæ Doctor, curisque tum graviſſimis, tum feliciſſimis in Auſtria nobilis, Dominus *Ritter*, cum aliis claris urbis chirurgis, ſua præſentia, conſilioque, aſſiſtebat Noſocomii Chirurgo *Leber*, qui operationem in ſe ſusceperat. Inciſo cum integumentis tumore, extravaſatus humor fere omnis ſponte excidit. Arteriæ vulnus, laxato inſtrumento tornatili, apparuit in eadem, ante ejusdem diviſionem, obtinere: ut profecto hîc caſus ille haberi triſtiſſimus potuiſſet, in quo, poſt conſuetam intercipiendi methodum, gangræna ſubſequeretur. Porro fuit & arteriæ, & aponeuroſeos musculi

bicipitis brachii, tanta cohæſio, atque coalitus, ut corpus fere unicum eſſet; ſola capſula, vaſa hic involvente, intermedia; at complanata eadem, & cum ſubjecto vaſe, impoſitaque aponeuroſi, unita: ita quidem, ut nullo intermedio cruore, vulnus unum idemque videretur eſſe, quod penetraret utrumque; utque laxata tornatili machina, per unicum duntaxat foramen ſanguis videretur ſcaturire. Hinc, cum aponeuroſeos perſciſſio dolorem creet, & ſuppuratione nimia deſtrui poſſit; cumque ii, quibus ſola compreſſione externa Aneurysma curatur, cum mutua vaſis, aponeuroſeosque, concretione, brachii motum expeditè abſolvant; Aponeuroſin conſervavimus, & communi vulneri pulverem Agarici inſperſimus, Fungi ejusdem lamellas, contuſione valida complanatas, deſuper poſuimus; eo quidem ordine, ut prima minor, altera major, tertia iterum hac major eſſet, ſicque ad talem altitudinem ultima lamina emineret, ut idonea ligatura brachio circumducta, totus firmaretur adparatus. Ipſum vero brachium univerſum, ut tunc, ita toto curæ tempore, vino aqua miſto fovebatur. Machina tornatilis poſt operationem relaxata, curam egregiam eſſe monſtravit. Emulſio paregorica pluribus deinceps diebus data, & jus carnis dilutum cum pane, unicum Medicamentum, & nutrimentum fuit.

Tribus elapſis ab operatione diebus, incipiens vulneris ob Junios calores fœtor deligationem ſuaſit. Apparatu quamvis prudenter ablato, cecidere nihilominus omnes Agarici lamellæ, ut nudus vulneris fundus conſpiceretur. Sanguinis porro nihil prodiit. Ergo inſtrumentum tornatile ſuſpenſa manu laxantes, dein plus, tandem integre, ne guttam quidem unicam transſudantem deprehendere potuimus. Gaudebamus ſane; cum eo alioqui animo eſſemus, ut, operatione irrita viſa, aponeuroſin ab arteria ſolveremus, fungumque, ac totum adparatum, nudæ adponeremus arte-

arteriæ. Quia vero res pro votis ſucceſſerat, aponeuroſin integram reliquimus. Cur ſub ipſa prima operatione eam non læſeramus, rationem ante dedimus. Confirmabatur ea noſtra intentio obſervatione *Fouberti*, qui eorum in cadaveribus, quorum aneurysma brachii ſola externa compreſſio quondam curaverat, quosque alii jam morbi ſuſtulerant, Aponeuroſin cum arteria coalitam invenerat. Igitur pulverem Fungi de integro inſperſimus, novas lamellas impoſuimus, & deligationem, ut antea, perfecimus. Spatio 14. dierum tota peracta cura fuit, ut modo deëſſet Epidermis, quæ quoque intra octiduum integra comparuit. Sæpius hanc fœminam poſtea vidimus, eamque nullum in movendo brachio incommodum ab adhæſione Aponeuroſeos pati deprehendimus.

§. XI. Altera, de qua dixeram, mulier vetula, ſpurium habuit, licet verum referre videretur, aneurysma; rationem mox exponam. Huic tumor longe minor, ſed tremulus motus longe major, eique, qui locum diutius digito explorabat, perquam ingratus. Non video qui in externis Aneurysmatibus hujus tremoris meminerint autores. *Paræus* ſuſurrum, ſonitumve, non tremorem, obſervavit. Tremor tamen iſte, quo blandiore digito tangebatur, eo diſtinctior; quo duriore, eo confuſior; ſi fortiſſime, nullus adparebat. Cum igitur intra 14 dies tumor vix augeretur, ſimplici tantum externa ligatura hoc Aneurysma curare anniſi ſumus, ſubere oblongo, eoque fornicato, ad tumentem arteriam adplicito, ac proba firmato ligatura. Quod ubi cum tantillo tumoris decremento ſpatio binorum menſium proſequeremur, tremor ſenſim ceſſavit, & corpus durum, fere rotundum, extrorſum convexum, immobile, tegere videbatur arteriam in loco vulneris: unde nullam habens moleſtiam fæmina, motu debito brachium exercebat.

§. XII. Cur vero ſpurium hoc Aneurysma vocem? Quæ

Quæ origo rotundi hujus, atque immobilis, ſupra vulnus, corporis? Undenam tremulus ille motus?

Ad primum reſponſio facilis; ad alterum & tertium vix certi quidquam habeo: ut tamen veroſimile quid proferam, licebit prius ex laudata *Fouberti* diſſertatione nonnulla proferre.

Dividit vir expertus ſpurium Aneurysma in *primitivum*, & *conſecutivum*. Primitivum vocat id, in quo actutum ad pertuſam arteriam tumor comparet, totum ferme brachium brevi occupans, citumque propterea, ne Gangræna & mors accedant, auxilium poscens. Conſecutivum autem illud, in quo quidem nullus a principio tumor, præ valida compreſſione, qua Chirurgus, mox ab infortunata ſanguinis miſſione, locum firmaverit; deinde vero tumor pedetentim obſervatur, dum ægro, Chirurgoque, maturius ovantibus, compreſſio ſolvitur, abjiciturque, ac conſueti motus brachio exercentur. Quo demum fit ut Aneurysma hoc ſpurium referat verum. Quo autem modo id fiat, en quî explicet.

Prima compreſſione, ut dictum, facta, jam & cutis, & adeps, & aponeuroſis, & capſula vaſa includens nervosque, & arteria ipſa, cicatricem communem formant; arteriæ tamen vulnus, cæteris tardius coalescens, rotundam aperturam ſervat, in qua hæret trumbus ſanguinis. Trumbus ille perfecte coalescit in unum cum arteria ſolidum, ſi adparatus ſufficiente temporis ſpatio adplicatus ſervetur; ſin minus, trumbus expellitur, ſequitur tunc ſanguis ſenſim tumefaciens accretas ſuperpoſitasque partes. Sanguis porro ille partes hasce elevans, & in determinato quodam ambitu ſolvens, parvum ac circumſcriptum refert tumorem. Eo rerum ſtatu tum pulſus, tum reprimendus digito tumor, verum Aneurysma, ſive arteriam minime perforatam, mentiuntur. Pulſus porro ille manifeſtus hic percipitur, quia ſanguis ex arteria per

hoc

hoc foramen in formatum hoc cavum impellitur; tumorem autem digitis reprimit, quod fluidus medio in tumore cruor per arteriæ foramen repellatur. Cenſet autem autor hanc ſuam theoriam anatome confirmari. Nactus enim occaſiones aptas, invenit in illis quidem, qui ſine perſectione integumentorum mera ambiente compreſſione, ab aneurysmate ejusmodi curati fuiſſent, dum aliis poſtmodum morbis periiſſent, arteriam, capſulam, & aponeuroſin, una eademque cicatrice coaluiſſe: in operationibus vero ſuis, quas ſæpius compreſſione externa haud ſufficiente inſtituere debuerat, ſacculum detexiſſe ſe ait, pro diuturnitate mali nunc majorem, nunc minorem; qui exterius formabatur inferiore aponeuroſeos facie, intus vero variis compacti ſanguinis lamellis, eo compactioribus, quo exterioribus, quique demum fluidum gerebat in medio ſanguinem.

§. XIII. His ex *Fouberto* præmiſſis ad tria data Problemata me converto. Ad I. dico, quandoquidem ex relatis tum noſtræ mulieris, tum ex pluribus apud hunc autorem hiſtoriis, arteriam totam pertuſam fuiſſe conſtet; & definitio ſpurii aneurysmatis id ſupponat; videor merito id noſtrum ſpurium vocaſſe, quantumvis veri naturam æmularetur. Confirmant id etiam alia *Fouberti* obſervata, quæ in eorum cadaveribus, qui olim ab aneurysmate perperam vero dicto curati, aliis deinde morbis occubuerant, demonſtrarunt ſtigma, ſive cicatricem in Arteriæ pariete interno.

II^da^. Quæſtio erat, quænam rotundi, atque immobilis, noſtra in fœmina tumoris origo fuerit? Videtur *Foubertus* jam explicaſſe, ut reſponſum hic repetere ſit ſupervacaneum. An vero ex hujus autoris theoria, anatome confirmata, reſponſio quoque haberetur, ad ſingulare illud phænomenon, quod clariſſimi viri, *Hamberger*, & *Trew*, ſuis in caſibus obſervatum notarunt,

runt, deſcripſerunt, ſed non explicuerunt? Prior in *Comm. Litt.* ann. 1732. ſic ſcribit: „ Apparuit (in ope-
„ ratione) tunc globus ex carne membranoſus, ſuper-
„ ficiei inæqualis, arteriæ adhærens, diametri duorum
„ digitorum. Hunc exploraturus, digitis parum com-
„ preſſi, ex ægroto quærens num dolorem percipe-
„ ret? Quod cum negaret, fortius preſſi, & ſic non
„ ſolum ab arteria ſucceſſive receſſit, ſed & in tribus
„ locis ruptus, ſanguinem coagulatum dimiſit ”. Poſterior vero ſic: „ Poſt hæc, inquit, magis magis-
„ que totam cavitatem a grumis, digitorum ope,
„ purgabat operator, ac denique quendam (tumo-
„ rem) paulo firmius ad locum arteriæ adhærentem,
„ & aliter conformatum, protrahebat, illi, quem
„ Domini *Jenenſes* in caſu ſuperius expoſito offende-
„ runt, valde ſimilem, articulum digiti magnitudine
„ æquantem, ſanguine congrumato pallidiorem, &
„ quaſi membranoſum, inferius præterea ſulco, arte-
„ riæ trunco procul dubio reſpondente, manifeſte
„ excavatum.

Igitur in noſtra fœmina, & in *Fouberti* ægris, & in caſibus clariſſimorum *Hambergeri* & *Trew*, hoc modo quo dixi, natum id corpuſculum? An, quod cum eodem nato nonnulli penitus curentur, alii curati ad tempus habiti, tamen poſthac, tumente brachio, inciſione indigeant; an, inquam, id ideo fiat, quod in illis ita corpus hoc cum arteria coagmentatum eſt, ut vis pellentis per foramen arteriæ ſanguinis nequeat illud ullibi, toto in ambitu ſolvere; in his vero illud alicubi ſolvit, ita ut per rimas has toto brachio longe lateque diffundatur? Videretur certe ex omnibus his obſervatis quid ſimile concludi oportere.

Ad III. problema, quod tremoris rationem poſcebat, reſponſio difficilis mihi videtur. Expoſitum mox corpus, immediate, firmiſſime, & calli veluti ope cum arteriæ corpore coadunatum, utique motu arte-

arteriæ in Diaſtole ac Syſtole afficitur, ſed cum obſequioſum præ duritie non ſit, fortaſſis ideo tantummodo tremit, non autem manifeſte expanditur contrahiturque: Jamque novus ſanguis aſſiduo ex arteria in hoc cavum impulſus, & a tremente hoc operculo repulſus, videtur quoque hinc tremorem augere. Binæ enim cauſæ continuo agitant hoc corpus ſuperpoſitum, quod ſua duritie non niſi leviſſime reagere, agique, poſſit.

CAPUT XXXI.

De Tympanitide & Hydrope Cyſtico Varia.

§. I. *Examen Tympanitidis.* §. II. *Hiſtoria Hydropis Cyſtici, ſive ſaccati, numeroſis cadaverum ſectionibus ſuffulta, cum explicatione* τῶν Ἐμμοτῶν Hippocratis. §. III. *Examen Doctrinæ* ſecundi Tomi Acad. Chir. Paris. *circa amplam ventris dilatationem, ſaccique, in hac ſpecie Hydropis: eaque occaſione cunctis emolumentis & nocumentis hinc methodi a Pariſienſibus propoſitæ, illinc Paracenteſeos, diſcuſſis; HÆC demum ILLI, quibusdam exceptis caſibus, præferenda forte videtur. Simul eorum ſententia de extirpando Ovario examinatur.* §. IV. *Quæſtiones Pathologicæ circa Hydropis originem & naturam.*

§. I. Peculiari capite XIV. de *Tympanitide* egi In præſentiarum nonnulla addere juvat, quæ ibidem dicta confirment; huncque morbum, qui debitæ cognitionis defectu frequenter adeſſe dicitur, dum minime adeſt, ab omnibus aliis rite diſtinguant.

Puer necdum ſextum ætatis annum integre explens, debilis, incedere necdum valens, a matre mihi ſiſtitur,

tur. Narrat illa quo momento quondam huic ſuo infanti mammam præberet, ſe ex nuncio improviſo nec opinatæ mariti mortis vehementer fuiſſe perterritam; obſervaſſeque paulo poſt flaveſcentem infantem, ac poſtliminio indies macriorem reddi: ventrem ipſi quoque intumuiſſe, idque ea lege, ut nunc plus, nunc minus tumeret, nunquam vero integre detumeſceret; jam vero a 30. diebus immanem excreviſſe in molem, cum rara, duraque alvo; ita ut quintus denuo dies, ex quo eam non exoneraſſet, laberetur. Examinavimus tunc puerum. Facie excepta macerrimus, ventrem adeo tumentem gerebat, ut ſuperius vix ſpatium pro Thorace relinqueret, inferius vero ſuper femora propenderet. Haud æquabiliter tamen extendebatur, utpote eminentiis pluribus, iisdemque globoſis & oblongis, inæqualis: parte nimirum dextra, eaque ſuperiore, eminentior, inde depreſſior, in medio denuo elatus; mox inde iterum planior, in ſiniſtra vero regione tum media, tum infima, vehementer extuberans. Percuſſus nihil undulationis, ſed obſcurum tympani ſonum, unde totus morbus nomen habet, referebat.

Quam veriſſime igitur *Boerhaave* poſt veteres docuerat Inſt. Med. §. 817. ex Ictero Tympanitidem facile naſci! Bile intra ſanguinem refuſa, inteſtinis deeſt neceſſarius, quo & agant & exonerent ſe, ſtimulus. Ergo expanduntur; & perſeverante, aut continuo repetente eadem expanſione, fibræ eorum demum fere paralyticæ fiunt, nec niſi duplicata vi reſpirationis, aut validiorum purgantium ſtimulo, commoventur ad evacuationem. Evacuata autem hæc inteſtina vix concidunt, quum vi contractili amiſſa, mox aëre extendantur, fæcibus dein tempore accumulatis, immanius turgeant, atque ita, ad exonerandum ſeſe, vi indigeant validiore quam antea. Cum paralyſeos hujus origo annoſior eſſet, triſtem prognoſin dabat

mor-

morbus. Cura tamen tentanda erat, eaque primum evacuando pallians, deinde roborando curans. Sed ſero venimus. Eodem die fatis ceſſit.

Inciſo abdomine, tumoris cauſam videbamus nec aëri deberi, nec aquæ, verum unice expanſis inteſtinis craſſis, & quemadmodum figura externa deſignaverat, hinc plus, illinc minus, dilatatis & impletis. Aëris porro immenſa copia, multumque durarum fæcum, eadem explebant. Hocque jam tempore & multa, & profunde tincta Bilis in veſicula fellea aderat, ut ſtimulare inteſtina potuiſſet; ſed dudum nata, & inveterata paralyſis, ſuborto atque agente poſthac ſtimulo, emendari nequivit.

Externa igitur, inæqualis ea, & tortuoſa ventris facies, ſedem Tympanias oſtenderat in inteſtinis eſſe; ſed non in quibusnam proprie eſſet? Hic Anatome craſſa inteſtina, aliis in cadaveribus cum craſſis & tenuia oſtendit nobis inflata. Quin & præternaturalis craſſorum decurſus, & flexura, omnem genuinæ morbi ſedis determinationem a priore, ut ajunt, negabat. Quippe in cadavere vidimus ſaccum cæci vix pollices duos capientem, ſuo cum appendiculo, non ſede conſueta, ſed aliena, verſus medium abdomen, locari. Colon inde aſſurgens, mox ampliſſimum, ad Lienem vergebat, indeque retro, verſus umbilicum reflexum, & hinc iterum viam ad ſiniſtrum Ileum petens, denuo oblique dextrorſum amplitudine ſtupenda aſſurgens, tandem ſacci ingentis, potius quam inteſtini forma, ad anum deſcendebat.

Si jam vetabamur ab externa ventris forma locum proprie affectum, vivente ægro, determinare; nonne eandem ob cauſam idem in aliis abdominis morbis, ut puta in colica dicta, vetamur; Etenim pluribus in cadaveribus coli figuram minime naturalem deteximus: ita quidem ut in nonnullis ad Hepar affixum, mox vel ad umbilicum, vel ad imam pelvim deſcendat, inde-

que aſſurgens Lienem petat, poſtea autem curſum conſuetum abſolvat. In aliis iterum alio atque alio invenitur hæc forma tortuoſa modo. Ita ut dolor verſus umbilicum tenuibus ineſſe creditus, haud raro ipſum colon occupet. Et experimentum capientes, inflando fortiter inteſtinum animalis, evidenter cernebamus illud & amplitudine & longitudine augeri, ſi determinato in ſpatio coarctabatur; nova in omnem modum, omnem in formam, volumina tunc producens. Qua etiam de cauſa toties in iis, qui calculo veſicæ perierant, & longiſſimos, & ampliſſimos, & maxime tortuoſos, ureteres invenimus, & jam in prioribus deſcripſimus; eo quod urina, ſecreta renibus, intrare veſicam prohibeatur. Elongat quippe illa, ampliatque ureteres; & cum hi elongati nequeant amplius in longitudinem porrigi, coguntur hinc inde in latus ſecedere, formare volvulos, elongantes, vel lacerantes, quæ ipſos involverat, celluloſitatem. Itaque protruſo cum Peritonæo deinceps, in remotiore longe plaga, nova productione celluloſae vicinis affigunt ſe, ac ſi perpetuo ibidem hæſiſſent: quemadmodum plura nobis exhibuere cadavera.

Sed ut ad rem; Proſpectus anatomicus hujus tympanitici confirmat eam, quam antea cap. 14. ideam ejus dedi. Sedes mali eſt in ipſo inteſtinorum cavo; materies, cum copioſis excrementis, aër eſt. Si in cavo abdomine aqua ineſt, ea a cacochymia corporis univerſa producitur; ſi aër, ab eroſo inteſtino. Cauſam remotam in hoc ægro, Bilis defectum cum *Boerhaavio* agnovimus, in aliis, iteratas Colicas, Ileumque, deteximus. Quippe in Colica clauſa dicta, & Ileo, inteſtina materie chyloſa, ac ſtercorea, tum & aëre copioſo, amplificantur, & elongantur, ita ut figura, decurſuque, mutentur. Repetitis his morbis tandem fit, ut licet homines poſthac ab iisdem curentur, inteſtina tamen priſtinam figuram nondum recuperent,

rent, atque ita cauſa prædiſponens ad Tympaniam maneat. Si inteſtinorum nervis ſuperſit nonnulla adhuc contractilitas; ſi etiam diæta talis ſit, ut non ingerantur alimenta, quæ multum aëris factitii, aut *Gas Helmontii*, in ventre generent; ſi nec duri cibi aſſumantur, nec ſegnis ſit alvus; Tympania non formabitur: ſin vero ita perierit vis inteſtinorum contractilis, ut plane ſit iners; ſi continuo a prava diæta inteſtina diſtendantur, diſtentaque maneant; erit demum, ex proëgumena & procatarctica cauſa combinata, cauſa proxima nata, nempe ipſa Tympanitis. Ex iisdem ſimul intelligitur, quod ſi omnis aër, ac fæculenta materies, expulſa fuerit, curatio tamen mali impoſſibilis ſit, ſi nervorum Meſentericorum ac Meſocolicorum paralyſis ſit irreparabilis. Cauſa enim procatarctica aſſiduo renascens, dat, cum hac perſeverante proëgumena, ſemper novam cauſam proximam.

§. II. Atque hæc dixiſſe de Tympanitide ſufficiant. Sequitur nunc conſideratio morbi, qui multa ſæpe habeat cum illa communia; Hydropis ſcilicet abdominis, ejusque potiſſimum, quem *Cyſticum*, ſive *Saccatum*, adpellare ſolemus. Hic ſane Hydrops inæqualitate notabili & miranda ventris fere Tympaniam æmulatur; caretque ille fluctuatione aquarum in multis, ut hinc eo ſit Tympaniæ ſimilior. Attamen reſonantia non adeſt: unde hinc hic ab illa internosci poteſt. Sed ſi collectores caſuum conſulamus, dantur caſus rariores, ubi Tympanitidi Hydrops dicitur comitatus eſſe, aut ſaltem superveniſſe: ſi id verum, & multis in cyſtis ille Hydrops colligitur, poterit reſonantia aëris ſuffocari ab aqua utriculis contenta, atque ita tota morbi alioqui clara idea, penitus confundi. Anamneſis bona, & exacta utriusque morbi cognitio, poterit hanc confuſionem utcumque emendare. Ut ergo utriusque morbi diagnoſis illuſtretur, juvat caſus plures miſerandos Hydropis recenſere, & practice de eo diſſerere.

Fœmina 30. annorum quartum infantem 21. Nov. 1758. feliciter enixa erat, ſed tertio a partu die lecto imprudenter ſurgens, frigus ſuſcepit: horrore inde atque ardore correpta, mox ſuppreſſa ſibi lochia percepit, ventrisque deinceps tumorem, atque dolorem. Dolor quidem poſt aliquot dies remiſit multum, tumor vero magna cum ventris gravitate perſeveravit. Acceſſit me menſe Aprili 1759. Quo quidem tempore cujuspiam liquidi fluctuationem, tum ipſa corpus ſiniſtrorſum vertens percipiebat, tum nos percutiente ventrem manu evidenter deprehendebamus. Sed, ut decurſus morbi docebit, omnis poſthac fluctuatio ceſſavit. Conquerebatur autem dum me primum accederet, moleſtiſſimam ſibi manſiſſe dextro in inguine duritiem, quam pugno magnitudine parem deprehendere potui.

Diagnoſis ergo evidenter docuit Uterum a ſuppresſis lochiis inflammatum, ſuppuratumque fuiſſe; ac forte ipſum, vel Tubam Fallopii, vel Ovarium, pure tumidum, inguini accubuiſſe, accreviſſe. Quam ſententiam immobilitas tumoris, quodcumque in latus ſe fœmina verteret, confirmabat. Prognoſis tum ex hac ipſa fœmina, tum ex multis aliis, quas habueramus, mulieribus, multiplex erat: vel puris intra ſanguinem timenda reſorptio, quo demum ſanguis totus corrumpatur, ac ſerius ocyus fœmina pereat: vel abſorpti puris per alia viſcera ſperanda excretio; unde perfectam conſequi ſanitatem notabilibus videram exemplis: vel etiam exitus puris in ipſo accretionis loco per inguen prævidendus, cujus quoque exemplum habueram: vel denique, ut pus introrſum erumpens, in cavum ventrem effunderetur, omniaque ibidem viſcera corrumperet.

Hunc ultimum eventum, quod frequens ſit, quodque eum tam graphice *Hippocrates* deſcripſerit, paulo attentius hic contemplemur. Ulcera demum hæc

ſunt,

ſunt, quæ Ἔμμοτα *Hipp.* adpellavit. Ita ut talia interna ulcera intelligenda ſint, de quibus ait in *Aphor.* 47. ſect. 5. Ἢν ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη, διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γένεσθαι. Quod *Almeloveen*, poſt plerosque interpretes ſic reddidit „ ſi uterus coxæ incumbens „ ſuppuratus fuerit, neceſſe eſt medicamentum in „ linteo carpto adplicari ". Hoc ſenſu *Oedipo* opus eſt, qui explicet. Nemo ex omnibus interpretibus rectius *Proſpero Martiano* verum ſenſum *Hippocratis* reddidit. Videatur is comm. pag. 460. Ita ut vera Aphorismi interpretatio hæc ſit: „ Si uterus ſuppura- „ tus ad coxam, vel inguen, accubuerit, neceſſe eſt „ cava ulcera interna fieri.

Ac primo quidem ipſe uterus brevi a partu ſanguine turgens, magnæque adhuc exiſtens molis, ſi inflammatur ac ſuppuratur, mole adhuc creſcit, fitque gravis, ac facile alterutrum in latus cadit, & inguini, ac verſus coxam, accumbit, accreſcitque. Tuba Fallopiana, ipſumve Ovarium, eadem de cauſa pure tumens, facile cum inguine, ac margine toto musculi obliqui externi concreſcit. Rebus ſic ſe habentibus, periculum eſt, ſecundum & *Hippocratis*, & omnium obſervata, ne hic fiant Ἔμμοτα, ulcera cava interna. Hinc *Hippocr.* Libr. de Nat. mul. cap. 6. 284. apud *Chart.* Ἢν αἱ μῆτραι ἅψωνται, πρόσκεινται· καὶ ἢν ἅψῃ, ὄψει σκληρὸν ὑπὸ τὸν κενεῶνα· καὶ ὀδύνη λαμβάνει τὴν νειαίραν γαστέρα, καὶ τοὺς κενεῶνας, καὶ τὰς ἰξύας. καὶ ἐς τὸ σκέλος ὀδύνη ἐπιπίπτει, καὶ ἐκτείνειν οὐ δύνανται· πολλάκις δὲ καὶ ἐκπυΐσκονται ἔμμοτοι γενόμεναι, καὶ ῥεόμεναι ἀποθνήσκουσιν, ἢν μὴ καύσῃς, ἢ τάμῃς. „ Si adhæſerint uteri, incumbunt. Et ſi atti- „ geris, durum quid ſub ilibus (ſub laterum mollitu- „ dine, ſub vacuitatibus abdominis) deprehendes; „ dolor imum ventrem prehendit, & ilia, & lumbos; „ & dolor in crus incidit, ut illud extendere nequeat. „ Sæpius vero uteri ſuppurantur, in ulcera cava in- „ terna mutati, & fluentes moriuntur, niſi locum vel

 „ uſſe-

„ uſſeris, vel ſecueris" ; ut nimirum pus ad exteriora alliciatur. Videte hæc omnia confirmata notabili hiſtoria *Malienſis* Epid. 5. pag. 1149. libr. *de Artic.* pag. 817. & 822. Edit. *Foëſ.* Deinde etiam Tom. VII. *Chart. Hipp*, pag. 684. 690. 740. 767. 813. Sed legendus ubique græcus modo textus; nam verſiones hic loci nihil valent. Vidi in cadavere puellæ, quæ clam pepererat, neglectaque fuerat, ſuppuratum uterum cum omento primo coaluiſſe in dextro latere, omentum hoc mire degenerans & incraſſatum coiviſſe cum ligamento rotundo uteri, cum vaſis nervisque cruralibus; ut longa patientia opus eſſet, antequam partes concretæ probe diſtinguerentur: fiſtulis, & ulceribus, maſſa tota penetrabatur.

Hisce ita conſideratis, caſum noſtræ mulieris incipimus intelligere. Ἔμμοτα quippe, ulcera cava, fiſtuloſa, interna, ipſi aderant, unde pus cavum ventrem occupabat; cujus forte tantillum, a vaſis bibulis reſorptum, quotidie in Urina adparebat. Attamen ſolum pus non adeſſe, ſed etiam magnam aquæ copiam, fluctuatio docebat; id quod inde natum facile intelligitur, quod vaſis lymphaticis, & Uterus, & Tubæ, & Ovaria, undique ſcateant; quæ vicino pure eroſa ventrem facile colluvie aquarum inundant. Suppurato utero plus ſimplici vice aquam cum pure in abdomine effuſam vidi.

Vires ergo optimæ cum adeſſent, Paracenteſin 24. Aprilis inſtituimus, eduximusque liquidi ſubvirideſcentis, turbidi, inodori, libr. 27. Venter videbatur jam integrè evacuatus. Conſtringens ventrem machina poſt meridiem paululum laxanda fuit, cum Reſpiratio, mox ab operatione liberior, nunc impeditior fieret. Bene ſe poſtmodum per omnia habuit; ſomno, viribus, adpetitu. Eductus porro liquor, in 14. magnis vitris collectus, intra 8. horas cepit floccos oblongos, albosque, a ſuperficie deorſum verſus formare,

&

& ſeq. die pus in fundo exhibere. Liquor tenuior ad ignem coagulabatur. Servavi hanc ſuis in vaſis materiem a 24. Apr. ad 5. Maji, & publico examini denuo ſubjeci. Nullus aderat fœtor, viridis, craſſa, flocculenta eſſe perſeverabat, ponens in fundo gelatinam ſpiſſam, nonnullis in vitris ſanguine, pure in aliis, mistam. 9. Maji, 15. proinde die a paracenteſi, phænomena omnia eadem manebant. Tenuior effuſa pars colorem ſyrupi violarum minime mutavit, iterato licet ſæpius experimento. Cum aceto non efferbuit. Spiritus nitri affuſus nullam effervescentiam, ſed inſulam coagulatam, ad quamlibet portionem affuſam, producebat. Portio vero alia in cochleari igni impoſita, mox abivit in coagulum. Serum ergo, ſeu Lympha coagulabilis, eroſis vaſis lymphaticis, maximam partem abdominis explevit, pus reliquam.

Ablatis tandem quæ abdomen per aliquot dies conſtrixerant fasciis, tumor in inguine dextro apparuit, & 18. Maji jam percipiebatur ab inguine ſurſum creſcere, & verſus medium abdomen pergere, tactu durus, & plane immobilis. Simulque adeo tumidus venter, quam ante Paracenteſin adparuiſſet. Auguſti autem 10. durities toto fere abdomine, excepta regione iliaca ſiniſtra, percepta eſt, ſupra umbilicum jam eminens, immobilis, inæqualis; ſed nec fluctuans, nec reſonans. Diuretica & purgantia menſibus Junio, Julio, Auguſto, data, eo usque profuere, ut res domeſticas ſuas, multorum liberorum mater, ſufficienter peragere poſſet. Septembri vero menſe tumor totum ventrem medium, ad cordis ſcrobem usque implet, ibidem capite adulti hominis major, & in latere ſiniſtro ad inguen usque porrectus; durus ubique, decem forte in locis globoſior, & depreſſior; nec fluctuans, nec reſonans.

Interim obſervamus, quod in primo Hydrope non fuit, musculos abdominales adeo molles ac flaccidos,

ut ſupra enormes hos tumores prehendi plicarique poſſint. An igitur, a prima ventris extenſione, musculi hi, totumque peritonæum, vim contractilem irreparabiliter amiſerint, & in perfectam paralyſin degenerarint? Plauſibile hoc argumentum deſtruit ſequens obſervatio. Tumores cyſticos fæmina quæpiam habere a quinque menſibus cepit, prima vice vitæ ſuæ, ante id tempus perfecte ſana; quæ tamen, tumidiſſimo cum ventre, flaccidiſſimos habeat Abdominis musculos. An ergo nervi dorſales & lumbares ab internis tumoribus ita comprimerentur, ut musculi abdominales hinc paralytici redderentur? Sed paralyſis ejusmodi adeſſe nequit, niſi ſimul & alias partes afficiat, quæ hic non afficiuntur. Ad nodum hunc ſolvendum plures primo caſus obſervandi erunt, pluresque cadaverum ſectiones faciendæ; unde eum nunc in medio relinquam. Id modo addendum habeo, quod in utraque hac fœmina Umbilici regio arcte videatur cum cyſtico tumore connexa.

Gravem nunc ordimur quæſtionem, qua petitur 1mo. An noſtra mulier novam ſubire paracenteſin debeat? 2do. An dictis cum remediis ſibi ſit linquenda? 3tio. An vero methodum minus palliantem, tutius curantem, qua illi ſuccurri poſſit, poſſideamus?

Intricata quæſtio reſponſum ſuſpendit, quum illud totam, qua late patet, quæſtionem, coram cernere debeat, cum omni ea varietate, quam varii caſus ejusdemmet morbi exhibent. Igitur plures primo recenſebo, ut reſponſio ad omnes adæquate adornetur.

Fœmina 50. ann. ritè perpetuo, dolorem ad inſtantia catamenia ſi exceperis, valens, anno 1758. finiente Septembri, cecidit ab altitudine 12. pedum; ita quidem ut toto ſiniſtro ventris latere impingeret in ligneum ſepimen horti, deinde, gravitante corporis trunco, hinc in terram inſiliret. Doluit inde venter, &, dolore mitigato, duri quidquam habuit, ſenſim creſcens,

cens, immobile, explens demum præcipuam ventris partem, doloremque medio in epigaſtrio creans. Altero menſe poſt caſum circiter elapſo, fœmina terrore valido, ac mœrore de incarcerato marito afficiebatur, ex eoque tempore ventrem univerſum tumere ſibi percepit, durum, quod antea, corpus ultra non animadvertens. Toto Aprili 1759. vix horæ ſpatio ſomnum oculis videns, nihil appetens, & ſi forte quid appeteret, illud compreſſo ventriculo non admittens, ægerrime reſpirans, ad noſtrum Noſocomium ducta eſt, in eoque ſuſcepta. Examine inſtituto, nullum deprehendimus durum in abdomine corpus, ſed æquabilem diſtenſionem, & manifeſtam aquæ fluctuationem. Parvus ipſi, & celer, & inæqualis pulſus.

Quærebatur num præſenti in periculo verſanti mulieri inſtituenda Paracenteſis foret? Remedia diuretica mox ipſi exhibens, inutilia prorſum vidi, & è contrario vires indies minui, omnemque fere reſpirationem ſupprimi. An ergo certo interitui relinquenda? Paracenteſis hic damnari ſolet, meritoque condemnabatur olim, quando ars in debitam abdominis compreſſionem nondum ſatis intenta, reſpirationem, effluentibus aquis, ſuppreſſam cerneret, vitamque abeuntem in auras. Jam vero ars pro ratione effluentis lymphæ arctans abdomen, ac vaſa non ſuſtentata fulciens, comprimensque, ſupplet functioni musculorum abdominalium, qui jam otiantur; impeditque ne humores per vaſa olim compreſſa ægerrime, jam ab aquis prementibus libera, impetuoſe ruentes, haud ſufficienter ferantur ad Encephalum. Quo igitur modo jam inſtituitur Paracenteſis, licet parum nonnunquam juvans, tamen vix unquam funeſta, & ſæpe vitam reddens ad tempus tolerabilem, præferenda certæ perniciei vibebatur: maxime eâ ſi fieret cautione, ut aquæ haud plus una vice demeretur, quam viderentur vires commode ferre.

Itaque octiduo integro bene apud nos enutrita, ac viribus aucta, operationem ſubiit 9. Maji, & ingenti ſuo commodo 35. aquæ libras amiſit; ventre ita detumeſcente, ut nihil lymphæ ſupereſſe videretur; quantum nempe faſciato ventre deprehendi potuerat. Aqua limpida, ſed flava, erat, ad ignem coagulata, ſyrupum Violarum plane viridem reddens, cum aceto miſta minime efferveſcens, cum ſpiritu ſalis albeſcens, & in coagulum abeuns. Effectus habuit operatio omnes, quas à palliante cura expectare poteramus; reſpirationem ſenſim expeditiorem, appetitum redivivum, prudentis alimentorum ingeſtionis tolerantiam, doloris abſentiam, copioſiorem urinam naturalem, liquidiorem tamen, alvum, placidos, reficienteſque ſomnos, demum auctas indies vires. Flatus modo moleſtos, ut prior illa, ut omnes quibus unquam Paracenteſin inſtitueramus, etiam & hæcce eſt conqueſta, idque jam mox ab operatione inſtituta. Opium hos flatus multum moderabatur. Quippe inteſtina olim ab accumbente aqua vehementer compreſſa, jam eâdem eductâ longe minus a conſtringente ventrem machina comprimuntur; adeoque ab alimentis, & ab aëre potiſſimum, extenduntur; debilitata vix renituntur. Sanguis autem ſpirituſque in vaſa nervoſque commodius influunt. Cum tamen inteſtina aërem & alimenta, præ debilitate ſufficienter propellere nequeant, variis in plagis neceſſario extendantur, & in locis, ubi illa extenſio non adeſt, ſpasmodice contrahantur, neceſſe eſt. Opium datum ſpasmos ſolvit, efficitque ut contenta hæc per univerſum inteſtinorum tractum æquabilius diſtribuantur.

Attamen debuit ligatura, ſenſim jam laxata, 18. Maji auferri, cum recreſcentes aquæ reſpirationem fere ſuffocarent. 21. Maji dimidiam partem antiquæ molis venter jam erat adeptus. Et ipſe tumor, quem illa ante hydropem perceperat; quemque, Hydrope for-

formato, nec ipſa, nec nos, ullo modo deprehendere potueramus; laxata prius ligatura, utcumque, ablata eadem manifeſtus adparuit, ſuperiora medii abdominis, dextrumque ejus latus occupans; haud ita tamen deorſum vergens, ut Uterum, aut Ovarium, affectum eſſe ſuſpicareris. Immobilis plane idem, haud tamen peritonæo accretus; aqua ad digiti lati diſtantiam inter hoc & illum manifeſto, ſæpiuſque, deprehenſa. Atque ita ſenſim increvit abdomen ad eandem, ad quam olim, molem, imo ea majorem; cum jam enſiformis cartilago extrorſum a tumido corpore incurvaretur. Voluit tamen ad maritum, liberoſque, redire, atque ibidem, me inſcio, mortua eſt: ut aperiundi, quod doleo, cadaveris facultatem non habuerim.

Vidua 48. annos nata, plurium infantum mater, abdomine tumere cepit anno 1757. ſed 25. Dec. ejusdem anni tota detumuit, enormi lymphæ copia pleno rivo de pudendis proſiliente. Unde Hydrops uteri fuiſſe videtur, qui ſic ſponte curatus. Attamen rurſum tumuit, tantam demum in molem, ut hujus, quem vivimus, anni Majo menſe finiente, diſtantia a ſcrobiculo cordis ad umbilicum 4. pedum eſſet, ab umbilico vero ad pudenda 2. pedum. Umbilicus in genu altitudine inveniebatur. Ut longitudo, ita monſtroſa plane ventris amplitudo fuit. Unde nec ipſa movere ſeſe, nec ultra fere a ſuo famulitio verti, attollique, poſſet. Conſilio indicto Medicorum, & ego rogabar. Fluctuationem manifeſtam immenſæ aquarum molis percipiebamus omnes. Quærebatur modo, qua illam methodo juvaremus. An medicamento evacuante? Sed & moles major erat, quam ut hinc ſufficiens evacuatio ſperanda foret; & Medici hiſce dudum oleum luſerant operamque. Quin imo ab aliquot diebus reſpiratio ſuffocationis metum incutiebat, ut celeri auxilio opus eſſet. Num ergo para-

ra-

racenteſis inſtituenda? certe permittebant eam ætas, vireſque; ſuadebat ſuffocationis periculum; nec ſcirrhi forte præſentis ſuſpicio dehortabatur, cum aquarum evacuationem palliantem, ut ajunt, tantum intenderemus: eductis nimirum aquis homines ſuos ſcirrhos tolerabilius gerere, toties experti. Voce una ergo Paracenteſin, qua unice imminens ſuffocatio averruncaretur, ſuaſimus, laudavimus. Sed vero in Paracenteſi ligandus venter eſt, & pro ratione effluentis laticis conſtringendus. Qualisnam machina, loris ac fibulis inſtructa, ad id apta erit? Et ſi apta, nonne flaccido jam tantæ molis ventre, inepta erit, quæ ſufficienter adducatur? Itaque unam communem ejusmodi machinam primo apponendam eſſe; & monſtroſo corpori aliam etiam monſtroſam machinam, quæ ilico parari poſſet, circumdandam eſſe; ea quidem intentione, ut ſi flaccido ventre major machina inepta, quæ ſufficienter adduceretur, foret, minor ſuppoſita ventrem conſtringeret. Quod ſi commode liberaliorem aquæ eductionem non ferret, parciore deſiſtendum eſſe concluſum fuit.

Igitur in inferiore parte, eaque dextra, ventris, facta apertura, 37. aut 38. libræ effluxere liquoris non foetidi, ſed fuſci, turbidi, amurcam plane referentis. Subſtitit tunc fluxus omnis. Percipiebaturque cannula in corpus durum impingere. Penetrandumne per illud eſſet? Negabatur: ignorabamus enim an id non foret quodpiam ſcirrhoſum viſcus, quod pertuſione malignum fieret. Sed quid ſi ſaccus durus, ac ſemiſcirrhoſus ingentem liquidi ſeu boni, ſeu corrupti, copiam contineret? Nonne pertuſus evacuaretur? Evacuaretur quidem, ſed primum in abdominis cavum; remotus enim ille a peritonæo erat, cum inter hoc & illum tot libræ amurcarum jam effluxiſſent. Ponamus ergo ſacco pertuſo liquorem effluere putidum, ichoroſum, ſanioſum, cancroſum: nonne

nonne ille, alluens ad inteſtina, cæteraque viſcera abdominis, corrumperet eadem, mortemque, quam procraſtinare animus erat, acceleraret? Sed contra: Inſtrumento triſulco in ſaccum adacto, an cannula non clauderet foramen; ita ut, quemadmodum ex externo abdomine liquor copioſus cannula effluxiſſet, ita etiam ex ſacco efflueret? Ita; ſed conſiderabamus, amurcam quæ effluxerat intuiti, improbabile non eſſe, quod ſpiſſus, ſi quem durum hoc corpus gereret, amurcoſuſque humor foret, per cannulam minime proſiliturus, &, eadem ideo extracta, in cavum ventrem effluxurus. Saltem maturius ſuper hoc deliberandum eſſe, & jam corpus refocillandum, ac quieti tradendum fore. Levamen ab operatione nullum percepit, niſi 12. poſtea horis; jam, inquiebat, me bene habeo, ſimulque expirabat. Mole cadaver vix imminutum, terribili mephiti totas explevit ædes: ita ut veniam ejus aperiundi $2\frac{1}{2}$ a morte diebus nacti, re infecta aufugerimus, ne curioſitatis poenas, ut olim egregius Anatomicus *Cantſius*, inſontes lueremus.

Homo 49. ann. Hydrope aſcite, ac ſimul anaſarka laborans, in Noſocomio dicto *Becken-hauſel*, menſe Octobri 1758. ab optimo ibidem Phyſico *Störck*, vino ſquillitico curabatur, ut ſuos denuo labores perficere poſſet: ſuperſtite tamen tumore duro, immobili, in epigaſtrio. Curando illi varia quidem moliebatur Medicus, ſed æger, victus prolibus quæritandi deſiderio actus, curam ſui neglexit. Unde denuo eundem in morbum relapſus, idem repetiit Noſocomium. Cum jam incaſſum quævis remedia adhibita eſſent, Paracenteſis inſtituta eſt, & centum aquæ turbidæ, ac rubræ, libras eduxit.

Evacuato ventre, qui olim in epigaſtrio perceptus tumor, is jam longe extenſior deprehendebatur. Dabantur ſelecta remedia, ſed incaſſum. Crevit enim

ita

ita Hydrops, ut exacto a prima Paracenteſi menſe, altera inſtitueretur, ne ſuffocaretur, ſimilemque & natura, & copia, materiem educeret. Id quod deinceps quovis menſe ſepties repetitum. Poſt ſeptimam Paracenteſin videbatur 14. diebus belle ſe habere, poſtquam iterum, immane quantum! intumuerit. Virium projectio, appetitus proſtratio, febres, ac ſudores, octavam diſſuadebant: ſed veritus homo, ne aut venter ſibi finderetur, aut reſpiratio plane deficeret, octavam voluit ſubire: eductisque iterum 100. propemodum aquæ libris, multum levaminis percepiſſe ſibi viſus eſt. Attamen collabaſcentibus pedetentim viribus undecimo ab illinc die periit.

Cadaver exhibuit omentum in pelvim uſque propendens, mutatum in craſſum atque membranaceum marſupium, anteriore facie peritonæo, poſteriore hinc inde inteſtinis accretum. Nulla in cavo abdomine aqua, in ſacco vero Omenti copioſiſſima, rubraque eadem, & fœtida. Ipſe porro ſaccus ille craſſus, ſteatomatoſum tumorem gerebat, maſſæ informis, 33. libras medicas pondere æquantem. Nonnihil aquæ & Thorax habebat. Similem fere caſum *Horſtius* habet, Op. Med. Lib. 2. Tom. 2. obſ. 4.

In eodem Noſocomio fœmina circiter quadragenaria, enorme gerens, mole aquarum, abdomen, atque ob eam fere ſuffocata, amiſit paracenteſi 60. circiter libr. medicas aquæ ſubrubellæ ac glutinoſæ. Sublevabatur inde. Sed quod antea nunquam experta erat, jam in pectoris ſiniſtrum latus, citra intentatas ſuffocationis minas, ultra decumbere non potuit. Signa præſentis fors hydropis pectoris ejus paracenteſin poſtulaſſent, ni & ipſa eandem formidaſſet, & vires diſſuaſiſſent exiguæ. Porro a Ventris paracenteſi primis 14. diebus venter haud multum crevit, ſed duros modo in toto epigaſtrio tumores exhibuit: elapſis vero hiſce diebus tumor ventris univerſi denuo cre-

crevit, vireſque ita projectæ ſunt, ut ægra bimeſtri poſthac ſpatio elapſo interiret.

In cadavere plurima aqua explebat abdomen, Hepar omnino ſcirrhoſum, ac ſiniſtro lobo ſuo farciminis inſtar productum, Splenique accretum. Ovarium dextrum, ut publica demonſtratione Auditoribus exhibui, in duo magna, eademque rotunda fere, corpora formatum, puriformi materia plena. Cavum dextrum thoracis admodum Hydropicum.

§. III. His variis hiſtoriis relatis ad quæſtionem paulo ante pag. 280. propoſitam; utrum nempe Paraceteſis noſtra in fœmina ſit repetenda, an vero ars noſtra aliquid poſſideat, quo vel conſtantius ſolamen, vel integram conferat ſanitatem? ad hanc, inquam, quæſtionem reſponſum nunc adornare convenit.

Si *Tomum alterum Acad. Chir. Reg. Par.* conſulamus, viderentur efficaciora iis, quæ nos adhibuimus, auxilia modernis innotuiſſe Chirurgis, ac pulcris confirmata exemplis fuiſſe. Referunt hæc *Acta* VII. hiſtorias Hydropis, ut ajunt ſaccati, nec non ſcirrhoſi Ovarii. Habetur deinde erudita epicriſis clari in arte chirurgica *Morandi*, qua impenſe laudat chirurgorum conamina, qui Paraceteſi minime contenti, Abdomen lata plaga vulnerarent, ſaccique, tum membranoſi, tum etiam jam ſcirrhoſi facti, in quo incluſum liquidum, integram hoc modo evacuationem, collapſum, conſumtionem, efficere anniſi eſſent; imo qui in poſterum ſcirrhoſum ovarium, quod cyſtici hydropis frequens ſedes, veluti caſtrando eſſent exemturi. Tandemque finiens in hæc verba erumpit " La Chirurgie moderne eſt capable de gran-
,, des entrepriſes; on ne ſauroit lui ouvrir trop de
,, vües pour guerir.

Sane ſi omnes ſaccati Hydropes in ovario eſſent, iidemque perpetuo, lateque, peritonæo accreti; vel ſi eſſent inter Peritonæum & muſculos abdominales;

ſi præterea ipſi ſacci membranoſi tantummodo, non vero craſſiſſimi & valde ſcirrhoſi eſſent; ſi denique in eodem homine ſaccus duntaxat unicus, & non, ut ſæpe fit, multiplices eſſent; laudaremus cum *Morando* hæc molimina: ſed haud videmur certi ſemper eſſe de parte affecta, de natura affectionis, de numero loculorum, qui humores includunt. Si enim propriam meam experientiam mente recogito; ſi ingentem illam obſervationum ſylvam apud collectores caſuum revolvo; ſi denique ipſa Academiæ chirurgicæ exempla examino: jure videor dubitare an cura ibidem commendata ſæpius non fruſtranea, imo & periculoſa foret? Unde juvat accurate rem totam examinare.

1mo. Sacci hi peritonæum inter, muſculosque abdominales, reperiuntur. Ita in iisdem Actis caſus Chirurgi *le Dran*, n°. 1. ille domini *Mouton* n°. 3. & domini *la Chaud* n°. 4. Quod enim ultimus ſaccum inter Peritonæi duplicaturam formatum dixerit, id, inquit, *Morandus*, ex veterum opinione, poſtmodum correcta, proficiſcitur: unde idem ſic concludit: " Ce n'eſt pas la premiére fois qu'on a tenu ce „ language; mais les Anatomiſtes ne l'admettent „ point: & je crois que cette Hydropiſie pretendüe „ entre les deux lames du Peritoine, n'eſt autre que „ celle, de l'eſpéce raportée par Mr. *Mouton*" nempe inter abdominis muſculos & peritonæum. Eratque eadem de ſede hujus Hydropis ſententia magni *Ruiſchii* Obſ. anat. chir. n°. 45. Videantur hic *Douglas* & *Winslow* de Peritonæo.

2. Saccati Hydropes fluctuant nonnunquam in abdomine, nullibi accreti. Ipſe *Morandus* talem communicavit cum *Acad. Reg. Sc. Par.* ann. 1718. Cujus ſacci particula, in ipſa paracenteſi lacerati, claudebat cannulam, extractaque cannula, vulnere prodibat, & ad duas ulnas extrahebatur, poſtquam demum abundantiſſima aqua effluxit. Addit oblongas has lacinias

nias laceratam membranam vere retuliſſe. Attamen aquas, cito renatas, alteram, & tertiam paracenteſin, unius menſis ſpatio ſingulis interpoſito, poſtulaſſe. Jam vero in *Act. Acad. Chir.* addit in ejusdem hominis denati cadavere detexiſſe ſe hujus ſacci reliquias, libere in abdomine, nulla facta adhæſione, hærentes.

3. Tumores hydropicis in corporibus reperire eſt, qui Peritonæo non accreti, imo ab eodem remoti ſunt, & ſuo nihilominus loco fixi, immobilesque. Fæmina in Noſocomio noſtro, cujus hiſtoria pag. 280. relata, gerebat tumorem maximum, duriſſimum, ad digiti lati diſtantiam a Peritonæo remotum; ut interpoſita aqua manifeſto docebat. Tumida ejusmodi corpora, a peritonæo multum remota, variis viſceribus, ſeu radicibus inhærere, ſequentia probabunt.

4. Nonnunquam ſacci Hydropici, tumoreſve purulenti, ſteatomatoſi, ſcirrhoſi, a ſcirrhoſo Hepate, Liene, Meſenterio, Omento, Utero, Ovario &c. proficiſcuntur, tenuiore, ampliore, pedunculo inde penduli; iidemque aut libere fluctuantes, aut lapſu temporis demum tum vicinis partibus, tum peritonæo, affixi.

A. Ita inveni in ſeptuagenaria Ovarium ſtupendæ molis, totum fere abdomen explens; aqua, ichore, pure, infarctum, undique liberum; ſimulque veram præterea Aſciten.

B. Marſupialis figuræ ingens Omentum, ſaccum Hydropicum fecit ipſum, tota facie anteriore cum Peritonæo, poſteriore multis in locis cum inteſtinis connatum, in viro cujus hiſtoria habetur pag. 285.

C. Tumores univerſi abdominis, inæquales, compoſiti ex meris Hydatidibus, integrum ventrem replentibus, extendentibusque, in ſaccis quampluribus Lympham continentibus, *Ruiſchio* comparebant *Obſ. anat. ch.* n°. 46.

D. Hydrops abdominis datur cum tumentiſſimo,

& inæquali Hepate, in Hydatidas toto converſo. *Ruiſch. ibid.* n°. 45. Et iterum n°. 65. ubi pertuſio ejus letalis fuit.

E. Venter in Hydropico inæqualis, inventus a morte fuit pluribus, iisdem mole prægrandibus, in Meſenterio deberi tumoribus. *Blanckard. Cent.* 2. *n*°. 30.

F. Idem n°. 25. detexit, præter caſum *Ruiſchii* ad lit. C. ſimul veram Aſciten. Hæc ipſa fœmina initio ab Hydrope curata videbatur, remanente duritie lapidea in abdomine; recrevit poſtea malum.

G. Geminum ventris tumorem virgo gerens, falſo creditur ab obſtetricibus paritura gemellos, moritur. Meſenterium exhibet duo ingentia ſteatomata, quorum alterum pus, ac ſaniem, in cavum ventrem effuderat, ipſum uterum eroſerat. *Tulp. Lib.* 2. n°. 33.

H. In Meſenterio tumor reperitur 20. libr. pondere, extrinſecus membranaceus, intus hydatidibus refertus; ſed præterea & hydatides aderant Aſcitin facientes. *id. ibid.* n°. 34.

I. Tumor Pancreatis ac Meſenterii 10$\frac{1}{2}$ libras ponderans, invenitur cum enormi Aſcite *Blanck. Cent.* 1. n°. 37.

5to. Ipſe uterus immane quantum aquis poſſit extendi! Fluctuationis perceptionem percuſſo abdomine exhibet, mentiturque Aſciten. *Blanckard. Cent.* 2. n°. 29. Uterus hic continebat ichoris, ac materiæ oleaginoſæ, 85. libras mercatorias.

6. Ventriculus in Hydropici cadavere invenitur ſedes eſſe Hydropis, ulnæ magnitudinem habens, peritonæo firmiter accretus: ita ut ſectio, quæ puncto abdomine aquæ 90. libras eduxerat, reperiretur eam ex cavo eduxiſſe ventriculo. *Idem Cent.* 1. n°. 84.

7. Hydatidas multas in cavo abdominis extendi poſſe, in punctis contactuum mutuo inter ſe agglutinari, alia ſui parte cum peritonæo coaleſcere, in cadavere quinquagenariæ inveni: ita quidem ut clarus apud Ha-

Haganos *Velſius*, egoque, pertundentes abdomen, inveniremus forte 20. & plura conceptacula aquæ, ſingula mediam, integram nonnulla libram aquæ continentia, concreta tum inter ſe in punctis contactuum, tum cum peritonæo. Ovarium ſiniſtrum caput infantis recens nati referebat; dextrum, biennis: hydatidibus utrumque cinctum.

8. Actis *Edimburg*. part. 2. n°. 30. refertur mira prorſum hiſtoria juvenis hydropici, ei, quæ pag. 280. ex Noſocomio noſtro recenſebatur, ſimillima, ortu, progreſſu, figura, ſymptomatibus. Paracenteſi 12. libris virideſcentis lymphæ eductis, æger poſtridie moriebatur. Triplici cauſæ hîc fuit ventris adſcribenda moles. Primo Aſciti. Secundo Hydropi Lienis, qui ſupernumerariam tunicam a Peritonæo, qua parte Diaphragma ſuccingit, accipiens, inter hanc, & propriam ſuam tunicam, aquæ limpidæ, inodoræ, non coagulabilis, ſed admodum muriaticæ, ſex libras continebat. Tertio, immani veſiculæ felleæ amplitudini, quæ in concentricos loculos, ſingulos bilem continentes, diviſa, octo libras bilis ſpiſſioris gerebat. Porro neque veſica fellea, neque lien, deprehendebantur peritonæo connati.

9. Datur ventris tumor enormis, durus, æqualis, in corpore ſumme cachectico, ubi omnis ſuſpicio enormis hydropis ſaccati adeſt, maxime cum abdomen totum expleat, excepta infima hypogaſtrica regione; ubi tamen monſtroſa abdominis moles unice debebatur ſaniſſimis, &, citra notatum Anatomicis exemplum, mole immenſis, Hepati, & Lieni; ut 2. Jan. 1759. publice demonſtravi in cadavere adoleſcentis 14. annorum, ſpina ventoſa, omnes dorſi ac lumborum vertebras, etiam os ſacrum, exedente, enecti.

Sufficiunt, ni fallor, hæc, tam claris deſcripta auctoribus, quam obſervata nobis, exempla, ut varietas pateſcat cauſæ, ſedis, phænomenon, in Hydrope ab-

dominis. Quærebatur modo num certius, tutiusque, adplicatis hucusque, auxilium noſſet Ars noſtra, ad curandum hunc morbum?

Intentio expertorum *Acad. Gall.* Chirurgorum ea demum eſt, ut in Hydrope ſaccato foramine Paracenteſeos non contenti, idem inſigniter dilatent, latamque aperturam diutiſſime apertam ſervent; ut haud modo is, qui in ſacco cavo eſt, effluat humor, ſed etiam ille qui poſthac aliunde in eundem influit. Quippe ſaccum, foramine paracenteſeos clauſo, a vaſis in illum hiantibus denuo impleri, idque citius quam prius, tertia citius, quam altera vice, & ſic porro: lata vero apertura facta, quod in ſaccum de integro perpluat, tranſſudetve, exſtillare id foras: ſacci latera, haud extenſa amplius, concidere, corrugari, condenſari: hinc exhalantia in illum vaſa ſenſim arctari, minui, deleri, in fibras fere abire: hac lege demum tam parum in ſacco colligi debere, ut totum facile apertura effluat, & ſaccus concidat totus. Id vero totum quo rite fiat, artificem oportere maturius advocari, quam ut ingens jam factus ſit ſaccus. Opus hoc facilius promoveri continuis injectionibus, v. g. decocti hordei, mellis &c. Imo eo pervenerunt, ut ſtatuant quamprimum percepto Ovarii Scirrho, & nondum prodigioſo ſacco inde producto, Ovarii ipſius extirpationem indicari: quod illibata vita, illibata ſanitate, effici poſſe quibusdam allatis teſtimoniis ſtatuminare ſatagunt. Finemque demum his omnibus *Morandus* imponit exclamatione ſuperius citata. „ Eſſe ita cum „ moderna Chirurgia comparatum, magna tentare „ ut auſit, nimium fore nunquam, qui ipſi proponatur, curandi ſcopum.

Nequeo non laudare, ſummisque celebrare encomiis, qui artem promovere noſtram generoſe annitantur. Plurimis enim adminiculis jam gaudemus, quæ difficilia, imo quæ impoſſibilia ætas remotior crediderit.

rit. Induſtria humana nullis addicta hypotheſibus, ſolis innixa obſervationibus, artis noſtræ pomeria indies extendit, eorumque, qui id perfecerint, nomen æternum cluet. Hinc cum reliquis publicis Actis, quibus numeroſæ eruditorum Sodalitates, ut cæteras artes, ita & noſtram, perpoliant, illuſtrent, extendant, hæc chirurgiæ *Pariſinæ* Acta per omne ævum clarebunt. Sed antequam egregia hæc conamina, quæ theoria formavit, unum quoque alterumve experimentum ſuggeſſit, ſtabilem praxeos legem forment, perpendendæ primum erunt, quæ in eadem exſequenda occurrant, difficultates.

Primum itaque, ut a Caſtratione exordiar, ſi eam in avibus, pecudibusque, homines inſtituant, non inde datur ad caſtrandas mulieres argumentum. Nam primo in brutis nihil periclitamur ſi inde pereant, ut quædam inde perire certum eſt; in homine homicidium, ſi inde periret, foret. Secundo, non habemus, qui affirment, ſcriptores, inter humanas femellas inculpate id tentatum eſſe. Videtur equidem a *Morando* autoritas *F. Plateri*, ac *Diemerbroeckii* laudari; verum, ut mihi ſaltem videtur, minus convenienter. *Plateri* locus eſt *Libr*. 1. *Obſ. pag*. 261. 262. Totum quod dixit, meræ ſpeculationis eſt: imo quo ſermone ad finem utitur, eo aperte teſtatur & ſine vitæ periculo aliquo inſtitui non poſſe, & nondum ſe legiſſe quod a quopiam id tentatum fuerit. Et quid hic *Diemerbroeckii* autoritas? Diſerte condemnat ille *Plateri* ſpeculationem, ſtatuitque citra ſummum vitæ diſcrimen, & citra ſummum Chriſtianorum dedecus, id nunquam poſſe fieri, *Anat. Libr*. 1. *cap*. 24. Igitur haud oportuiſſet, ut mihi videtur, hos binos laudare autores, qui nihil minus, quam quod egregius Vir velit, ſtatuerint. Quod *Heſychius*, & *Athenæus*, & *Alexander ab Alexandro*, de barbararum gentium nefando, aliumque in ſcopum intento, auſu meminerint, etiam

nullius eſſe ponderis mihi adparet. Quid enim nobis, cum gentibus efferis, qui mancipiorum vitæ ſe arbitros crederent? Et ſi *Franckenau* caſu ſemel viderit in vivis manſiſſe fœminam, cui in vulnerato abdomine ſimul ovarium periret, quid inde ad praxin? ſi per momentum ſupponeremus ſani ovarii exſectionem nefandam ſalva vita fieri nonnunquam poſſe, an ideo concludemus Ovarii degeneraſcentis, vaſaque diametri ingentis habentis, exſectionem etiam ſine periculo fieri? Id mox patebit.

Sed ſecundò dico & rationi adverſari. 1°. Scirrhoſum Ovarium eſt, quod integrum exſcindere eſt animus. Scirrhoſum porro Ovarium & ego, & mecum plures, multoties in cadaveribus deteximus undiquaque connatum, ſcirrhoſisque annexum productionibus. Ut periculum ingens tunc eſſet, ne vel Tuba Fallopii, vel fimbria ejus, imo ne vel ipſa læderentur inteſtina, aliæve nobiles, quibuscum connatum ſit, partes. 2. Scirrhoſa pars, ut mole creſcit, ita & vaſorum diametro: abſcindendo igitur Ovarium, poterit Chirurgus hæmorrhagiam, cui ſedandæ impar ſit, producere; modo v. g. ſpermatica arteria ad ſuum, in Ovarium, ingreſſum, diametro multum amplificata ſit. 3. Non ſemper ovarium eſt, quod durum extenſumque in laterali Hypogaſtrio detegimus, verum aliquando tuba degenerans, ipſeque uterus, ut p. 277. advertimus ex *Hippocrate*. 4. Ipſa vulneris conſideratio in corpore cachectico, ut paſſim hæ mulieres id habent, quod hic latum eſſe oportet, hanc operationem condemnare videtur, ratione eorum, quæ ſub ipſa, poſtque ipſam, generalis vulnerum hiſtoria docet. Conſultum igitur mihi videtur, hanc operationem haud ita promovere, ne forte temerarii nonnulli chirurgi eadem in humanam perniciem abutantur.

Jam ipſam ſacci hydropici dilatationem examinemus.

1°.

1°. Sacci hi habentur tantæ ſæpe molis, ut integrum ferme expleant abdomen, cohæreantque cum Peritonæo, & visceribus abdominalibus. Apertura igitur lata, diuque ſervata aperta, poterit ſacci quidem minuere profunditatem, vix vero ejus aut latitudinem, aut altitudinem. Ergo vaſa liquorem in cavum ſaccum inſtillantia vix contrahentur; & quia prementis liquoris reſiſtentia ablata eſt, copioſius jam fundent humores ſuos: quæ ratio primaria eſt cur etiam poſt paracenteſin Hydrops longe citius quam antea recreſcat. Etenim incipiente primum Hydrope, vaſa in initio minima ſunt, parumque transmittunt. Extendente ſe ſacco, amplificantur & vaſa illius. Quandiu magna eſt reſiſtentia a liquidis ſacco contentis, vaſa lente, quanvis ſenſim jam amplificata, novum liquidum ſtillant, adeoque primum Hydropem lente producunt. Dum vero diſtentiſſimus ſaccus, humoribus evacuatis nullam in ſua cavitate reſiſtentiam habet, vaſa ampliſſima vacuata, aliunde valide implentur, & intra menſem forte plus liquidi ſuum in ſaccum effundunt, quam triennii olim ſpatio. Igitur in dato hic caſu corpus totum extenuetur oportet, derivatione humorum undique facta in cavum ſaccum. Sed & aër, vulneribus adeo pernicioſus, latiſſima ſuperficie vulnus, totumque hunc ſaccum alluens, idque in Cacochymico corpore, putredinem brevi inducere poteſt.

2. Sacci hi & a me, & a claris, quos citavi, autoribus, & a plurimis aliis, aliquando inveniuntur digitum, duosve digitos craſſi: ita ut licet humor lato vulnere aſſiduo effluat, iidem tamen contrahere ſe nequeant. Unde vaſa in ſaccum ſe evacuantia, ſi jam intus nullam reſiſtentiam offendant, copiam certe longe majorem aquæ dabunt, cum diametro aucta maneant.

3. Iidem ſacci ſæpius reperiuntur poſtica facie cohærere cum inteſtinis. In his hominibus ſenſim ac len-

te comprimuntur inteſtina, & tandem difficulter, & cum dolore, exonerant ſeſe. Hinc male habent. Ubi vero ſaccus evacuatus eſt, idemque durus ac craſſus eſt, inteſtina illi nonnullis in plagis connata, vehementer dolere atque inflammari poſſunt, cum aquis ſublatis minus preſſa, liberius agant, moveantque ſeſe, connata ſacco duro tamen. Et hinc forte pro parte dolores illi, ac ſpaſmi, quos primo a paracenteſi tempore conqueri homines ſolent.

4. Neque craſſæ duntaxat ſubſtantiæ nonnunquam hi ſacci ſunt, verum etiam ingentibus obſita ſcirrhis; ut iidem illi, quibuscum nunc agitur, fatentur autores. Scirrhi hi, præſente aqua ſuſtinebantur, fulciebantur: jam vero iisdem elapſis, ſaccoque concidente, ſe mutuo fricant, dirosque minitantur Cancros.

Oggeret forſitan quispiam tum hanc, tum n°. 3. allatam difficultatem, æque in paracenteſi obtinere, quam in dilatato vulnere ſacci; adeoque ſi ratiocinium hoc quid valeret, etiam paracenteſin ultra inſtituendam non eſſe. Sed huic reſpondeo primo, paracenteſin in his deſperatis caſibus modo inſtitui, ut certa alioqui pernicies procraſtinetur. Secundo ſubitum aquarum a paracenteſi reditum hunc motum, hunc impedire affrictum. Unde nullius vis hæc objectio eſt.

5. In ipſa hac dilatatione, quæ ad 3. 4. 5. digitos lata ſæpe fieri debeat, oportebit ſæpe ipſos transcindere ſaccos. Præterquam quod ſcirrhus ſic vehementer irritetur, vaſa ſanguinea in ſcirrho magna, nec duris in his maſſis facultate ſe retrotrahendi gaudentia, hæmorrhagiam letalem producere poterunt; quemadmodum Scirrhi & Cancri Mammarum toties oſtendunt. Video equidem ſapientem *Morandum* n°. 8. teſtari: „ Il m'eſt arrivé pluſieurs fois de porter le „ Trois-quarts dans ces maſſes (Skirreuſes) il en ſortoit du ſang; je reportois le Trois-quarts en d'autres points, l'eau ſortit, & il ne réſultoit de la fauſ-

„ ſe

„ ſe ponction d'autre accident, que la douleur paſſa-
„ gere d'une piquure". Verum primo, lata ſectione longe plures arteriæ perſcinduntur, quam in punctura *Morandi*. Secundo, ipſa ſcirrhi natura docet ejusmodi puncturam haud ſemper impune patrari. Tertio in relatione hujus autoris non notatur eas, quibus punctura talis inutilis facta eſſet, ad ſanitatem rediiſſe.

6. Sæpius tumores reperire eſt in Meſenterio, in Hepate, in Ovario, in ſaccis ab ovario, aliisve visceribus, productis; qui, ut exempla allata docuere, peritonæo nullibi accreti ſunt. Ita in binis noſtris in Noſocomio fœminis, hydropico maxime abdomine nullus tumor percipiebatur, quia tumorem inter peritonæumque moles aquarum. Vacuo autem abdomine, & maximè recrescere ceptis aquis, digiti aut pollicis diſtantia intereſſe clare deprehendèbatur. Si hoc in caſu lata plaga abdomen, ſaccumque perſcindam, effluent quidem ex utroque aquæ, ichor, ſanies, pus, quodcumque demum in eodem continetur; ſed ex ſacco ſimul aliquid in cavum ventrem effluet, ubi ille evacuatus fuerit: & quandiu illa lata apertura patebit, ſemper plus in cavitatem peritonæi ſtillabit, quam extra illud, cum nulla hic adhæſio ſit. Porro ſi aqua pura exſtillat, erit Hydrops perpetuus ventris; ſi liquor putridus, brevi abdominis ac pelvis viscera pesſundabuntur, mortemque accelerabunt.

7. Nonne latum hoc abdominis vulnus inutile videtur, imo noxium, in Caſibus n°. 4. Lit. G. & I. n°. 5. 6. 7. 8.?

8. Quod jam ſupra innui, ſi quis velit vulnus 3. 5. 6. & ultra, digitos latum, abdomenque penetrans, ſemper omni prorſum periculo carere; eique hoc per momentum concedamus; haud tamen illi concedemus vulnus tantum, in corpore cacochymico & cachectico, ut ejusmodi homines paſſim ſunt, vacare pericu-

 lo,

lo. Vulnera in ſanis periculo vacua, ſolent haud raro in morboſis periculum inferre; ut toties in relationibus ad Judices Medici ac Chirurgi teſtantur.

Has utique nunc enarratas difficultates lubens fateor me hucusque impediviſſe, quo minus optimorum virorum *Acad. Reg. Par.* tum amplexus ſententiam fuerim, tum exſecutus: certiora prius obſervata, numeroſioraque experimenta, in ſubſequentibus Acad. tomis, antequam imitari auſim, expectaturus.

Paracenteſin interim præfero hucusque, quia in ſaccato Hydrope vitam alioqui ſuffocandam protrahit, & intolerabiles minuit anxietates. Si pluribus utriculis liquor contineatur, vix juvabit; ſed neque tunc utilis incidendi methodus erit. Si Scirrhi adſunt viſcerum, neutra methodo curabuntur, ſed eductio aquarum per paracenteſin Scirrhis minus nocebit, quam incidendi methodus, ut ad nº. 4. oſtendi. Si vero unus alterve caſus extat, in quo Paracenteſin mors brevi ſequatur, ut erat monſtroſus ille hydrops p. 283. oportet hosce deſperatos cæteroqui exiſtimare, ita ut etiam citra paracenteſin mors ſubſecuta fuiſſet. Porro agitur hic tantum de paracenteſi in cyſtico hydrope inſtituenda; ſi enim vera aſcites eſt, eaque recens, & corpus cæterum bene habet, paracenteſis ſimul & ſemel Hydropem non raro curat integre.

Eſt nihilominus, ubi Natura ipſa exceptionem faciat, & abdominis latam aperturam indicet. Aug 22. nos fœmina acceſſit, quæ 5. Junii pepererat. Hæc a dextro umbilici latere dolorem tempore graviditatis perceperat, a partu vero tuberculum; quod ſenſim creſcens tandem in tumorem durum abivit, qui plusquam 5. pollices utraque diametro referebat, eo dolentiorem, quo mole majorem. Utrumvis in latus illa decumbebat, hic tumor plane immobilis erat, peritonæo proximus, & veroſimiliter eidem accretus. Menſibus a partu carebat. Appoſui emolliens atque discu-

tiens

tiens cataplasma, remediaque ſolventia interna præſcripſi; attentus in eventum, quem tumor hic dolens, nullam febrim comitem habens, eſſet habiturus. 29. Aug. dolor, tumor, rubor, externo jam abdomine obſervabantur; quare emolliens, & maturans cataplasma adhibitum eſt. Poſtera die, copioſo pure fluctuante, apertura lanceola facta eſt; exivit puris dimidia libra, ut & die ſequenti, reliquis quidem diebus minus, quo tempore deligabatur vulnus, ſed continuo tamen hucusque pure locus totus madet. Injectiones cum aqua hordei & melle bis die fiunt, & aperturam, ſat latam, diutiſſime apertam ſervare animus eſt. Tumor minuitur, totusque emolleſcit. Dolor vix obſervatur. Stylus ductilis reperit ſaccum undique clauſum, ſed ſenſibiliſſimum. Hic nunc caſus eſt, Natura monſtrante viam, in quo *Pariſina* methodus juxta perpetuas Naturæ leges uſui veniat; alias ineluctabilibus difficultatibus, ut mihi ſaltem videtur, plena.

§. IV. Superſunt quædam Problemata ſolvenda. I. Quid cauſæ, quod facta paracenteſi ſæpe longe citius renaſcatur Hydrops, quam primum natus eſſet? Reſpondi jam pag. 295. ad hanc quæſtionem. Ponamus Hydropem cyſticum primum naſci in parva cujusquam visceris Hydatide. Lente admodum membrana continens a mole minima in majorem extenditur, ut ſemianno, biennio, quadriennio, decennio, & quod plus eſt, indigeat, antequam verum referat Aſciten. Facta jam paracenteſi membrana maxima, intus cava, lymphaticis oſculis pertuſa millenis, mox denuo repleatur neceſſe eſt; cum nulla intus reſiſtentia ſit, & in inania ſpatia humores undique veluti attrahantur.

II. Undenam Hydropici aquam nonnunquam citiſſime colligunt? Ita ut a Paracenteſi elapſo vix octiduo nonnulli 50. libras aquæ recolligant, interea temporis vix potantes? Idque ad ſingulas paracenteſes?

ſes? Cur in relatis hiſtoriis vix poti homines, ſingulo menſe 100. libras paracenteſi evacuarint?

Cum neque ore liquor corpus intraverit, neque ipſo corpore ſuppeditari potuerit, neceſſe eſt ipſo in aëre cauſam quæri. Adverterat ſua in Chemia clariſſimus *Boerhaave* aëra, etiam ſiccum, aqua ſaturum eſſe, inde corpora humescere, & ſi apta, quæ veluti attrahant, corpora inveniat, aquam inibi deponere ſuam. Ita cap. de theoria Aëris, explicans quomodo uncia una ſalis tartari ſicciſſimi tandem uncias quatuor olei tartari per deliquium, aëri tantummodo expoſita, exhibeat; credit 1°. hoc fieri vi, ut dictum eſt, attractrice inter aquam aëris, & alcalinum ſalem. Vel 2do. ex eo quod in loco quieto, clauſo, ſubterraneo; ubi hoc experimentum fiebat, aër perpetuo moveatur, & ſic ſuam aquam ſucceſſive ad ſalem adplicet. Vel 3tio. ex eo, quod aquæ partes ita moveantur per aëream molem, ut jam in hac, jam in alia parte ſpatii aërei ſint, atque ita tandem omnes concurrant cum illo ſale, qui intra hunc aëra eſt poſitus. Addit demum: „ Verum credibile eſt omni de genere experimento- „ rum, quod omnes illæ cauſæ ſimul concurrant ad „ eundem effectum producendum ". Ne quis autem credat experimentum in humido ſubterraneo aëre modò ſuccedere, haud vero in ſicciſſimo, addidit *Boerhaave* experimenta ſicciſſimo hyemali aëre facta, quibus evicit etiam ultra tertiam ponderis ſali accreviſſe ſpatio 14. dierum.

Quæ cum ita ſe habeant, credibile admodum Hydropicis corporibus latentem diſpoſitionem ineſſe, qua aëris aquam continuo imbibant. Et ſi intra paucos dies ex ſicciſſimo ſale tartari naſcatur oleum tartari per deliquium, id eſt, ſi ſal tartari ex aqua aëris tribus quartis partibus pondere intra paucos dies creſcat; haud ita mirabimur hominem 150. librarum, paucos intra dies, libris 50. & pluribus graviorem fie-

ri,

ri, & nova paracenteſi totidem aquæ libras emittere, licet toto eo tempore vix liquidi quidquam hauſerit. An ſacci hydropici poſt paracenteſin vacuitas in omnibus aquam aëris attrahat, & ſic una cum data antea cauſa hydropem renovet actutum? Intelligitur hinc humida Athmoſphæra, humidis ædibus, Hydropem in prædiſpoſitis nasci facilius, renascique.

III. An credendum cum doctiſſimo *Bianchi* quod Bilis defectus cauſa Hydropis ſit, aut ejusdem ſaltem effectus? Ita nempe egregius vir ſcribit hiſt. Hep. pag. 147. „Pallida igitur occurrit *ordinario* ad cyſtin „ſuam Bilis in delicatulis, in Chloroſi, pallidior in „cachexia, fluxibusque Cæliacis, *pallidiſſima*, *& „fere absque ulla flavedinis tinctura*, *ac tantum non a- „quea*, *in Hydrope*, aliisque morbis diuturnis, in qui- „bus ſenſim deperierit emicatio in ſanguine: in his- „ce *interdum* affectionibus albescens obſervatur, & „candida; ut vidit *Diemerbroeck*". Quantum ad bilem inſipidam. „In Cachecticis, ait pag. 170. præ- „cipue mulieribus, aliisque lente ægrotantibus, de- „linquentem hoc ritu bilem *ordinario* videmus.

Antequam reſpondeam, examinandus eſt, qui ex *Diemerbroeckio* hic laudatur textus. Eſt ex ejus Anatome, ubi de bile agit. Invenit bilem veſicæ poſt diuturnum Hydropem candidam, & utcumque viscidam. Hucusque res convenit cum obſervatis Cl. *Bianchi*: ſequitur vero aliquid quod non convenit; nam ex ductu choledocho, & ex poro biliario, Bilem flavam verſus inteſtinum fluentem vidit.

Ergo 1°. *Diemerbroeckii* experimentum in Hydropico factum id quidem confirmat, quod de cyſtica bile *Bianchi* refert, non vero demonſtrat idem, quoad hepaticam bilem: Bilis verè flava Hepate ſecreta, ad inteſtina fluxit. Potuiſſet hic homo ictericus fieri, ſine ulla vel minima flavæ bilis guttula in veſicula.

2do. Hoc

2do. Hoc ipſo experimento intelligitur hominem & ictericotatum poſſe fieri, & ſimul flava reddere alvi excrementa. Si enim ponamus hominem ſanum quacumque cauſa obſtructione in ductu cyſtico nata reddi ictericum, bilis flava ex poro hepatico ad duodenum fluens tingere excrementa debet.

3^{tio}. Hoc eodem experimento concludimus in ictero, dum albæ fæces ſunt, vel nullam bilem ſecerni hepate, & veſicula, vel obſtructionem eſſe in ductu communi, aut ad Duodenum.

4to. Itidem inde apparet Hepaticam bilem in cyſtim non influere, ut communiter creditur, ſed totam in Duodenum abire. Neque ſuſpicio hic haberi poteſt anguſtioris forte cyſtici ductûs; cum autor dicat miratum ſe illius amplitudinem fuiſſe. Unde recte judicat cyſticam bilem peculiari fabrica tunicæ internæ veſiculæ generari, ſtagnatione perfici; defectu tamen ejus flavam bilem inteſtina ſubire, excrementaque tingere poſſe. Certe ſi pulcerrima *Liberkuhniana* Præparata, microſcopiis inſerta, quæ Ill. *Baro van Swieten* Academiæ noſtræ dono dedit, attente contemplemur, convincimur mirabilem hujus tunicæ ſtructuram magnis uſibus neceſſario deſtinatam eſſe. Unde cum eodem Ill. Viro, *Cap. de Hepat.* fatemur, quod „ artificio ſummo, & penitus peculiari reptatu, arteriæ numeroſiſſimæ decurrunt, „ per membranas veſicæ felleæ, uti injectiones ana- „ tomicæ docuerunt; unde admodum veroſimile vi- „ detur peculiarem adeo vaſorum apparatum ſer- „ vire hic ſingularis liquidi præparationi & ſecre- „ tioni.

Hæc nunc de *Diemerbroeckii* teſtimonio in quantum firmet, & non firmet Cl. *Bianchi* ſententiam.

Probatur etiam *Ruiſchii* obſervatione, n°. 87. invenientis in cadavere Hydropici Hepar induratum, veſicam felleam ſextuplo majorem naturali, ſed aquoſa ple-

plenam, inſipidaque lympha; in ductu vero Choledocho calculum ciceris majoris magnitudine, omnino obturantem hunc meatum.

Convenit etiam *Bianchi* ſententia cum nonnullis meis obſervatis.

Anno 1544. Junii 30. cum doctiſſimo *Velſe* bimeſtris infantis cadaver luſtrans, veſiculam felleam inveni turgidam valde, ſed humore plane aquoſo plenam, guſtu amaritiem vix ullam referente. Poſt hydropem pectoris, acidum terribile, copioſamque pituitam vitream, perierat infans.

21. Dec. 1758. idem in Noſocomio publice demonſtravi in cadavere Hydropici, cujus Hepar granuloſum totum. Ter ego, pluresque adſtantium, aquoſum veſiculæ liquorem guſtantes, ne minimum quidem percepimus amarorem. Nec pellucidus inſipidusque modo liquor, ſed gelati inſtar tremulus fuit, & cohærens. Portio ejus igni in cochleari expoſita nihil coagulabatur, ſed avolabat in auras, tenui pellicula relicta: portio alia ſyrupum violarum viridem fecit.

Igitur plures caſus dantur quæ idem, quod *Bianchi* voluit, poſuitque, confirment; at vero ſæpe contrarium obtinet. Dedita opera rem examinans bilem flavam, amaram, pluries in Hydropicorum cadaveribus inveni, demonſtravi. In Tympanitico puero, cujus morbum à defectu bilis p. 272. deduxi, demonſtravi tamen bilem veſicæ flavam, amaram, poſtea recreviſſe ipſo cachectico ejus ſtatu. Et in *Diemerbroeckii* enarrato caſu, licet cyſtica bilis pallida eſſet, aderat tamen hepatica flava. Equidem Anonymus autor in *Act. Edimb. Tom.* I. *Diſſ.* 33. ſtatuit Hepaticam bilem blandum humorem eſſe, qui parvam bilioſarum particularum copiam modo haberet: ita quidem, ut dubitet num, a bile hepatica retropreſſa, tum profunda flavedo, tum penetrantiſſima amarities, tum quævis

alia,

alia, quæ ſubito in Ictero adparent, ſymptomata, proficiſci queant? Attamen plus ſimplici vice bilem pori hepatici demonſtravi flavam admodum, guſtuque perquam amaram: licet cyſticæ flavedine, amaroreque, cedentem. Quis noverit an, bile cyſtica pallida, non frequentior contingat *Diemerbroeckii* obſervatio? Saltem meam ejus examinandæ negligentiam in poſterum emendabo.

CAPUT XXXII.

De Coxario Morbo.

§. I. *Varia de Coxarum morbis. Cur nati hi externis de cauſis dubiam haud raro Diagnoſin habent; imo cur eodem in morbo juſte data Diagnoſis, poſtmodum falſa reperitur. Inſignis morbi varietas demonſtratur exemplis.* §. II. *Nec certior ſæpe, conſtantiorque, ejus Natura adparet, dum internis ſolis, vel miſtis ſimul internis externisque de cauſis, proficiſcitur.* §. III. *Notabilis caſus juvenis fœminæ id demonſtrans.* §. IV. *Examen quæſtionis, num Coxendice affecta, tumida, præſentem teſtata materiem, ampla apertura facienda ſit? Negatur in genere, & in ſpecie.* §. V. *Examen Doctrinæ* Hippocratis *de Coxarii morbi natura, eventu, cura; eaque occaſione multorum ejus textuum expoſitio.* §. VI. *Curatio ſequentibus Hippocraticum ævis celebrata, enarratur, diſcutitur.* §. VII. *Ratio cur articulo Coxæ affecto multi non curentur? Imo cur plures inde pereant? Phthiſis iſchiadica.* §. VIII. *Laus Corticis peruviani cum lactea diæta, deſperatis aliquando in rebus vitam, ſanitatemque, reſtituentis, conſervantis.*

§. I. Permultæ ſeſe obtulerunt in Noſocomio occaſiones Coxarum morbos cognoſcendi, qua-

quarum rationem jam dedi in quibusdam capitibus hujus operis. Cum vero frequens admodum morbus ſit, novas obſervationes addam, quibus latens ſæpe obſcuruſque morbus clariorem ſui diagnoſin poſtmodum præbere, tutiusque curari poſſit.

Multum ſæpe & acriter utrinque diſputari ſolet, quando femur poſt caſum laborat, ſitne os femoris luxatum tantummodo, an fractum? Et ſi fractum, utrum ad Epiphyſin, an in cervice? Vel an in luxatione frangatur ligamentum teres, an vero poſſit ſufficienter extendi, ut os aberrans ſequatur? &c. Non eſt hujus loci ea enarrare quæ *Petit*, *La Motte*, *Heyſter*, aliique, ad varios hos defectus internoscendos pulcra ſcripſerint. Tractatum Chirurgicum non ſcribo, ſed caſus medico-chirurgos in Noſocomio, & alibi, mihi obſervatos, duntaxat communico. Hinc dixiſſe ſufficiat vario admodum modo hæc ſe habere: ita ut 1mo. Cervix frangatur, oſſis capite in acetabulo manente. 2do. ut frangatur Epiphyſis, & ab oſſe ſolvatur; maxime in junioribus: non tamen ita ſemper. 3^tio^. ut os femoris integrum luxetur, fracto ligamento tereti. 4to. ut illud luxetur, hoc elongato, ſed integro. 5to. ut ipſum caput oſſis cum acetabulo morboſe uniatur, & perfecta fiat, eaque immedicabilis, Anchyloſis.

In puero decenni, robuſto, luxationem introrſum, deorſum, factam, perfectiſſime reſtituimus; ſed quo nobis curæ integritas pateſceret, diuturno eum tempore in Noſocomio ſervavimus. Licet forte rariore caſu ligamentum fractum uniri denuo, elongatis utrinque fibris ligamentoſis, poſſit, probabilius tamen eſt huic puero luxationem integro oſſe, integroque ſed elongato, ligamento tereti, contigiſſe, cum debitus, ac conſtans articuli motus tam cito adfuerit.

Puer ſex cum dimidio annorum ſub ludibundo pedum exercitio dolorem percepit ad coxam dextram,

cui brevi poſt tumor acceſſit. Trium aut forte quatuor menſium ſpatio hæc ita perſeverarunt, abſque eo, quod crus longius, breviuſque, adparuerit. Deinde vero ad duos circiter digitos latos brevius redditum eſt. Vix ſeptem menſibus ab origine morbi elapſis, diarrhæa, febre, convulſione, periit. In cadavere vidimus caput oſſis femoris ad crepidinem ſuperiorem acetabuli locatum. Ligamentum teres omnino deſiderabatur. Tumida admodum glandula in cavo acetabuli, ut caput oſſis femoris intra illud excipi ultra non poſſet. Mira igitur contorſio, & inde nata inflammatio primum adfuiſſe videtur, cum ſubſequente degeneratione *Haverſiani* ſmegmatis, cum eroſione atque conſumptione tum ligamenti teretis, tum ligamenti dicti ad teretem acceſſorii, ex cavo acetabulo enati. (vide *Schwencke* Obſ. de Lig. c. oſ. fem. connectente interno, ad finem *Hiſt. Sang.*) Unde demum caput oſſis femoris ex cotula trudi ceptum, crus ſenſim brevius redditum, & integra, ſed extenſa adhuc capſula, idem caput oſſis ad ſuperiorem cavi acetabuli marginem applicatum.

Similem hiſtoriam in Noſocomio vidimus puellæ 16. annorum, quæ quatuor annis dolorum in coxa prægreſſis, utroque cum crure æquali; tandem incepit crus brevius habere, ita ut nunc ad tres digitos latos altero brevius ſit.

Meritiſſimo ergo jure egregius *Petit*, poſtquam ſemel hinc deceptus fuiſſet, ſcripſit *part.* 1. *morb. oſſ. cap.* 12. integram luxationem natam ſe inveniſſe, ubi bimeſtri ante ſpatio ſigna evidentiſſima articuli duntaxat læſi, haud vero luxati, affuiſſent. Videtur eodem præciſe modo id *Petito* contigiſſe, quo nobis noſtris in caſibus viſum fuit.

Sed & aliud in Noſocomio obſervavimus. Puer duodecennis, a teneris claudicans, alio morbo mortuus, exhibuit nobis caput oſſis femoris ſuo cum aceta-

ta-

tabulo firmiſſime unitum; ita ut videatur a caſu, aliave violenta cauſa, ſemel nata contuſio, inflammatio, ſuppuratio, eroſiſſe tam caput oſſis, quam cavum acetabulum: unde demum effectum, ut ambo hæc in unum corpus penitiſſime coaluerint. Genus igitur peculiare claudicationis, ab Anchyloſi ortum, quale quid etiam *Petito*, ad finem mox laudati capitis, contigit. Simul aderat oſſis Iſchii verſus interiora degeneratio; multum enim ibi eminebat in loco acetabuli.

Concludimus ergo in affectionibus oſſis femoris, & articuli coxæ, a cauſis externis ortis, diagnoſin ſæpe plurimum difficultatis, incertitudiniſque habere; tum & inconſtantem eandem ideo eſſe, quod lapſu temporis affectionum harum tota natura mutetur.

§. II. Verum non minorem ambiguitatem ſæpe infert hujus articuli affectio, quam vel cauſæ mere internæ, vel internæ cum externis combinatæ, produxerint. Mala nempe plurima hunc articulum occupant. Levior contuſio, quæ forte ſine accedentibus internis cauſis non nocuiſſet; Communis inflammatio; Diatheſis arthritica, rheumatica, ſcorbutica, venerea; Metaſtaſes denique, morbos varios, teterrimoſque, circa hunc locum frequenter generant. Multa exempla dedi hujus operis capite 7. pag. 47. cap. 11. pag. 62. cap. 17. pag. 108. & toto cap. 27. Hiſce novam obſervationem adjungam, totum morbum dein dogmatice tractaturus.

§. III. Puella 14. annos nata, ſpatio 7. ſeptimanarum laborans febre intermittente, aut continua remittente (id enim ex ejus enarratione ambiguum manet.) emetico tandem dato, febre liberatur; toto interea corpore intumeſcens, & pellucidis, ad ſupernos infernoſque artus, veſiculis plena. Quibus citra aperturam evanidis, manſit tumidiſſima. Diureticis tamen & purgantibus inde ita curabatur, ut domeſticos repetere quidem labores poſſet, ſed tamen diffi-

cultate, ac laſſitudine perpetua, utque teſtetur bona valetudine nunquam deinceps ſe uſam fuiſſe. Tranſegit ſic triennium. Poſtquam tumorem obſervare cepit ad externum latus femoris dextri, digiti circiter longitudine a criſta oſſis Ilei, verſus os ſacrum, & ſeſqui digiti longitudine exinde deorſum verſus, ſupra Glutæum magnum. Dimiſſus ſibi tumor ſex integris menſibus, cataplaſmate dein fotus, emollitur, ſponte aperitur, funditque puris ſerique multum, trimeſtri ſpatio; tandem adſperſo ignoto ſibi pulvere coaluit: ſic tamen, ut perpetuo doluerit locus, ipſaque poſtliminio in eundem incumbere non potuerit.

Catamenia ipſi, 17. annum ætatis agenti, obſervari cepta, continuarunt quidem, ſed & parce, & quovis alterno, tertiove menſe, tantum.

Notandum porro eſt quod, ante tumorem primo perceptum, iratus pater, magna vi, grave magnumque ligni fruſtum in illam, ab eo fugientem, projecerit, femurque dextrum percuſſerit, contuderitque. Quod equidem utrum immediate ante perceptum dolentis loci tumorém, an dudum antea, contigerit, haud bene meminit. Ita ut dubium ſuperſit, ſitne tumor ex relicta cacochymia natus, an contuſione? Alteram forte cauſam altera promovit.

Annos 19. nata, novum percepit antiquo loco dolorem, qui ignoto emplaſtro adpoſito ruptus, ſimilem, ut olim, materiem dedit. Novembri menſe 1758. ann. 20. attingens, tumorem deprehendit in medio poſtico femore ſibi naſci, findi, puriſque copiam magnam ad medium Decembrim uſque effundere.

Anno 1759. Jan. 5. primum me convenit, exhibens ulcera duo; unum loco ſuperiore antea deſcripto, alterum in medio poſtico femore. In hoc ſtylus ultra pollicis geometrici profunditatem fere perpendiculariter intrabat; in illud, pollicis medii. Os utriuſque anguſtiſſimum, ut vix ſtylum admitteret: de-

decurſus totus fiſtuloſum in profundioribus ulcus teſtabatur. Vagæ febres aderant.

Diagnoſis incerta. Probabile erat cacochymiam antiquam, contuſione externâ ad femur determinatam, tumorem produxiſſe; vel ſi tumor dudum præextitiſſet, eum contuſione auctum fuiſſe. Quid autem proprie, quave ratione, læſum hic eſſet, ſigna non indicabant. Attamen cum omnibus ſuis ærumnis recta adhuc incedebat.

Ut Diagnoſis incerta, ita ambigua prognoſis. Ut enim cap. hujus operis anterioribus demonſtratum eſt, dum ad profunda Coxæ, Femoriſque, ejusmodi dolores, ac tumores, dudum hæſerunt, interiora paſſim deſtructa ſunt, aut vehementer ſaltem læſa, antequam materies prorumpat foras. Ex quo id contingere ibidem conſtitit, ut arte poſtmodum aperturam faciente, aër accedat, & homo pereat. Attamen rem ſe non tam deſperate habere ſemper, imo conſequi ſalutem poſſe, etiamſi interna jam pro parte eroſa eſſent, felicia quædam exempla *cap.* 27. enarrata demonſtraverant.

§. IV. Indicatio in hujusmodi calamitatibus parvam facere aperturam jubet: *aperturam* quidem, ut materies interiora peſſumdans foras alliciatur, expurgarique locus poſſit; *parvam* vero, quia aër multum accedens, citiore corruptione accelerare mortem ſolet. Unde aperturæ hæ & raro, & cautè deligandæ ſunt; hic porro cum parvam aperturam Natura feciſſet, de alia facienda, eademve dilatanda, cogitandum non erat.

An tamen latior apertura, arte facta, non præſtitiſſet, præ fiſtulis hiſce binis, quæ ſponte natæ tantillum modo de mali ſcaturigine auferrent?

Neutiquam. Primò repetita toties experientia nos, alioſque, nocumenta latioris aperturæ ſæpe docuerat. Secundò ſtyli ſenſim profundior, atque ad

os demum fere penetrans ingreſſus, vetabat certe omnia hic perſcindere; Vaginam femoris, Glutæum maximum, Bicipitis Cruris caput longum, ſub eoque nervum Iſchiadicum, tum arteriam venamque inſignes, quæ ex magno trunco arteriæ ac venæ Cruralium mox anterius, in inguinibus, oriuntur, deinde ad poſteriora femoris penetrant; tandem & Semitendinoſum. Præterquam quod vaſa inſignia ex Cruralibus ſeſe per Adductores magnos femorum penetrantes, ſupraque eosdem decurrentes, hic lædi poſſent. Anno 1756. Vexillifer in Noſocomio, ſuppurato femore, & crure, indigebat ad medium femur poſticum apertura. Ramus autem adeo notabilis ibi decurrebat, ut ſiſtendæ hæmorrhagiæ vix pares eſſemus. Metus igitur hæmorrhagiæ, convulſionis, claudicationis, dilatare hic late profundeque, omnino vetuit.

§. V. Quid ergo in ejusmodi malis, ubi a cauſis ſive internis, ſive externis, coxa, viciniaque ejus, afficiuntur, agendum?

Lex Noſocomii noſtri immutabilis eſt medicinam Hippocraticam facere, *Hippocratem* in omnibus, maxime autem in difficilioribus, conſulere, conſultum ſequi; niſi poſteriora obſervata, quod tamen rarius, illum jam correxerint, & emendarint. Erat igitur denuo ſpecimen juventuti Medicæ dandum, quo caperet, qua lege *Hippocratis* mentem inveſtigare, veſtigia premere, deberent.

Occurrebat 1°. Aphoriſmus 31. ſect. 4. τοῖσιν κοπώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν " Laſſatis per febres ab-
,, ſceſſus maxime fiunt ad articulos & circa maxil-
,, las." Quotidiana quippe obſervata docent his, qui a morbo febrili, aut acuto, haud rite judicantur, laſſitudines manere, ſenſumque gravitatis; a materia, quæ vel admodum morboſa, vel ſaltem a ſanitate aliena in corpore oberrat, cum reliquis circumfertur

hu-

humoribus, & per multa vaſa minima penetrare ſe nequit. Hæc ipſa materies, quanvis nonnunquam febres, ſive inflammatorias, ſive hecticas, letalesque, producat, ſæpe tamen ad Parotidas, Coxasve, aut ad alias partes, metaſtatice defertur. Incertum porro, quandiu hæc ſit oberratura in corpore materies, antequam ad loca certa deponat ſeſe. Incertum etiam an non eos affectura ſit locos, qui affecti, vel partium quæ afficiuntur, vel totius corporis, inferant perniciem. Poſſe nonnunquam diu humoribus miſtam manere, cumque iisdem circumduci, & experientia pluries in Noſocomio docuit, & peculiariter de Metaſtaſi ad Coxam obſervaſſe *Celſus* videtur *Lib.* 4. *cap.* 22. *de Coxarum Morbis:* " Eoque id genus, inquit, " difficillime curatur, quod fere poſt longos morbos " vi peſtifera huc ſe inclinat: quod ut alias partes li" berat, ſic hanc ipſam quoque affectam prehendit.

Attamen in hac incertitudine *Hippocrates* indefatigata ſua obſervandi induſtria eo pervenerat, ut præſciret an non brevi tempore oberrans hæc materia ad certo determinatam partem adpelleret? Aph. 32. Sect. 4. " Quibus ex morbo reſurgentibus aliquid " dolet, ibi abſceſſus fiunt. " Materies quippe ad certam corporis regionem deferri cepta, quæque per minima ibidem vaſa ſe penetret inepta, extendit eadem, nervos ſubjectos, interpoſitosque premit; hinc tunc perceptio doloris. Porro dolor ille, deſcripto rerum in ſtatu, innuit hujus impulſionis primordia poni, adeoque futurum monet ibidem abſceſſum.

Imo in his laſſitudinibus poſt febres relictis, locum ipſum prædefinire, etiam ante natos dolores, audebat *Hippocrates*, Aphor. 33. ſect. 4. " Sed etiam ſi quid " doluerit ante morbum, ibi ſe figit morbus" Etenim ſi homini pars quæpiam ante morbum doluerat, bona criſi ea quoque ſaneſcebat: Criſi vero imperfecta prægreſſa, timendum nunc erat, ne heteroge-

nea materies, laſſitudines poſt febres efficiens, eum peteret locum, qui ex antiquiore dolore jam obſtructus, hincque debilitatus, craſſiori morboſæ materiæ tranſitum neceſſario denegaret.

Sic. *Epid.* 7. *Sect.* 7. *apud Foës. pag.* 1193. morbos circa brumam ortos deſcribens, Tuſſes nimirum, Peripneumoniam, Anginas variæ ſpeciei, & Paraplexias
„ Anginæ autem, inquit, & Paraplectica mala, aut
„ dura & ſicca erant; aut parva, & raro maturum e-
„ ducentia. Nonnullis vero etiam multum educe-
„ batur. Qui ergo plus voce male habebant, aut ri-
„ gore corripiebantur, iis tuſſes in Anginas potiſſi-
„ mum deſinebant. Qui vero manu ægre habebant,
„ manibus tantum reſoluti fuerunt. Qui autem equi-
„ tarunt, aut plurimum viæ confecerunt, ἢ ἄλλοτι
„ τοῖσι σκέλεσι ταλαιπωρήσαντες, τετέοισιν ἐς ὀσφῦν, ἢ
„ σκέλεα, ἀκρασίαι παραπληγικαὶ, aut alioqui cruribus
„ male habuerunt, iis Lumborum, aut Crurum im-
„ potentiæ ex reſolutione obortæ ſunt, & ad femo-
„ ra tibiasque laſſitudo ac dolor.

Epid. 4. pag. 1132. " *Apemanti* ſororis filius tumi-
„ da præcordia, & Lienem habuit. Crebra ſpiratio
„ erat, alvi egeſtio glutinoſa, & bilioſa, quibusdam
„ excrementis permiſtis. Κοπιώδης ἐξ ἔργων, cum ex
„ opere defatigatus eſſet, 20. die abſceſſus in pedes
„ decubuit, idque ex judicatione, qua delaſſatis ejus-
„ modi, non ad oculum verbi gratia, ſed ad articu-
„ los, abſceſſus decumbat.

Idem obſervaverat in aliûs generis metaſtaſibus, v. g. iis, quæ, poſt immanem tuſſim ceſſantem, partes paralyticas redderent, Epid. 4. pag. 1138. " In
„ tuſſientibus iis quidem, qui manibus laborabant
„ (male habebant) velut *puero*, qui ſarmenta contor-
„ quebat, & *Amynthæ* filio, ubi utriſque ſolius dex-
„ træ reſolutio contigiſſet, ceſſabat tuſſis: poſtquam
„ enim tuſſiverant, hac affecti ſunt. Qui vero aut

„ equi-

„ equitarunt, aut pedibus iter fecerunt, in Lumbis
„ & Femoribus eam ſenſerunt.

Itaque, ſecundum *Hippocratem*, Juvenculæ noſtræ ideo ad Coxam materies decubuit, quod ſuo in famulatu pedibus, unà cum toto corpore delaſſatis, multum uteretur; quodque etiam contuſio ad eundem locum contigiſſet. Atque hæc de Hippocratica diagnoſi ac prognoſi: examinanda jam ejus curatio eſt.

Epid. 4. pag. 1127. "*Moſcho* nono die largus ex
„ nare ſiniſtra, paucus autem ex dextra, ſanguis ef-
„ fluxit. In 14. diem, prout debebat, judicatio ab
„ initio commovebatur. 17. die errata in ciborum
„ ratione contingebant. 19. noctu enatum eſt ad au-
„ rem dextram tuberculum parvum, intus durum,
„ foris paulum molle, dolorem inferens, nec remit-
„ tens. Purgatione rejecta ſunt admodum bilioſa,
„ purulenta, ſepiæ atramento maxime ſimilia. Ne-
„ que ſecus, ac is, cui admota cucurbitula, cum do-
„ lor ad Coxendicem eſſet, in crus deſcendit, alle-
„ vatus eſt.

Nimirum *Moſchus* acuto morbo communi laborabat, quem dies 14. pro parte judicaturus videbatur, atque dies 17. integre forte judicaſſet, niſi diætæ errores hanc Naturæ intentionem & conatum interturbaſſent. Hinc die 19. forte finiente, aut 20. inchoante, Metaſtaſis pone aurem contingebat; haud tamen cum totius morboſæ maſſæ eo verſus determinatione, ſiquidem conſtet ejusdemmet portionem inteſtina petiviſſe. Attamen *Hippocrates* curam hujus Metaſtaſeos eodem modo perfecit, quo ejus, qui metaſtaſin patiebatur ad Coxam; nempe cucurbitulis.

Et pag. 1128. "*Qui ex figulino equo decidit*, cui nec
„ ilico admota eſt cucurbita, ἐκαύθη ἔσω, intus uſtus
„ eſt, ac die 20. malum recruduit: ſanguinis pro-
„ fluvia, feculenta, & erodentia, prodierunt.

Epid. 5. pag. 1143. "In Oeniadis *Eupolemus* Co-

„ xendicis & Inguinis dolore conflictabatur, ut & in
„ toto loco propinquo Coxæ juncturæ, ab inguine,
„ & anteriore coxendicis parte. Hinc ſanguis ex
„ malleolo detractus eſt, admodum multus, niger-
„ que idem, & craſſus: epoto autem medicamento
„ alvum deorſum purgante, multum purgatus eſt,
„ & melius quidem ei aliqua ex parte fuit. Dolores
„ vero non ceſſabant, ſed tum Coxendicem, tum il-
„ lius juncturam, tum Cochonam" (Cochone eſt illa pars tota ſuperioris femoris anterior, poſteriorque, quæ eſt a criſta Ilei & Pube, uſque ad extremum Tuber oſſis Iſchii, cui inſidemus. Vid. *Goræum in Def. & Foëſ. in Oecon.*) "tum etiam inguinis loca,
„ ſuppuratio occupabat, ibique dolor erat intenſior.
„ Pus autem *os*, potius quam *carnem*, pervadebat, &
„ aliquamdiu ſic ſe habere ignorabatur, donec admo-
„ dum debilis extiterit.

„ Tandem cruſtis valde multis, iiſque magnis ac
„ denſis, inuſtus eſt, puſque multum & craſſum ef-
„ fluxit, ac paucis poſt diebus interiit; tum ex ul-
„ cerum magnitudine & multitudine, tum ex cor-
„ poris debilitate. Hic videbatur ſanari potuiſſe, ſi
„ unica ampla ſectione ſectus fuiſſet, & ſi per eam
„ ſectionem pus effluxiſſet: aut ſi altera ſectione o-
„ pus fuiſſet, amplam eam facere, & hæc omnia ἐν
„ τῇ ὥρῃ, idoneo ſuo tempore, inſtituere oportuiſſet.

„ *Lyconi* in Oeniadis in reliquis quidem eadem con-
„ tigere, dolores tamen ad crus non admodum per-
„ vadebant, neque purulentus extitit, verum ſanus
„ longo intervallo. Medicamenta autem ebibebat
„ (φάρμακα, medicamenta purgantia) & cucurbitu-
„ las admovebat, ſanguis mittebatur, atque interea
„ melius habere videbatur.

„ Lariſſæ *Scamander* Coxendicem ſyderatam ha-
„ buit, ἰσχίον ἐσφακέλισε, coxendicem ſphacelatam
„ habuit, & os diu diſparatum. Hic poſt magnam
ſectio-

„ ſectionem, etiam usque ad os ipſum factam, deni-
„ que inuſtus eſt, ac tum 12mo. poſt ſectionem die
„ convulſio cepit, ac magis detinuit. Convulſione
„ autem tentabatur crus ipſum ad latera usque, quæ
„ ad alteram etiam partem perveniebat. Crus autem
„ contrahebatur & extendebatur, cæteraque mem-
„ bra movebat, & maxillæ riguerunt. Hic octavo
„ poſt convulſionis inſultum die convulſione periit.
„ Utriculis vero concalefactis, ex orobis, ervis, ad
„ curationem totum corpus fovebatur, & ab enema-
„ te paucum ſtercus tandem prodiit. Medicamen-
„ tum ſinceram bilem affatim deturbans, φάρμακον
„ κατακορὲς, bibit, & repetivit. Ac ſeceſſit quidem
„ alvus, nihil autem opis inde tulit. Somnus parvus
„ venit. Rurſusque epoto ſub veſperam valido medi-
„ camento, ſinceram bilem affatim deturbante, ſub
„ ortum ſolis mortuus eſt. Ἐδόκει δ᾽ ἂν πλείονα χρόνον
„ διενεγκεῖν, εἰ μὴ κατὰ τοῦ φάρμακου τὴν ἰσχὺν. Videba-
„ tur autem longiore tempore morbum laturus fuiſ-
„ ſe, niſi propter violentiam remedii periiſſet.

§. VI. Ex his cunctis liquet ſummam horum malorum curam Priscis in eo poſitam fuiſſe, ut internis externisque auxiliis materiem a coxa revellerent. Ac primo quidem ſectio & uſtio frequenter adhibebantur, ſpemque curæ ipſis ſemper magnam videntur feciſſe. Ita ut quemadmodum pag. præced. animadvertebamus, mortem *Eupolemi* adſcripſerit *Hippocrates* debitæ, ac tempeſtivæ, ſimulque profundæ ſectioni, neglectæ. Itidem legimus pag. 1151. Edit. Foëſ. *Hippocratem Cyrenii*, & *Hecaſonis* mortem, tardius factæ inuſtioni adſcripſiſſe. Imo utrumque hoc extremum remedium ſimul adhibitum fuiſſe docuit *Scamandri* mox data hiſtoria. Sectionem unam, latam, amplam, quandoque pluribus parvis prætuliſſe magnum virum, caſus *Eupolemi* manifeſtat. Sed ſimul partibus jam ſphacelatis hanc methodum non profuiſſe, ni-

nimia jam facta internorum deſtructione, antequam malum foras ſe verteret, *Scamandri*, aliorumque exempla, luculenter demonſtrant.

Sectiones itidem hæ, atque inuſtiones, leguntur quidem ad os usque factæ, at in ſphacelo tantum, ubi vel nihil, vel profundiſſime ſecandum eſſet, & ubi mors cæteroqui certiſſima inſtaret. Cæterum amplæ ac latæ, haud vero nimis profundæ, inſtituebantur, & a ſubſequentium ſæculorum Medicis inſtitutæ leguntur.

Hinc *Celſus Lib.* 4. *cap*. 22. inuſtionem duntaxat ſuperficiariam commendare videtur: „Ultimum eſt, „ inquit, (& in uteri morbis quoque efficaciſſimum) „ tribus aut quatuor locis ſuper Coxam cutem can- „ dentibus ferramentis exulcerare.

Equidem legitur *Hippocrates Lib. de int. aff. cap*. 53. apud *Chart. tom*. 7. *pag*. 677. jubere Iſchiadicis „ πολ- „ λὰς ἐσχαρὰς, καὶ βαθείας καῦσαι, eſcharas & multas, „ & profundas, inurere"; ſed ideo profunditatem ad os usque intelligere non videtur. In obeſis certe poteſt profunda uſtio eſſe, quæ tamen adipem vix omnem penetret. Imo os ipſum vitari oportere laudato mox loco innuit *Hippocrates*, jubens „ Eſcharas mul- „ tas profundasque inurere in oſſeis quidem partibus „ fungis, μύκησι; in carnoſis vero, ferramentis". Et alio hujus libri loco jubet inuri modo Lino crudo.

Proſper Alpinus Libr. 3. *de Med. Aegyp. cap*. 12. innumeras Ægyptiorum curas, cauterio plurimis in morbis peractas, enarrans „ Hinc mirum, inquit, „ non eſt, ſi proſpere hoc remedium in omnibus ar- „ ticulorum doloribus, curatu difficilioribus, expe- „ riuntur; potiſſimumque in Coxendico dolore mul- „ tas uſtiones, non modo ſupra articulum, ſed etiam „ ſupra femur, facientes". Gens porro illa, ut idem refert, inuſtiones facit Goſſypio, linteo involuto, filis ſericis compreſſo, in conum formato, perpendicula-

culariter perforato, cujus coni perforati baſin loco inurendo apponunt, interea dum incendant apicem. Unde etiam ſuperficiaria videtur eorum uſtio eſſe. *Paræus Lib.* 18. *cap.* 28. ad digiti (lati procul dubio) profunditatem locum hunc inuri jubet, idque tribus, quatuorve, diverſis per ambitum articuli plagis; cavendo, inquit, ne nervi lædantur. Cæterum raros invenimus, qui ad os usque inuri locum jubeant, *Tulpium Lib.* 3. *cap.* 26. *Deckers Exerc. pract. pag.* 34. aliosque paucos, ſi exceperis.

Referenda huc famoſa *Moxa*, ſive *Artemiſiæ Lanugo*, quam Indi parant. Agit nempe, quo priora, modo. Vim enim Artemiſiæ peculiarem hic non agnoſcimus. *Olaus Borrichius* dudum adverterat majorum virium in Iſchiade curanda hanc cum Artemiſia factam inuſtionem non eſſe, ipſis veſicantibus. Et ſi, quæ pro & contra ſcriptitata fuerint ſuperiore ſæculo, apud *Bonetum Med. Sept. Tom.* 2. *Lib.* 6. *Sect.* 5. *cap. de Arthrit.* attente pervolvimus, abunde convincimur hoc auxilium, adeo olim decantatum, tam caro pretio ſolutum, præ reliquis inuſtionibus nihil ſingulare habere.

2do. *Cucurbitas Hippocrates* hic impenſe laudat; laudarunt omnes poſt illum autores. Iterata harum actione revulſio neceſſe eſt ab interioribus verſus exteriora fiat. Continuo enim magnam in molem elata integumenta, humores huc undique alliciunt: ſpesque ſic fit, fore ut hac lege & moveatur, & attrahatur, quæ profunda in ſede locabatur, morbi materies. Idque revera fieri, innumera teſtantur exempla.

Ad inuſtiones & Cucurbitas, merito referimus lata *Veſicantia* noſtra. Clariſſimus *Boerhaave* ajebat ſæpius nobis, ſi vellet arcanum quoddam vendere, id fore tectas, & ſub alia ſpecie occultatas Cantharidas, in Iſchiadicis. Hoc remedium emplaſtri forma, palma manus majus, adplicabat Coxæ, & dein, poſt ingentem

tem veſicam contractam auferebat, vulnusque percurabat: dolore non abeunte, repetebat idem octiduo poſt; idque aliquoties ad tertiam, quartamve, vicem: quanvis raro id ſibi contigiſſe teſtaretur, ut quarto emplaſtro indigeret. Innumeri ſunt, quos in Noſocomio hac methodo ab annoſioribus hisce ærumnis percuraverimus. Hæc autem cura vix obtinet ubi locus ſponte exulceratur; ut in caſu Juvenculæ noſtræ; quanvis etiam in ambitu ulcerum ſemel iterumque explorata fuerit.

Tertio laudavit hic *Hipp. Venæ Sectiones*. Nec datur fere autor, qui eandem haud commendaverit revellendi animo, ſi indicatio utcumque vel juberet, vel permitteret. In initio tamen proficua magis futura, quam progreſſo malo, videtur.

Quarto, *Purgantia* & *Clysmata* adhibuit, poſtque ipſum omnes. Præter revulſionis intentionem generalem, veteres videbantur quid peculiare ab his remediis expectare; ſaltem ab enematibus. *Dioscorides* clysmata hic adplicabat ex acerrimis omnium purgantibus. An anatome hanc Veterum experientiam forſan confirmat? Arteria Natium *Winslowo* dicta, producit Hæmorrhoïdalem internam, aliam omnino ab iis arteriis, quas vulgo Hæmorrhoïdales internas appellare conſuevimus; ſimulque dat ramum ad articulum femoris; imo dat ramulos qui interiorem ſubſtantiam perreptent nervi Iſchiadici. Præterea ramus primus arteriæ pudendæ internæ dat ramos Hæmorrhoïdales internos, & ramum anterius, poſteriusque decurrentem ſupra cervicem oſſis femoris. Atque hæc de communibus arteriis; ſi autem nervos contemplemur, a nervo Iſchiadico, pelvi egreſſo, ramus proficiſcitur, qui Anum petat.

Quinto, *Clismata*, ſive *Fomenta tepida*, egregii uſus deprehendere, cum *Hippocrate*, Medici omnes; maxime ſi cum farinoſis in cataplasma redigerentur.

Co-

Conabantur hinc omnia laxare, & per laxatos poros acres adigere ſtimulos. *Dioſcorides* in Iſchiadicis miſcuit cataplasmati radicem ſcammonii, ipſamque Colocynthidem. Nullus fere autor eſt, qui peculiare quoddam acre hic non commendaverit. Videte *Proſp. Alp. Med. Meth. Lib. 9. cap. 5. Foreſt Lib. 29. Obſ. 22. in ſcholio.* Iſchiadis ſubita admodum curatio deſcribitur a *Boneto Med. ſept. Tom. 2. pag. 575.* partem affectam primo probe fricatam, igni dein expoſitam, fovendo hoc linimento. ℞. Sapon. ven. raſi unc. 1. Aq. Reg. Hung. q. ſ. Deinde fricando ungento, quod ex ung. Alth. Thereb. & Ol. Lumbr. pararetur. Egregium belli ducem *Hagæ Batavorum* iteratis veſicantibus fruſtra fere vexaveram. Semicuratus iter ſuſcipere debuit. Loco, quo perrexerat, quietus, ferendo dolori non erat. Matrona conſulit totum quantum femur involveret emplaſtro quod ex pulvere Maſtiches cum ſpiritus vini ſ. q. pararetur. Adplicuit, dolore immunis Hagam rediit, rem mihi patefecit totam. Deſperatis pluribus hoc conſilio profui. *Calx viva cum melle*, vel cum unguentis quibusdam miſta, plures egregias curas mihi edidit.

Sexto, *Frictiones tum ſiccæ, tum humidæ*, rebus penetrantiſſimis inſtitutæ, pertinaciter continuatæ, ſæpius utiliſſimæ inventæ ſunt; ut jam exemplis ad n°. 5. patuit.

Septimo *Thermas* commendant, laudantque plures. His curari multos, multos minime, compertum eſt. Plures vidi qui Aquisgranenſibus, qui Badenſibus, &c. uſi, vel nihil lucrati eſſent, vel in pejus verſi. Laudat tamen *Schultetus* proprio exemplo ſuo virtutes balnei *Thalſengenſis*, vulgo *Geſundbrun*, in agro *Ulmenſi*: cujus uſu Iſchiadico dolore, aliis quidem remediis olim cedente, ſed tamen iterum redeunte, jam a novennio carebat. *Embroche* in deſperatis ſemper tentanda eſt, licet habeamus, quibus non profuerit; prodeſt tamen aliquando.

Octa-

Octavo *Fonticulos* & Veterum multi, & uſus hodiernus, ſæpe ſalutares invenere. Irritatio eſt perpetua, perpetuusque revellens effluxus.

§. VII. Veruntamen in cunctis hisce tum Veterum, tum Modernorum methodis adhibendis, Prognoſis fere ſemper incerta eſt: cum natura mali nos prorſum lateat; nec niſi ex effectibus, &, ut ajunt, a poſteriore, nobis ſæpe manifeſtetur. Conſiderentur varii tantummodo, qui afficiuntur, loci! Prava materies hæret fortaſſis in cute modo, vel in panniculo adipoſo, vel in Faſcia lata, vel in involucris musculorum ſuperiorum, inferiorumve, vel in involucris Iſchiadici nervi, vel in Perioſteo ſuperioris partis oſſis femoris, vel in Perioſteo oſſis Iſchii, vel in oſſea parte Acetabuli, vel in capſa ligamentoſa articuli, vel in cartilaginibus ſeu os, ſeu cavum acetabuli, incruſtantibus, vel in glandula magna, vel in ligamento tereti, ejusve ſive alterutra, ſive utraque origine, vel denique in pluribus harum partium ſimul. Deinde ad loca tam varia etiam multiplex adpellit materia. Eſt enim ſerum acre Podagricum, Rheumaticum, Scorbuticum, Venereum; ſi locus primario afficiatur: vel eſt ichor, ſanies, pus, acrimonia jam expoſita, metaſtatice huc aliunde delata: vel eſt materies genita ex prægreſſa loci hujus communi inflammatione. Quæcumque jam materies ſit, ſi non corrumpatur, ſi eliciatur extrorſum, ſi nova non ſuccedat, ſi nihil intus deſtruxerit, integram poteſt admittere curam. Si vero expulſam priorem nova ſubſequatur, recidivas facit, curasque inconſtantes. Sed enim vero ſi corrumpatur, diuque ibidem hæreat, cunctas hic partes pesſumdet neceſſe eſt. Ita vidimus in Noſocomio nunc ipſos musculos, nervosque, putredine liquatos; nunc os femoris carioſum; nunc laceram articularem capſulam; alio tempore acetabulum carioſum factum; alia vice caput oſſis totum, eroſo ligamento, extra

tra Acetabulum; iterum Acetabulum deſtructum totum, ita ut vel illud ſolum, vel & os Iſchii, & os Sacrum, & vertebræ lumborum, carie conſumerentur; nunc iterum perfectam oſſis femoris cum acetabulo Anchyloſin &c.

His ergo omnibus, quæ ad variam morbi ſedem, variamque materiæ naturam ſpectent, conſideratis, minus mirabimur tam curas inconſtantes, quam caſus deſperatos. Erimusque in prognoſi cautiores cum morbus toties fallat nos; quid dicam! cum ipſum τὸ πανὺ fefellerit *Hippocratem*. Juvat textum adducere ex Epid. 5. pag. 1151. „ *Hecaſoni* in Omilo, ex corporis impuritate, & prava (ſeu intempeſtive data) „ purgatione, gravis in Coxendicem dolor incubuit. „ Quo quidem demittente, febribus correptus eſt, „ diuque lectulo decumbens, neque bibebat qui- „ dem, neque ſitiebat. Debilis quidem erat, & cre- „ bro inhorruit. Huic probe quidem, ut convenie- „ bat, morbus ſublatus eſt; corpus autem ex oblatis „ opem percipiebat". Igitur videbatur laboraſſe *Hecaſon* Phthiſi vere coxaria, Hecticas febres, cum frequenti horrore, & magna debilitate, inducente. Morbo liberari viſus eſt, viresque deperditas belle recuperare, ut jam ſanescere videretur. Sed an ſanus factus eſt? „ Tandem, ait, morbus per inferiora erupit, „ ac totus cum multa bile ſeceſſit, & mente motus, „ interiit". Ergo morbus lucido quodam intervallo latuerat, & veluti curatus habebatur; & quidem ita, ut *Hippocrates* ſubjungat, ἐδόκεε δ᾽ ἂν ἐκφυγεῖν τὸ νόσημα, *Hecaſon* videbatur morbo emergere, e morbo „ evadere". Sed interea tandem morbus per inferiora ſeceſſit, occiditque *Hecaſonem*. Id quod Phthiſicis ſolenne eſt, ut Diarrhæa colliquante pereant. Hujus *Phthiſeos Iſchiadicæ* exempla plura præcedentibus capitibus hùj. op. dedi, morte paſſim terminatæ. Diarrhœa hæc colliquans latenter promota *Eupolemon* occiderat, p. 314.

§. VIII. Haud omnium tamen in hac Phthiſi iſchiadica ſortem æque deſperatam eſſe, binis exemplis luculentis hujus operis cap. 27. clare vidimus. Ipſiſſimaque juvencula, cujus caſus totum hoc caput genuit, eadem, qua illæ binæ, methodo; lactea ſcilicet diæta, cum largo corticis peruviani uſu; huc usque bene ſe habet, ulcere lympham modicam exſudante. Lymphæ autem hujus inde revellendæ cauſa, fonticulus inciſus eſt. Hoc tempore toroſa, robuſta, duros ſuos labores indefatigata perficit, idque jam trimeſtri ſpatio. Cæterum ſapones herbæque ſaponaceæ atque antiſcorbuticæ dictæ, ſi largiſſime ſumantur, egregium uſum habent, ubicumque ſpes reſolutionis aliqua ſupereſt.

CAPUT XXXIII.

De Apoplexia & Nervorum Morbis.

§. I. *Variæ cauſæ remotæ Apoplexiæ unam modo eandemque cauſam proximam facientes, cadaveribus ſectis demonſtrantur; ſimulque practice diſſeritur circa Apoplexiam, ſive deſperatam, ſive ſanabilem, ex cauſarum expoſitarum contemplatione.* §. II. *Examen cauſæ cur toties Apoplexia aut generet paralyſin, aut ipſam ſequatur? Ea occaſione oſtenditur cauſam eandem proximam in decem v. g. hominibus, decem varios cerebri, nervorumque, gignere morbos. Ideoque quid iidem hi morbi commune inter ſe, quid diverſum habeant, & quinam demum ex illa diverſitate effectus diverſi producantur, examinatur.* §. III. *Reperitur tamen ab omnibus hiſce Catalepſis maxime abludere; cujus miræ hiſtoriæ enarrantur, examinantur, magnamque partem inexplicabiles declarantur: qua occaſione etiam aliquid de ſomnambulis.* §. IV. *Exa-*

Examen quæſtionis, cur Cerebro uno in latere affecto, oppoſitum latus Paralyſis prehendat? Aſſertio hæc juſtos intra terminos limitatur contrariis obſervationibus. De lympha Cerebri non concreſcibili.

§. I. Nonnullos morbos reperire eſt, qui ſæpius licet viſi, inſpectisque demonſtrati cadaveribus, repetito tamen frequentius examine, Medicinam magis illuſtrent magisque: quos inter Apoplexiam eique affines morbos merito recenſemus; de qua porro, ut quid digne proferamus, primo hiſtorias morborum varias, cadaverumque ſectiones præmittemus.

Anni currentis 15. Aprilis, fœmina 102. annorum habita, in Noſocomio *civico* extinguebatur. Cadaver petieram, fati ſenilis proſpectum auditoribus daturus. Exp. Noſocomii illius Phyſicus dominus *Erndl* ſequentem primo dabat anamneſin: Autumno elapſo febrim continuam paſſa erat, hyeme Diarrhœam. Aptis reſtituta medelis, viribus tamen ſenſim defecit; ut lectulo perpetuo affixa, cardiacis ſemper fovenda eſſet. Brevi ante mortem, en, inquit, morior; ſumto autem cardiaco, gaudeo, ait, denuo me recolligo; ſimulque deſiit vivere. En jam quæ dabat Anatome!

Musculi abdominales ſoli quidem tenuatiſſimi, cæteri vero musculi omnes, tendinesque, femorum, ſurarum, colli, dorſi, omnino carnoſi, toroſi, pinguedinoſi, ut in ætate media Egregia omnia viscera ventris. In thorace itidem boni Pulmones; Cor, vaſa majora, ut in homine ſano 30. annorum ſe habebant. Haud igitur quod expectaveram, & demonſtrare geſtiveram, inveni: inveni autem quod non cogitaveram. Intra cranium nempe, ubi cerebrum totum minime ſiccum, ſed maxime naturale erat, cruor ater, ſpiſſus, effuſus erat ſub Pia Matre, ad lobum poſte-

riorem ſiniſtrum ita quidem, ut cavum, pollicem capiens, in hoc lobo expleret.

Eſt Apoplexiæ ſpecies, ſolo ſpirituum defectu oriunda, quæ huic fœminæ jam pluries intentaverat mortis minas. Cum pauca tamen quantitate ſpirituum, ope cardiacorum, tum replentium, tum excitantium, refecta, vitam protraxit. Jam vero effuſus cruor ſubjecta preſſit. Cranio enim ſemper exacte pleno, preſſio grumoſi ſanguinis in lobo poſteriore Cerebri removebat a ſe per ambitum lobi ſubſtantiam; ea remota ſubſtantia premebat vicina ſibi, atque ita compreſſio progreſſa videtur ad ipſam usque medullam oblongatam: quo demum factum, ut pauca illa ſpirituum copia, qua debilis hæc vita eousque ſuſtentata, protractaque fuerat, interciperetur, eaque intercepta mors adeſſet. Utrum nunc ſanguis ſenſim ibidem colligi ceperit, an effuſus recenter fuerit, incertum: poſſe tamen ſubito ante mortem effundi ſequentibus demonſtrabitur.

2. Die 29. Febr. ex eodem Noſocomio adferebatur mihi cadaver ſenis, qui, ſtrenuus ſemper helluo vini, eodem ſeſe triduo ante mortem ita impleverat, ut in ipſa ebrietate Apoplexia ἰσχυρῇ tactus, bidui ſpatio extingueretur.

Dura Mater bona, tota vero Pia dicta aneurysmatica, & varicoſa omnino fuit, idque non in ſuperficie modo, ſed inter omnes cerebri anfractus ſeu volvulos, & inter utrumque hemiſphærium, potiſſimum vero ad Tempora. Ventriculus anterior cerebri ſiniſter grumoſi ſanguinis eam habebat copiam, ut commune cochleare expleret, dexter dimidium paulo fluidioris. Cerebelli Pia Mater, maxime ſiniſtri, ut ea cerebri ſe habebat.

Alcoholis eſt, dum ſanguine ſuſceptum circumducitur, illum rarefacere. Spatium igitur majus occupantes humores, vaſa extendunt, dilatant, ſimulque

ea-

eadem dilatata, quod vehementem ſtimulum circumferant, in validiorem adigunt actionem. Repetita multoties hac actione, debilitantur ſic vaſa, ut communi & tranquilla humorum circulatione languide tantum reagant, nec niſi ſtimulo repetito debite ſuos propellant humores. Sed demonſtratum eſt repetita rarefactione humorum vaſa debilitari. Ergo quo ſæpius neceſſarius eſt ſtimulus, ut torpor vaſorum excitetur, eo frequentius eadem rarefactio, vaſa extendens, cauſam debilitatis adauget. Et hinc demum triſtis illa neceſſitas vini, ſpirituumve, copiam ſenſim augendi, cum vaſa de die in diem debiliora, a conſuetis ultra non afficiantur. Hinc ſenſim homo ita flaccidus adparet, ut, qui DEI eſt imago, jam referat Bacchi ſimulacrum. Hinc igitur capimus cur arteriæ venæque Piæ Matris aneurysmaticæ ac varicoſæ fiant: id quod videtur tolerari utcumque poſſe, absque eo quod vaſa dehiscant, quia æquabiliter ſuſtinentur; at in ventriculis cerebri alia res eſt. Vaſa innumera plexus Choroïdei poſſunt pro momento ſine reſiſtentia eſſe, ſi plus lymphæ ex iisdem reſorbeatur, quam in illos influit. Vel ſi id non fit, ſaltem vaſa in rore, vel liquore, perpetuo ſita, debilitari, ac dilatari, prædictis internis de cauſis ita queunt, ut facile dehiscant: præterquam quod acrimonia in his corporibus nata, acrem ventriculis lympham inſtillet, quæ eadem vaſa corrodat, facileque diſſolvat. Hinc demum effuſio ſanguinis. Hinc ventriculi ſanguine turgidi totum cerebrum ac Medullam Oblongatam comprimunt. Hinc capimus unicam unciam ſanguinis, intra cranium effuſam, inter Apoplexiæ cauſas ab autoribus jure referri.

3. Sartor 55. ann. 9. Aug. 1757. terrore, mœrore, gravique ira correptus, cubitum ſanus petit. 10. Aug. evigilans deprehendit ſe toto latere dextro tumidum, ac paralyticum; idque haud in crure, brachioque, ſolis,

lis, verum etiam in gena, & lingua; ita ut loquens non intelligeretur. Vena ipſi mox ſecta eſt, & quæ reliqua artis erant adhibita, tandem trigeſies balneo Badenſi uſus eſt. Quibus omnibus id effectum, ut tumor partium demitteret quidem, & cruri quisquam rediret motus; paralyſis vero eodem perſeveraret cæteris in partibus modo.

Prima vice illum vidi 9. Junii 1758. eumque ab illo die ad Machinam electream adhibere cepi. Eſt idem ille, de quo cap. 28. pag. 232. n°. 11. Menſe Januario 1759. in lecto jacens, expedite poterat brachium, digitosque, movere; extra lectum vero minus. Habent id plures Paralytici, dum incipiunt emendari. Suſtentatis partibus, obſcurus qui redierit musculis motus, eosdem facilius movet, quam ſi pendente brachio musculi totum brachii pondus ſimul ſuſtinere attollereque debeant. Junio menſe vox distinctior, tantusque jam pedis motus, ut ſolus, ſine ſcipione, magnam circumambulet aulam.

Nona autem Junii ad ſecundam pomeridianam Machinæ accedens, dixerat famulo Noſocomii quidem ſibi bene non eſſe, nobis vero nihil, niſi ad 10. forte ictum. Ducebatur ilico in lectum, ut parum quiesceret, utque quid ipſi deeſſet examinarem. Ilico magnam præcordiorum anxietatem conquerebatur, & intra dimidiæ horæ ſpatium mentis compos ultra non fuit. Fruſtra vena ſecta eſt; fruſtra injectum enema, adhibitaque veſicantia. Deglutitio ſublata prohibuit uſum medicamentorum. Intra quadrihorium expiravit.

In cadavere Dura Mater a latere ſiniſtro ſinus Falciformis cum cranio concreverat, ibidemque craſſa ac dura erat. In ſiniſtro cerebri hemiſphærio, potiſſimum ad latus, varicoſiſſima eadem erat, in dextro autem parum tantum. Eademque in plaga, qua Dura Mater cum cranio cohærebat, etiam arcte coibat cum Arach-

Arachnoidæa ac Pia membranis. Sub Arachnoidæa in poſterioris lobi cerebri parte priore & læva, lympha multa ſplendens, hinc inde ſubrubella, adparuit. Eadem lympha coagulata, tremula, conſpiciebatur in lobi hujus poſteriore plaga, maxime inter medullæ volvulos, ſupra Piam Matrem. Cæterum, niger ſanguis videbatur omnes medullæ gyros, volvulosve, per totum Encephalon ſejungere; id quod adhuc adparebat profundioribus ſectionibus jam Medullæ bona parte ablata. Ventriculus ſiniſter anterior, ſive ſuperior dictus, & ampliſſimus omnino erat, & tum copioſiſſima rubella aqua, tum grumoſo ſanguine plenus fuit; dexter vero ejus compar ſuam & amplitudinem, & lympham, naturalem habuit. Ventriculus quartus, amplus, copioſo, ac coagulato ſanguine, diſtentus erat, usque ad foramen magnum oſſis occipitis.

In ſiniſtro cerebri hemiſphærio quæ enarrata vitia ſunt, ad Paralyſin dextri lateris explicandam ſufficiunt. Vitia ventriculi quarti ad Apoplexiam, eamque tam cito letalem, intelligendam ſufficienter quoque facere videntur. Expoſueram ad ægrum II. quo pacto in plexu choroidæo vaſa rodi, rumpique posſint, ac ſanguinem ſuum intra ventriculos cerebri anteriores effundere. Eadem explicatio valet ad ventriculum quartum, cum & ſpeciem quandam plexus choroidei habeat. Cæterum ex hiſtoria morbi patet hanc effuſionem letalem ſubito contigiſſe: an forſitan nimium repleverit ventriculum in prægreſſo mox prandio? Hacque lege Aorta, tumente ventriculo compreſſa, impetum majorem in tenera plexus hujus vaſa excitaſſet?

4. Die Julii 6. 1759. anatomen puellæ feci, quæ jugi cephalæa laboraverat. *Jugi* dico; cum ex quo loqui potuit, eandem ſit perpetuo conqueſta. Præcipuam vero ejus ſedem ad poſtica oculi ſiniſtri potiſſi-

mum indicaverat. Cætera hilaris, agilis, curſu, ſaltu, luſu, indeſinenter ſe exercens, nunquam tuſſire, aut anhelare, nunquam defatigari, a digno parente, Vienneſi Medico, obſervata eſt. Sex cum dimidio annos nata interiit. Octiduo ante mortem ſtupida nonnihil, & obliviosa, nonnunquam deprehendebatur, in reliquis tamen omnibus ſana. Quatriduo ante mortem & ipſam prehendit apoplexia, & dextrum brachium convulſio. Ultimo vitæ biduo convulſio ceſſavit, Apoplexia autem ſine notabili febre placidum vitæ finem fecit.

Dura Mater bona, Pia tota quanta varicoſiſſima utroque in cerebri hemiſphærio. In ſinu longitudinali, ab ipſo fronte, usque dum ille in ſinus laterales abit, corpus album reperiebatur, inſtar oblongi vermis. Sinus idem binis in locis habebat membranaceam expanſionem, ab uno ejus pariete in alium porrectam, tenſam. Ad primam harum oblongum hoc corpus album duas in partes findebatur, quarum altera ſub hac expanſione, altera ſupra eandem pergebat: emenſæ autem hæ binæ partes expanſionis latitudinem, quatuor propemodum lineas habentem, denuo coibant; ita ut poſthac Solitarius veluti vermis ſupra poſteriorem expanſionem, ſine ulla diviſione, transcurreret, ſinusque laterales utrinque ſubiret. Ex ventriculo ſuperiore cerebri dextro uncias duas aquæ eduximus. Limpidiſſima hæc erat, inodora, igni impoſita non coagulabilis, ſyrupi violarum colorem minime mutans. Aderat & aqua in fundo cerebri, ad usque foramen magnum oſſis occipitis; ſed eandem ibi in vita hæſiſſe affirmare non auſim. Forte enim, dum ſectionem planam juxta lacunar ſinus facientes, ſimul hunc ſinum leviter læderemus, exſiliens inde lympha undique deorſum, adeoque inter Duram Matrem cerebrumque, inſinuare ſe potuit. Unde certe longe copioſior lympha in ventriculo fuerit oportet, quam

quæ

quæ inde collecta fuerit. Pulmo totus quantus accretus fuit Pleuræ, Pericardio, Diaphragmati; ipſique inter ſeſe connati mutuo lobi. Modus autem hujus mutuæ concretionis non erat illi ſimilis, qui in pectoris morbis, vel aliàs ad luctamina mortis, a craſſo ſero transſudante ortus, digitis commode ſolvi poſſit: neque ſimilis etiam illi, qui celluloſa productione, haud omnino difficulter ſolvenda, ſæpe obſervatur: ſed erat omni in puncto thoracis coalitio firmiſſima, ſolidiſſima, cultello tantum, magnaque cum patientia, demum ſolvenda; ita tamen ut nonnullis in locis pulmo facilius perſcinderetur, ac laceraretur, quam a nexu ſine læſione ſolveretur: nullibi autem id difficilius quam toto pectoris ſiniſtro cavo.

Hæc ergo puella poſt perennem Cephalæam demum Apoplexia quatuor dierum moritur. Non morabor hic peſſime affecti pectoris in caſu quo, a longa die, ejusmodi cauſæ hic natæ erant, a quibus reſpiratio longe vitioſiſſima oriri debuiſſet; cum de ſimili caſu egerim cap. 17. pag. 108. Adeoque ad Apoplexiam me modo converto. Oblongus veluti vermis ſinus longitudinalis merus polypus fuit. Patebat id maxime, ubi crura ejus utrinque ex ſinibus occipitalibus extrahebantur: alba polypi materies incipiebat hic rubro ſanguine tingi, & ſanguineas fibras a ſeſe dimittere. Confirmabat merum modo polypum eſſe ejusdem in aqua diſſolutio, & interitus. Nam, quo poſt aliquot dies eum maturiori examini ſubjicerem, jusſeram non in ſpiritu, ne contraheretur, ſed in aqua, ſervari: quarto autem ex illinc die examinaturus, fere periiſſe dolebam. Porro de natura polyporum, in humano corpore genitorum, id eſſe, cap. 16. pag. 105. demonſtravi, quod in ſpiritu ſubſiſterent, in aqua vero evanescerent. An a preſſione intra ſinum genitus polypus, ut variis exemplis oſtendi capite citato 16.? Forte; ſed compreſſione ſanguinis ab-

ſente etiam polypos copioſos generari poſthac 2. Octobris propediem elapſi in cadavere didici. Homo quinquagenarius anomala Arthritide a 13. annis in calcem ad articulos converſus, & diriſſimis paroxysmis fere conſumtus; a triennio frequentibus paroxysmis Colicæ Pictonum excruciatus; pus grave, copioſum a quatuor menſibus in omni Urina deponens; lenta demum tabe in Noſocomio periit. In dilatatiſſimis Aorta, & Vena cava, in peramplis arteriis venisque Iliacis, arteria carotide, ac ſubclavia, in vena jugulari, tenuem chordam polypoſam invenimus, cujus chordæ diameter in maxima arteria vix ultra lineam, in magna vena vix duas excederet lineas; quemadmodum etiam ſinus falciformis exhibebat. Hic certe preſſio nulla, ſed vacuitas maxima ubique erat, cum polypo univerſo. Nec in capite preſſio ſanguinis fuerat, cum ibi nihil fere ſanguinis in vaſis, Dura Matre in ſiniſtro latere excepta, cumque etiam ventriculi anteriores cerebri ita vacui eſſent, licet magni, ut vix dragmam aquæ, ad ignem minime coagulabilis, educere potuerim.

Hinc vel a preſſione, vel a ſtagnatione Polypus huic de qua agimus puellæ, productus eſt. Cephalææ antiquæ cauſa venis forte tribuenda varicoſis eſt: qualia exempla ut cephalææ cauſas, collectores caſuum nobis alibi demonſtrant.

Intelligimus porro cur Apoplexia tam frequenter letalis ſit. Si compreſſio ab aqua, vel a ſanguine, producta, cauſam proximam produxerit, opus eſt, ſi morbus curabitur, ut tum copioſum ſerum reſorbeatur, tum ſanguis effuſus fotu, ac veluti coctione, aptus reddatur, qui reſorberi poſſit. Sed ad talem reſorptionem, coctionemque, certum quoddam tempus natura requirit. Si ſufficiens circulatio per minus compreſſas partes interea temporis detur, ſi partes minus preſſæ nimia humorum copia non obruantur,

dum

dum per compreſſiores tranſire vetantur, ſpes eſt ut homo vel ſaneſcat integre, vel ſaltem necdum moriatur. Sin vero contrarium, ut pereat neceſſe eſt. Imo forte reſorbetur materies, ſed eroſo de vaſe novus extillans liquor cauſam proximam redintegrat. Unde intelligitur cur nonnunquam per paroxyſmos adoriatur, letalis demum Apoplexia.

Si his jungamus cauſas Apoplexiæ proximas, aliunde natas, v. g. a Plethora, a ſeroſa colluvie, a contuſione, &c. patet evidenter revellentem dictam methodum a magno *Boerhaavio* commendatam, unicum fere id eſſe, quod in Apoplexia ejusmodi prodeſſe poſſit: ſed ſimul ex contemplatione cauſarum proximarum nihil pernicioſius Emeticis, (quæ utinam *Sydenhami* autoritate minus fulcirentur!) in eadem dari poſſe, vel inde concludimus, quod vis humorum actione Emetici verſus caput aucta, cauſam morbi proximam augeat, ac ſæpe reddat inſuperabilem.

Sed hæc methodus ſi integra adplicetur, bonam ægri deglutitionem ſupponit, quod in Apoplecticis ſæpe fit; quo nempe ægri hæc revellentia affatim hauriant. Cum vero dentur, quibus omnis omnino deglutiendi ſit ablata facultas, ratio alia adparet cur ſors hominis inſuperabilis ſit. Eſt malum hoc ratione cauſæ, & ratione effectus.

Tandem ea Apoplexiæ ſpecies, quæ oriunda ex defectu non quidem ſanguinis, ſed materiæ ultimo elaboratæ, unde ſubtilis ille liquor, ſpiritus dictus, parandus; tum & illa, quæ a frigido glutinoſo ſanguine proficiſcitur; longiore tempore egent, quam ut ſufficienter ſuis in cauſis emendari poſſint. Unde hæ ſpecies hominem e medio tollunt, antequam vel reſtituti ſpiritus, vel iners pituita ſoluta, mobiliſque reddita fuerit.

§. II. Cur Apoplexia toties Paralyſin ſive ſequatur,

tur, ſive generet? Reſp. Paralyſeos, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Lethargi, Cataphoræ, Convulſionis, aliorumque Cerebri morborum, cauſæ reperiuntur eædem. Quod ita intellectum velim, ut licet frequenter inveniantur diſtinctæ variorum horum morborum cauſæ proximæ, ſæpe tamen quoque confundantur: ita quidem ut ſerum abundans ventriculorum anteriorum cerebri, in uno Apoplexiam creaverit, in alio Epilepſiam, in tertio Paralyſin. Obſtructione, ſeu potius ſymphyſi vaſorum, vehentium ſanguinem ab Encephalo in ſinum longitudinalem reducem, tumque ſpiſſa lympha ſub Pia Matre effuſa, vidi in jureconſulto diriſſimam ortam Epilepſiam chronicam, tandem acutam, letalem: quæ cauſæ tamen leguntur alibi inemendabilem induxiſſe Apoplexiam. Legite *Boerhaavii caput de Apoplexia*, cum *Ill. Præſidis Comm.* Videte dein *Hildanum*, *Borellum*, *Tulpium*, *Schenckium*, *Bonetum*, *Mangetum*; quotiesne docti hi viri deſcribunt eandem inventam in cadaveribus cauſam, quæ hos diverſiſſimos effectus produxerit?

Quod ſi ita ſe habet, conſequitur id, ut concludamus eandem cauſam, v. g. ſeroſam ventriculorum cerebri colluviem, ipſa preſſionis differentia, vi etiam compreſſionis in hanc, magis quam in illam cerebri, cerebellive plagam determinatæ, tum & majore aut minore reſiſtentia compreſſæ partis ad vim preſſionis, magnam varietatem habere in effectibus inde producendis.

2do. Comprehendimus quoque cauſam eandem ſuis in effectibus mutabilem reddi, omninoque variam; tum pro effuſi liquidi copia aucta vel imminuta, tum pro leviore aut graviore mutatione, ac labefactatione, partium compreſſarum, tum etiam varietate preſſionis, viam ſibi novam ad alias cerebri plagas molientis, tum denique variante hominis regimine & diæta. Quibus rite penſitatis non eſt ſane, cur valdopere

mi-

miremur, quod a cauſa, quæ nobis eadem eſſe videtur, diverſos effectus; & quod a diverſiſſimis naturæ cauſis, eundem plane contemplemur effectum.

3tio. Intelligimus utcumque quamnam ob cauſam omnes hi morbi, humoribus geniti, etiam queant defectu oriri humorum. Dum enim ita collabitur cerebrum, ut tranſeat nihil, eſt Apoplexia ab inopia humorum. Dum plagæ quædam collabuntur, his tamen vicinæ nonnullæ ſat perviæ manent, ut excipiant, tranſmittantque, qui circulum continuet, humorem; minæ ad Apoplexiam, vel Paralyſes, ſubſequentur plus minus completæ. Denique dum uno momento vaſa hæc tenera vi ſuperſtite ſanguinis penetrantur, altero momento præ nimio collapſu penetrari nequeunt, convulſiones ſubſequantur neceſſe eſt.

4to. Capitur quoque cur omnium horum morborum ſive affinitas, ſive diſparitas, rite inter ſe collatæ, ideam eorundem Medicorum menti vividiſſimam imprimant: ita quidem, ut Apoplexia compreſſione nata univerſum Encephalum æquabiliter premat; deinde ut cauſa Paralyſin generans nonnullas modo fibras premat, quorundam nervorum futuras origines; tandem ut cauſa Epilepſiam, aut Convulſionem, efficiens, uno momento vi irruens, terribiles producat contractiones, altero momento, repleto quaſi nimium cerebro, vi repellatur: unde Epilepſia vera eſt veluti alternans Apoplexia, & nimius motus; & ceſſante demum illo motu, ſomnus Apoplecticus fit, quo morbus veluti coquitur, ſi paroxyſmus eſt curabilis: ſin minus, in letalem abit Apoplexiam.

§. III. Ab his regulis ſola Catalepſis abludit. Ut ejus legitima idea habeatur, omnino totus caſus legendus eſt, quem *Ill. Præſes* refert ad §. 1086. Aph. *Boerh.* ex *Act. Reg. Scient. Par. ann.* 1742. Primo enim deſcribitur Catalepſis perfecta, cum omnibus ſuis ſtupendis apparitionibus. Id tamen hic notandum

dum, quod in omnibus Catalepticorum hiſtoriis, quivis diverſi Obſervatores diſtinctum quid, alii præ aliis, notent; quodque hinc Catalepſeos tam varia facies deſcribi ſoleat: quanvis fateamur in omni vera Catalepſi, ipſis deſcripta, illud Catalepticum, κατα-χρηστικῶς ita dictum, certo morbi tempore in ſingulis adeſſe. Tum & mire mutantur ipſi hi morbi. Cataleptica, de qua textu citato, elapſo aliquo tempore ſimul fiebat ſomnambula: deinde in eo etiam mutabatur morbus, quod deinceps multa garriret, inordinate loqueretur, cantaret, videret, & poſt deambulationes peractas iterum lectum peteret, tegeret corpus ſtragulis, cataleptica fieret, & poſt $\frac{3}{4}$ horæ catalepſeos paroxyſmum totum abſolveret. Ut melius autem capiatur quî morbus hic ſe habeat, en quæ viderim!

Puella 12. annorum frigida, mucoſa tota, catalepſi bis ter nucthemeri ſpatio repetente, corripitur; idque integro ferme menſis ſpatio. Catalepſis quacumque corporis poſitione eam prehenderet, jacentem, ſtantem, incedentem, in manducatione cibos potuſve ad os ducentem, ſemper illam in eadem poſitione ſervabat; niſi forte quis alius mutaret. Vix per octiduum hic fuerat morbi ſtatus, quin ingentem ſubiret mutationem. Quæ enim taciturna olim in paroxysmis, jam fit garrula, tantaque cum rapiditate loquax, ut ſana nunquam tam præcipitanter loqueretur; ſed diſtincte tamen, & ad rem. In pluribus paroxysmis præſens audivi eam *Pſalmos Davidicos* cantantem ritu Proteſtantium, quorum fide a teneris imbuta erat. Cantus autem ille notas muſicas exacte obſervabat, ut aſſeverabant adſtantes. Tum audivi recitantem Catechismum, quem tenuerat memoriter, una cum plurimis textibus ex ſacris Bibliis, ad quæſtionem catechismi quamlibet adpoſitis. Cum ad textus hos librum adjungeret ſacri autoris, & caput, & verſiculum, ilico ego in

cate-

catechiſmo id examinans ad literam omnia prolata eſſe ſtupebam. Sed neque hic finis. In vitia hominum acriter inferebatur, & occaſione textuum laudatorum invehebatur in Adulteros & Impudicos homines, præprimis autem in hominem viduum, in vicinia habitantem, quod pellicem domi aleret; qui tamen ipſe, paroxyſmum viſurus advolaverat, atque ita præſens præſentem audiebat has diras imprecationes in ſeſe proferentem, quanquam ipſe nullatenus puellæ ſub conſpectum caderet. Sæpius contigit, ut tum familia, tum ego maxime, quid doli ſubeſſe ſuſpicati, varia, explorandi gratia, tentaverimus; ſed nihil ſimile. Nunc unguibus teneram cutim ita vellicabam, ut multis poſt diebus impreſſa veſtigia gereret; nunc lumen ipſis fere pupillis admovi, viſurus an ſe contraherent; acicula varias corporis plagas pupigi, ita ut ſanguis inde exſiliret: verum omnia incaſſum. Interim per totum paroxyſmi tempus quotieſcumque ego brachium, crus, manum, digitum, caput, ſitu mutabam, perfecte ſic, ut poſueram manſit, idque tam longo temporis ſpatio, quo ego ſanus, partes extenſas eodem in ſitu neutiquam ſervarem. Perfecte curata eſt iis, quæ mucoſam ac flaccidam temperiem emendarent.

In hoc igitur morbo τὶ ἄγνωςον adeſt. Ab una parte commercium corpus inter mentemque deletum adparebat, quod nervi ſentientes nullatenus viderentur affici; ab altera parte commercium id non deletum adparebat, quod ſapienter ratiocinata, & memoriter multa aptiſſime recitans, organa vocis, (& quotuplicia hæc!) expeditiſſime moderaret. Sed eſt præterea aliud adhuc notandum hic. Nervi ad motum deſtinati ſe non ita habent, atque in Paralyticis, quando commercium nervi cum ſenſorio communi interceptum eſt. In Paralyſi enim affecta pars mox flaccescit, fitque immobilis, atque haud raro etiam inſenſilis: in

cata-

catalepſi vero corpus manet ut antea, ſedentis, gradientis, ſtantis, comedentis, bibentis, figura. Haud ergo Paralyſis eſt, ſed etiam non eſt motus. Quid ergo eſt? Eſt continuatio ejus, quod ultimo ſanitatis momento ad motum bonum requiſitum aderat: id nempe in ea, quæ olim movebatur, ſe ſuſtinet parte. Imo ſi adſtantium quis ſitum hunc permutaverit, & in alium direxerit, ut jam cogat alios prorſum musculos ut agant, eſt fere idem, ac ſi ſenſorium commune novis his musculis novas vires largiretur, ad hunc ſitum, idque pertinaciſſime, conſervandum.

Porro quod in corpore obſervamus, idem de mente cogitemus. Quoties enim obſervatum non eſt ideam ultimam verbis expreſſam, ante paroxysmum, ita eandem manere, ita eſſe immutabilem, ut denuo prima ſit, quam homo habeat, verbisque enuntiet, catalepſi, quantumvis diuturna, ſoluta? Ut profecto, quemadmodum musculi, ſi ab aliis non mutentur, ita ſoluto paroxysmo ſe habent, quam immediate ante illum habebant; ita quoque maneat impreſſio idearum, & conſequens inde ratiocinium. Igitur totum illud intermedium tempus inſcia, ut videtur, mente tranſigitur; ita ut cogitationes mentis, loquela eas enuntians, novus ab adſtante homine musculis conciliatus motus, a mente non videantur adverti, a memoria non notari. Intermedium illud ſpatium tam perfecte de vita humana abſcinditur, ut prima poſt paroxysmum idea, primusque motus, eo modo cohæreant cum prioribus ultimis, ac ſi integrum quid, & nunquam interruptum componerent.

Somnambuli forte quid ſimile habentes, in nonnullis iterum differunt. His corporis cum anima commercium ſilet, ſed non inter animam, & gradatorios musculos. Imo cum quidam ſtudioſè evitent menſas, ſedes, obſtacula, in via poſita, idque in tenebris, videntur tactu valere, & mentis commercio eo usque uti, ut ad latus declinantes evitent obſtacula. Sub-

Subſtitit hic examen phyſiologicum: haud enim datum eſt nobis miri animi noſtri cum corpore commercii capere leges. Ignoramus prorſum eas, quarum ope commercium hoc peragatur, partes; ignoramus qua ſe lege & tangant, & moveant, & iterum ſiſtant. In genere novimus neceſſariam musculi ſuis cum vaſis integritatem; boni nervi toto itinere ſuo apititudinem; integrum, quem pro ſenſorio communi habemus, locum: verum plures in ſententias ſciſſi, mutuam harum omnium harmoniam, agendique facultatem, minime capimus. Nervorum cavitatem, fluidi per eam transfluentis præſentiam, ſcholæ crepant, ſed alterutrum exiſtere nullus mortalium, optimis licet armatus microscopiis unquam demonſtrare potuit: etiam videntur actiones musculoſæ in corpore exiſtere, quibus communi lege explicandis haud ſufficimus. Unde ad hæc omnia ſapienter Eminentiſſimus *De Polignac*, *Anti-lucretii ſui pag*. 158.

Nos vero plerumque latet quænam organa motus
In nobis vigeant; & qua ſint arte regenda:
Nec reſcire juvat: ſatis eſt nam velle moveri,
Quilibet ut ſeſe moveat, rudis atque peritus.

& pag. 187.

Scilicet ignorat mihi mens, ſibi credita qualis
Machina ſit; quanta momentorum arte regatur;
Quam varie compacta, & miro condita textu.
Attamen impellit cum vult, agitatque movendo
Compagem; ac ſubito flectit, prout imperat, artus.
Quod moveat, planum eſt cauſam prodire movendi
Mentis ab imperio: verum id, quod neſcia præſtet,
(Neſcia non motus, quem præcipit ipſa, ſed Artis,
Qua fit, & elicitur, liquido demonſtrat adeſſe
Cauſam, quæ regit effectrix &c.

& pag. 358.

Denique nec per ſe Mens ullo corpore tangi,
Nec quocumque modo connexum impellere corpus

Noſtra poteſt. Unde eſt igitur, quod mutua ſeſe
Commoveant? Certisque in corpore motibus ortis,
Notities menti adveniat, tum certa cupido?
Atque ex notitia, certaque cupidine mentis,
Quidam enascantur motus, & corpore gliscant?
Naturas adeo duplices quæ fibula nectit?
Quidquid enim nectit partes, ad utramque neceſſe eſt
Pertineat: Sic vitta manus, ſic lora jugales,
Vincula ſic ulmo vitem, ſic ſtamina pannos:
At vinclum ſi corpus erit, quî prendere Mentem?
Et ſi incorporeum, quî prendere membra valebit?
Ergo Infiniti conjunxit ſola Voluntas.

§. IV. Sed antequam hanc materiem miſſam faciam, quæſtionem circa nervos gravem movere neceſſe eſt. Cur nempe vitia pag. 327. in ſiniſtro cerebri hemiſphærio ſartoris, ut cauſæ paralyſeos dextri lateris, aſſignentur?

Eſt profecto antiquiſſima *Hippocratis* obſervatio, ab aliis deinceps, præcipue ab *Hildano* confirmata, quod læſo, preſſove, uno cerebri hemiſphærio, oppoſitum corporis latus paralyticum fiat. Frequentiſſimæ ejusmodi obſervationes effecere, ut jam ante 60 annos egregius *Poupartius* in *Act. Acad. Reg. Sc. Par.* ſtatueret medullares fibras ſe decuſſare; ita ut cranio egresſæ, oppoſitas peterent corporis plagas. Ita quoque *Petitus* in ſcripto dicto *Lettres d'un Medecin*, *Valſalva*, aliique: ſed inſtar omnium magnus Venetorum Anatomicus *Sanctorini Obſ. an. cap.* 3. §. 12. *pag.* 61. *edit. Leyd.* qui apta ad id cerebra nactus, tribus potiſſimum in locis hanc decuſſationem demonſtrare ſolebat: Scilicet in priore & in poſteriore protuberantiæ annularis crepidine, atque maxime in imo caudicis medullaris, qua in ſpinalem abit. Vide etiam *Hiſt. Acad. Reg. Sc. Par. an.* 1742 *pag.* 53. *in* 8. Siccius cerebrum hisce diebus nactus, idem obſervaſſe mihi videor.

Sane ſi morbi cerebri læſi oppoſitam corporis plagam

gam perpetua lege afficerent, omnia quæ ad hanc quæſtionem ſpectent, expoſita decuſſatione jam explicuiſſemus: verum res ita non eſt, unde multæ difficultates hinc exſurgunt.

1. Apud collectores caſuum ſæpius jam memoratos, hiſtorias reperimus innumeras, vitioſi v. g. cerebri, cum Paralyſi lateris corporis ſiniſtri, & cum convulſione dextri.

2. Cum Paralyſi ejusdem lateris, convulſione oppoſiti.

3. Cum Paralyſi lateris ejusdem, ſine ullius partis convulſione.

4. Cum convulſione ejusdem lateris, ſine ulla ullibi Paralyſi, ut puella pag. 328.

5. Cum Paralyſi & convulſione ejusdem lateris.

6. Cum convulſione univerſali, & Paralyſi dextri lateris, ubi tamen cauſa videbatur cerebrum integrum occupare.

Hac occaſione nuperam addam anatomen. In pueri, cujus hiſtoria p. 305, 306. habetur, cadavere, Pia Mater univerſa varicoſa, vix ullibi cum ſubjecto cerebro tam in ſuperficie, quam intra ejusdem gyros, cohærens, lympham pellucidam gelatinoſam ſupra ſe gerebat. Hæc porro omnia in utroque Cerebri Hemiſphærio ex æquo obtinebant. Equidem ventriculus dexter ſuperior lymphæ, ad ignem non concreſcentis unciam continebat; verum incerti ſumus, an contrectatio & compreſſio alterius hemiſphærii nondum perſciſſi, aquam ex ſiniſtro ventriculo in dextrum, quem examinabamus, non duxerit. Flatus enim in unum ventriculum immiſſus, in alterum ſæpe tranſit; ita ut quo loco ſeſe ambo contingunt, in medio nempe, & iterum ante thalamos Opticorum, mutuo ſecum communicare videantur. Imo hac occaſione ablata reſiſtentia in ventriculo, quem examinamus, pondus relicti ſupra alterum ventriculum Cerebri, po-

poteſt ſubjectum ventriculum comprimere, premente Anatomici manu adjuvante, ſicque ſubjectum ventriculum evacuare, dum lympha vel ros, utrumque ventriculum explens, ultra non æquilibratur. Si quisquam hic forte regerat tunc nunquam poſſe de copia lymphæ, unum ventriculum præ alio explente, judicium formari, & ad morbi referri cauſas; huic reſpondeo: caſus manifeſtos dari, qui juſtum relinquant poſt ſeſe, certumque judicium. Quippe ad caſum pag. 328. vidimus ventriculum hydropicum duplo triplo ampliorem ſuo compare redditum fuiſſe: unde certe nulla ibidem adfuiſſe communicatio videtur, & ratiocinium de hydropico hoc ventriculo juſtum eſt. Deinde ſi lympha tenax valde, etiam communicatio ventriculorum obtinere non videtur. Hinc caſus exiſtunt unde nihil, caſus unde multum, concludi licet.

Puer porro hicce pridie ante mortem convulſiones univerſales habuit, & perfectam Paralyſin totius dextri lateris. Si nunc in eodem dicamus ventriculum dextrum præprimis hydropicum fuiſſe, ſuique lateris preſſiſſe cerebrum, tunc paralyſin offendimus in eodem affecto latere: ſi vero negamus hoc inde poſſe concludi, probatur ſaltem id, quod mox ad n. 6. dixeram.

Ex omnibus autem hucusque dictis concluditur dari quidem, quæ ſeſe decuſſent, fibras; hujusque decuſſationis effectu oppoſiti lateris morbos exponi: haud tamen omnes ſe decuſſare; ſed eſſe quæ ſe minime decuſſent, adeoque proprii lateris nervos formare videantur: unde tunc ſimul phænomena, quæ eodem in latere contingunt, explicata habentur. Sed ex omnibus his minime explicamus cur cauſa, eadem nobis viſa, potius convulſionem, quam paralyſin excitet; aut vice verſa? vel cur a cauſa iterum eadem in uno homine oppoſitum latus paralyſi, latus affectum convulſione prehendatur, aut iterum in alio præciſe contrario modo?

O-

Obiter monitos lectores volo me jam pluries deprehendiſſe, quod lympha ventriculorum Cerebri ad ignem non coaguletur, ut jam quatuor experimentis patuit. Confirmant hæc *Boerhaavii* ſententiam de lympha Cerebri id jam olim ſtatuentis: ad quam ſententiam corroborandam laudare ſolebat totam octavam propoſitionem *L. Bellini* de motu cordis; qui & clari *Lambechari* experimentis, id eviceraт. Attamen egregius *Hallerus ad* §. 274. *Inſt. Boerh.* lympham hanc concrescibilem ſtatuit, inter alia etiam *Fracaſſati*, cujus de Cerebro Tractatus inter *Malpighiana* habetur, autoritate fretus. Reſpondere tamen poſſumus *Fracaſſatum* de morboſis agere, *Bellini* vero & *Boerhaave* vel de ſanis, vel de hac ſaltem parte non morboſis. Experimenta ſaltem mea idem quod *Boerhaave*, idem quod *Bellini*, evincunt, clamant.

CAPUT XXXIV.

De Sanguine & Calore Humano.

§. I. *Regulæ, ponentis in acutis morbis venæ ſectionem poſt* 4. *diem licitam non eſſe, ſanguinemque in acutis malignis diſſolvi, incertitudo ac fallacia experimentis demonſtrantur.* §. II. *Ad problema, utrum oporteat fœminæ, menſtrua, aut lochia, habenti, venam tundere, necne? ratiocinio, experientia, & autoritate, reſpondetur.* §. III. *Arterioſus ſanguis nec colore mutatur ut venoſus, nec ſuum ita a ſeſe ſerum dimittit* §. IV. *Conſtanti lege Syrupus Violarum viridescit a ſero ſanguinis recentiſſimo, ab ovi recentiſſimi albumine: ita ut alcali præſentia hoc ſolo experimento non notetur.* §. V. *Calor non a ſolo attritu.* §. VI. *Defectus eſt in methodo menſurandi calorem humanum, quod tempus thermometron adplicandi non definiatur: probatur ex-*

perimentis quibus ſimul evincitur latitudinem caloris in ſanis hominibus eſſe inter 94. & 98. gradum. §. VII. *Sententia communis de differentia caloris inter homines adultos vegetosque, pueros, ac ſenes, multiplici experimento exploditur.*

§. I. Sanguis acutis in morbis, inflammatoriisque, vulgo ſcribitur phlogiſticam ſuam naturam deponere poſt horum morborum diem quartum: in malignis vero dictis morbis loco vi plaſticæ ac phlogiſticæ diſſolutionem præ ſeſe ferre. Quam opinionem refellere, ut *cap.* 23. *de morb. mal.* conatus ſum, ita novo, luculentoque, refellam experimento.

Juvencula in febre continua putrida, neglecta prorſum, nullam omnino artis opem experta, die undecimo morbi ad nos defertur, toto pectore, colloque anteriore, plurimis petechiis ſcatens: morbo, ut illa retulit, quotidie aucto; nullamque, ut nos judicare debuimus, ſui coctionem præbente. Sanguis ipſi tunc miſſus, in vasculo primo & tertio cruſta phlogiſtica tectus erat, univerſaque in rubra parte compactiſſimus. Duodecimo morbi die repetita venæ ſectio cruſtam dedit heſterna denſiorem. Ergo nec 12. dierum diuturnitate, nec centenarum petechiarum eruptione, ſanguis inflammatoriam ſuam ſpiſſitudinem, ſive cruditatem amiſerat. Unde nemo miretur venæ ſectionem, eandemque iteratam, provecto adeo morbo, inſtitutam eſſe. Ut enim antea *pag.* 25. *Hippocratis*, in Pleuritide *Anaxionis*, exemplo, & experientia medica evici, Cruditas morborum non tempore duntaxat, ſed conditione, cognoscitur: id quod Auditores mei centies in Noſocomio obſervaverunt. Quam ob cauſam varii textus *Boerhaaviani*, poſt quartum diem ſanguinem mittere vetantes, ad mentem tum *Boerhaavii*, tum *Hippocratis*, intelligendi ſunt: tunc nempe venam tundere poſt 4. diem haud oportere, quando

ſtadium inflammatorium circa id tempus, ut ſæpius fit, mutatur; cæterum vero tundere oportere.

§. II. Problema ſæpius coram Auditoribus agitavi, num nimirum ſeu Catameniis, ſeu Lochiis, bene fluentibus, liceret venam ſecare, ſi interea temporis ejusmodi morbus oriretur, quem alioqui, ſi alio tempore contigiſſet, venæ pertuſione confodere debuiſſemus? Contrarias in ſententias Medici abeunt; aliis id præfractè negantibus, aliis vero in ſumma neceſſitate, cum prudentia, ac parcimonia id concedentibus. Bonam problematis ſolutionem experimenta ſola dare poterant.

Hinc primo conabar quantitatem ſanguinis, quibus linteamina commaculantur, ſatis certo æſtimare. Eo ſcopo in ſanguine, determinata præciſe copia miſſo, & adhuc calente, linteamina ſubmerſi, magnitudinem oriundarum inde macularum examinaturus, notaturus. Iteratis hisce experimentis eo devenimus, ut ſanguinis, linteaminibus excepti quantitatem, quovis depoſito pretio, exacte calcularemus. Et quia plebejæ, tempore menſium, lochiorumve, mutatoriis carentes, unico linteamine toto tempore utuntur; quod, quia nunc multum, nunc parum, & iterum ſæpius, poſtquam, ſilente per horas fluxu, ſiccatum eſt, dein eodem redeunte, plurimum in ſiccatis imbibit locis; eadem arte in tingendis linteaminibus noſtris uſi ſumus. Juſti ergo exiſtimatores ſic facti, linteamina, tum Menſtruantium variarum, tum Puerperarum, exacte conſervavimus, ut demum quantum ſingulæ toto illo temporis ſpatio evacuarent, juſte determinaremus.

Sic didicimus nonnullas fœminas menſtruo tempore tres uncias ſanguinis demittere, alias quatuor, quinque; pauciores eſſe, quæ ſemilibram; raras admodum quæ uncias decem evacuarent, niſi uteri quopiam defectu laborarent. Quantum autem ad Puerperas; ſi

prolem mox lactarent, his deprehendimus lochia paſſim parciora cæteris eſſe, adeoque libram nonnullas, alias ſeſquilibram, evacuare. Caſus fuere abortuum, in quibus mihi jurarent Obſtetrices plus 8. 10. libris evacuatum fuiſſe, cum tamen totum ſordidarum mapparum acervum examinans, vix ſeſquilibram evacuatam eſſe exiſtimare debuerim. Cui hæc creditu difficilia videntur, hunc de veritate dictorum iterata experimenta convincere poterunt.

Si itaque Menſtruantes 3. 5. 6. 8. uncias evacuant cruoris, eodemque tempore morbo occupantur, cui ſedando vix quatuor libræ ſufficerent, nonne evidentiſſimum eſt venæ ſectionibus jam parcendum non eſſe? An circa Puerperas acutè laborantes non idem concludendum? Eoque magis, quo citiore revulſione requiſitâ, fluxus ordinarius paſſim non niſi guttatim prodeat?

Jure ergo meritiſſimo Ill. Baro *van Swieten Tom. 3. Comm. C. de Pleur. pag.* 38. *Sydenhami*, *Tulpii*, *La Motte*, exempla laudans, ſimul vituperat omnem in mittendo ſanguine, dum caſus urget, parcimoniam. Laudatus ibidem *La Motte Lib.* 2. *pag.* 224. pronuntiare auſus eſt venæ ſectiones iteratas in puerpera unius diei, unicum fuiſſe, quo ſervari potuiſſet, auxilium. „ Licet enim, inquit, lochia abunde fluerent, multumque Natura ageret ipſa, haud ſufficienter tamen agere videbatur; cum ſine iteratis venæ ſectionibus, brevi ſuffocata fuiſſet". Et quid ita? Morbus ejusmodi erat, ut duplo copioſiorem ſanguinis evacuationem paucarum horarum ſpatio poſceret, quam Uterus ſponte ſua integro ſtillaſſet octiduo. Addit idem *La Motte* plures ſimiles Puerperarum hiſtorias, quas inter notanda cujusquam puerperæ, continuante debito Lochiorum fluxu pleuriticæ, cui novem venæ ſectionibus ſuccurrere debuerit. Equidem fœminarum temperies, idioſyncraſia, ætas, anni tem-

pus,

pus, regionum varietas, mutare utcumque, quem dedi, calculum poſſunt; ipſam tamen rem ſic ſe habere, conſtanter evincent.

Hinc didicere Medicinæ ſtudioſi in Noſocomio venæ ſectiones in his caſibus nunquam reformidare, ſi alias indicarentur: ita vero eas eſſe inſtituendas, ut ſi nihil referret, qua vena ſanguis efflueret, is ſemper, quo naturalis uteri evacuatio minus turbaretur, ex pede duceretur: ſin vero morbus ipſe per ſe eum brachio educi poſtularet, ut v. g. in ea Pleuritide, quæ ab arteriarum intercoſtalium Aorta dicta deſcendente oriundarum, inflammatione proficiſceretur, audacter is feliciterque, ex brachio mitteretur.

§. III. Indoles arterioſi ſanguinis quam ab ea venoſi differat! Toties repetitum experimentum docuit naribus profluum cum impetu ſanguinem, colore vix mutari, dum conſervatur, niſi demum quando putret. Læte rubicundus ipſi color, & in ſuperficie aëri contigua eſt, & in averſa, & omni denique parte, quotuplici ſectione eandem diviſeris. Demonſtrant utique hæc juſtam refutationem eſſe variarum ſententiarum, quæ & neceſſariam ſtatuerent coloris mutationem, & mutationis ejuſdem rationem exponere ſatagerent, in hujus operis pag. 39. Alio modo etiam differre a venoſo ſanguine arterioſum, ex eo collegimus, quod vix ſerum a ſeſe ſeparare ſoleat, diu licet aſſervatus; perfectiorem, intimioremque, omnium miſcelam hinc demonſtrans. Plura horum experimentorum ibidem communicatorum, ſæpius repetita, ſemper eoſdem, quam citato loco enarravi, produxere effectus.

§. IV. An notaverit quiſquam quod ſerum ſanguinis recentis, tum optimum, flaveſcenſque, tum etiam non flavum, ut quorundam hominum eſt, venæ ſectione eductum, ſyrupo Violarum viridem colorem conſtanter impertiat? Eſt tamen obſervatio, me nun-

quam hucusque fallens. Communi ſententia Alcali hæc nota eſſet: tamen hoc ipſum ſerum cum aceto miſtum nullam gerit Alcali notam. Imo Albumen ovi, quod in multis (non in omnibus, ut cap. 6. pag. 34. evici) ſero ſanguinis ſimile eſt, hoc inquam, de recentiſſimo ovo ſumtum, æruginis fere colorem huic ſyrupo conciliat. Novi equidem in ovi albumine quid ineſſe, quod vas argenteum in quo aliquantiſper conſervatur, fœda tingat aurigine, ſed nonniſi coctum id præſtat; recens, nec igne mutatum, minime. Plus decies ſimilia experimenta variis in ſubjectis iteravi, quo demum intelligerem, utrum ſerum Hydropicorum, ſi ſyrupum ita tingeret, nec cum acidis tamen efferveſceret, alcalinum, necne, appellitarem. Certe perperam videmur hucusque alcali præſens hac nota ſtatuiſſe.

§. V. Quæ variis in locis hujus operis de vario caloris gradu, morbo ingraveſcente, miteſcente, finiente, protuli, horna mea experimenta confirmarunt; quorum en pauca!

Mulier exulcerato Mammæ cancro miſera, colore livida, omnino emaciata, pulſum parvum habens, tota die ſedens, iterato quater ſpatio menſis experimento, conſtanter inventa eſt gradus tres quatuorve majoris, quam ſano in homine eſt, caloris notare.

Sed, mirum dictu! omnium maximus calor inventus eſt hominis, quo tempore cum morte luctatur, expirat, jamque aliquantum vivere deſinit. Ita quidem, ut deprehenderimus, in ægro, cujus calor per totum acutum morbum ſupra 103. gradum non adſcenderat, ſub mortem, perque bina a morte minuta, notari gradum caloris 106.

Vir 50. annorum, de quo pag. 330 ſermo erat, lentiſſimo igitur morbo enectus, notabat 9. horis ante mortem adplicato thermometro per 8. minuta 97. gradus caloris; per 15. minuta 100. hicque fuerat in

lon-

longiſſimo morbo conſuetus explorati caloris gradus. Quo momento animam efflabat 97. gradus, idque per $7\frac{1}{2}$ minuta. Deinde per 4. minuta 101. Poſthac omni quarto minuto thermometrum vigeſies examinatum, id eſt per horam & 20. minuta, ſemper grad. 101. Dein quovis quarto minuto examinatum, 100. gradus: omni quarto minuto quater, 99. gradus: omni quarto minuto ter, gradus 98. omni 4to. minuto quater, gradus 97. omni 4to. minuto ſepties 96. & 15. a morte horis necdum infra 85. gradum thermometron deſcenderat, licet aër domeſticus eo tempore vix 60. gradum notaret.

Quæritur nunc an theoria caloris, ut ſolo attritu geniti, ſatis fundata ſit? An vero in corpore animali cauſæ aliæ, præter attritum, neceſſario exiſtant genetrices caloris? Veteres ſaltem cauſam nativi dicti caloris diverſam credidere ab ea, quæ febrile incendium faceret. Ita *Galenus in Aph.* 14. *Sect.* 1. ait: „ Alioquin febricantes diceremus plurimum habere
„ nativum calorem; qui nedum plus, ſed nec priori
„ æqualem habent. Εὔκρατος μὲν ἐστιν ἡ οὐσία τοῦ ἐμφύ-
„ του θερμοῦ, πυρώδης δὲ ἡ τοῦ ἐπικτήτου. Probe namque
„ temperata eſt caloris nativi ſubſtantia, ignea autem
„ ſubſtantia eſt caloris adventitii.

§. VI. Hujus operis cap. 19. pag. 118. ſeq. in caloris gradu, tam in ægris, quam in ſanis, definiendo, conqueſtus ſum juſtum tempus adplicationis Thermometri ab autoribus non determinari, cum pro tempore adplicationis multa ejus differentia eſſet. Plurima recentiora experimenta legitimas has querelas demonſtrant. In ſano homine thermometron ſpatio $\frac{1}{8}$ horæ notans 96. grad. facile per horam ad 100. imo ad 102. adſcendit: quantacumque vero temporis diuturnitate tunc adplicatur, non adſcendit ultra. Centies iteratum experimentum, toties idem confirmavit. Haud tamen ita ſemper adſcendit. Unde cum obſervatio

vatio variet, en quid pro certo communico. Contingit nonnunquam ut ultra gradum caloris illum, qui ſpatio horæ quadrantis notabatur, thermometrum non petat altius; nonnunquam ut ſupra eum gradum haud adſcendat, qui ſpatio dimidiæ indicabatur horæ; ſæpius non ſupra gradum intra tres horæ quadrantes indicatum; frequenter tamen ad horam integram creſcat. Ut ex omnibus hisce hæc ſit certa concluſio, qui gradum caloris in dato homine juſte determinare geſtit, eum horæ integræ ſpatio thermometrum adplicare debere. Quod ſi Medicus aliunde occupatior ſuo tempore eget, eum raro fallendum, fallliturumque, ſi per $\frac{1}{4}$ horæ adplicans, unum alterumve gradum notatis gradibus adjecerit: licet enim nonnunquam ultra quadrantis ſpatium non adſcendat, licet etiam poſt quadrantis horæ adplicationem thermometron plusquam duos gradus ante horam elapſam adſcenderit, tamen reſpectu communicatæ obſervationis adeo hæ exceptiones ſunt rariores, ut qui ad gradus, ſpatio quadrantis horæ notatos, unum alterumve adjecerit, rariſſime fallatur.

Sed & hoc addendum eſt. In multis ſanis vegetisque hominibus; quietis, leviter motis; jejunis, leviterque paſtis; exploravi num ſemper calor naturalis 95. 96. graduum foret; ſed deprehendi qui conſtanti lege 97. rariores, qui 98. rariſſimos qui 99. ſemper notarent. Quod ideo notatu dignum judico, ne qui ſint, qui ex ſolo thermometro hominem febricitare pronuntient, qui forte naturaliter modo calet.

§. VII. Quæritur quid cenſendum ſit de ſententia *Hippocratis* Aph. 14. Sect. 1. „Quæ creſcunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento; ſin minus, corpus conſumitur. Senibus autem paucus calor; propterea paucis fomitibus, indigent: a multis enim extinguitur. Idcirco etiam febres ſenibus non ſimiliter acutæ. Frigidum enim

„ eſt

„ eſt corpus". Forſitan *Hippocrates* hic tantum de calido innato ventriculi, & neutiquam de calore univerſi corporis, in variis hominum ætatibus egit; & aphoriſmus hunc proxime ſequens, ut eum rem ita intellexiſſe credamus, nos utcumque inducit. Tamen cum ipſum *Senum corpus*, non ſenum ventriculum, *frigidum eſſe* affirmet, videretur in hoc aphoriſmo univerſi corporis calorem intueri. Quemadmodum quoque hunc ipſi ſenſum *Galenus* in longo hujus Aph. commentario, & præcipue in libro adverſus *Lycum* tribuit; qui & ipſe ejusdem cum *Hippocrate* ſententiæ ſe eſſe manifeſto ibidem declarat. Verum necdum ideo hos veteres autores, ita de calore variæ ætatis differentes, erroris incuſare licet; cum quo id ſenſu intelligerent, addiderint. Si enim totum *Galenum* in libris ſuis de Temperamentis patienter evolvimus, inveniemus demum eum ingenue fatentem Libr. 2. cap. 2. apud *Charterium* Tom. 3. pag. 60. „ Et quid opus eſt „ in tam diſſimilibus exemplum proponam? Cum „ ipſe aër, *qui ſimili ſit calore*, varie tangenti occurrat, „ prout alias veluti caliginoſus, & halituoſus, alias „ veluti fumoſus, & fuliginoſus, interdum purus „ omnino eſt. Igitur in pluribus, iisdemque diffe„ rentibus, æqualitas caloris conſiſtit: *quæ inconſide„ ratis, quaſi inæqualis ſit, imponit*; propterea ſcili„ cet, quod non undequaque ſimilis adparet. Cæte„ rum homo, qui rationes, quas propoſui, expende„ rit, & ſenſum in multa particularium experientia „ exercuerit, is nimirum *æqualitatem caloris in pueris, „ florentibusque, inveniet:* nec eo falletur quod alter in „ humida, alter in ſicca ſubſtantia, repræſentetur: „ quippe lapis aliquando pari cum aqua calore eſſe „ poteſt, nullum eo faciente diſcrimen quod lapis „ ſiccus ſit, aqua humida. Ita igitur mihi, cum pue„ ros, juvenes, adoleſcentes, millies conſideraſſem; „ præterea eundem, infantem, puerum, adoleſcen-

„ tem-

„ temque factum; nihilo calidior viſus eſt nec puer,
„ quam ætate florens, nec ætate florens, quam puer:
„ ſed tantum, quemadmodum dixi, in pueris magis
„ halituoſus, & multus, & ſuavis; in florentibus
„ exiguus, ſiccus, nec ſimiliter ſuavis eſſe caloris
„ occurſus. ... *Itaque neuter eorum ſimpliciter vide-*
„ *tur calidior*; ſed alter, multitudine ejus, quod dif-
„ flatur, alter acrimonia.

Qui poſtremis hisce temporibus de ſanguine ac calore humano ſcripſere, unanimiter ſtatuunt in media ætate calorem eſſe maximum, eo quod vaſa robuſtiſſima illis ſint, denſique ac compacti ſalubriter humores: ſenilem vero ætatem, quod vaſa morboſe rigida, glutinoſaque liquida habeat; tum & puerilem, quæ vaſis copioſis ſed flaccidis, humoribus vero aquoſioribus componitur, calore minore gaudere. Affirmant & doctrina mechanici attritus, & experientia thermometrorum, evidentiſſimam hanc theſin eſſe, meritoque ſe huic totam ſuam de ſanguine theoriam ſuperſtruere.

Statu quæſtionis utrinque propoſito, liceat, pro omni reſponſo experimenta noſtra enarrare, quæ hac intentione inſtitui in Noſocomio Civico, quod cum Orphanotrophium, Gerontrophium, ac Ptochotrophium ſimul ſit, ob idque 1400. homines alere ſoleat, aptam mihi præbebat experiundi occaſionem. Experimenta omnia capta ſunt jacentibus, & bene tectis circa thermometrum hominibus. Et ne quandoque thermometrum a thermometro tantillum differret, unicum modo adhibitum eſt, ea lege, ut poſt ſingulam adplicationem calorem deponeret, antequam denuo adplicaretur; licet forte cura hæc ſuperflua fuerit. Omnes ſani erant.

Primo ſumſimus Infantes.

2.	*Dier. per* $\frac{1}{8}$ *hor.*	94.	*Grad. per* $\frac{1}{4}$ *hor.*	96.
3.	— — — — —	95.	— — — — —	97.
3.	— — — — —	97.	— — — — —	99.
4.	— — — — —	97.	— — — — —	99.
3.	— — — — —	95.	— — — — —	97.
5.	— — — — —	96.	— — — — —	98.
7.	— — — — —	97.	— — — — —	99.
7.	— — — — —	97.	— — — — —	99.
10.	— — — — —	96.	— — — — —	99.
21.	— — — — —	95.	— — — — —	97.
22.	— — — — —	97.	— — — — —	100.
28.	— — — — —	96.	— — — — —	98.

Ab Infantibus devenimus ad Pueros.

$4\frac{1}{2}$	*Annor. per* $\frac{1}{8}$ *hor.*	96.	*Grad. per* $\frac{1}{4}$ *hor.*	98.
5.	— — — — —	95.	— — — — —	98.
$5\frac{1}{2}$.	— — — — —	94.	— — — — —	97.
$5\frac{1}{2}$.	— — — — —	94.	— — — — —	97.
$5\frac{3}{4}$.	— — — — —	96.	— — — — —	98.
$5\frac{3}{4}$.	— — — — —	96.	— — — — —	98.
6.	— — — — —	95.	— — — — —	97.
$6\frac{1}{4}$.	— — — — —	94.	— — — — —	97.
$6\frac{1}{2}$.	— — — — —	95.	— — — — —	97.
7.	— — — — —	95.	— — — — —	98.
$7\frac{1}{2}$.	— — — — —	96.	— — — — —	99.
$7\frac{1}{2}$.	— — — — —	95.	— — — — —	98.
$7\frac{1}{2}$.	— — — — —	97.	— — — — —	99.
9.	— — — — —	96.	— — — — —	99.
9.	— — — — —	95.	— — — — —	97.
10.	— — — — —	96.	— — — — —	98.

Ætatem mediam ſive adultam opus non erat examinare, cum infinita experimenta calorem dudum determinaſſent ad grad. 95. 96. 97. 98. Sed ſenes jam erant præprimis examinandi.

66. *Annor. per* $\frac{1}{8}$ *hor.*	97. *Grad. per* $\frac{1}{4}$ *hor.*	99.
64. — — — —	96. — — — —	99.
69. — — — —	95. — — — —	97.
70. — — — —	95. — — — —	98.
73. — — — —	96. — — — —	98.
76. — — — —	96. — — — —	98.
79. — — — —	95. — — — —	97.
80. — — — —	95. — — — —	98.
80. — — — —	97. — — — —	99.
81. — — — —	95. — — — —	97.
82. — — — —	95. — — — —	98.
83. — — — —	96. — — — —	98.
84. — — — —	96. — — — —	99.
90. — — — —	96. — — — —	99.
91. — — — —	98. — — — —	100.

Ergo in omni hominum ætate calor naturalis æqualis eſt, & latitudinem illum poſcit, quam in Adultis requiri demonſtravi. Erantque omnes illi infantes, pueri, ſenes, utriusque ſexus; nec minores gradus hic fœminam notant, cum promiscue nunc masculi, nunc femellæ, minorem notarent majoremve gradum.

Igitur vetuſtiſſimi Autores, diverſitatem in varia ætate caloris ſtatuentes, eam ita explicuere, ut cum experimentis eorum obſervata apprime congruant; ſaltem quoad infantes, pueros, juvenes, atque ætate florentes. Recentiores occaſione certi experimenti gaudentes, neglexere eadem frui; quia doctrinam ſuam de attritu, genitore caloris, inconcuſſam credentes, corollaria inde ad ſenes, infantesque, deducta, ſimiliter adeo inconcuſſa autumarunt, ut vel experimentis nullis indigere ſeſe crederent, vel iisdem & raris & neglectim captis, abunde confirmata eſſe concluderent. Adeo quippe arduum eſt hypotheſeos amore teneri, & interim a veritate non abduci. Utinam his exemplis demum ſapientes, deſineremus humano generi, nobisque ipſi, tam turpiter imponere!

C A-

CAPUT XXXV.

De Singulari Quorundam Medicamentorum Virtute.

§. I. *De Multiplici Autoris Naturæ intentione in creandis, perpetuandisque, Vegetabilibus, deque neceſſitate explorandi eorum vires: quibus intermiſcetur ſeria Venenatarum plantarum contemplatio.* §. II. *Varia tentamina inſtituta cum Lyſimachia vulgari flore purpureo, Polygala Virginiana, & indigena quavis, Marrubio, Abiete, Uva urſi. Qua occaſione exhibetur Anatomicus cadaverum conſpectus eorum, quibus uva urſi fruſtra data: proponiturque tentamen prognoſeos de Lithotomia inſtituenda in eo, cui uva urſi non profuerit.* §. III. *Laus Plantaginis latifolii aquatici, & Aquæ Calcis in hiſce iiſdem morbis. Laus denique Merc. Subl. corr. in ſp. fr. ad multos morbos.*

§. I. Furibunda modernorum Philoſophorum Gens impium hoc delirium ingrato pectore fovet, quod Vegetabilia, quorum Botanici, ac Medici, 20000. fere numerantes, vix $\frac{1}{50}$ partem viribus noscunt, aperte demonſtrent cæco penitus materiæ impetu, caſu in motum actæ, prodiiſſe cuncta: Orbemque terrarum hinc multis quidem, iisque præſtantiſſimis, rebus expletum fuiſſe, ſed ſimul etiam multis inutilibus, noxiis, letiferis. Nos qui infinita DEI clementia, ea felicitate gaudemus, ut Naturæ Autorem ex ipſa Naturæ contemplatione veluti præſentem intuemur præſentes, atque ad adorandum & amandum Illum fide adducimur, movemur, ac veluti cogimur; nos, inquam, hanc impiam gentem detestantes, mentemque illis ſanam apprecati, tam certum habemus, quam quod certiſſimum, OMNIPOTENTEM in Vegetabilibus ex nihilo creandis, perpetuandisque, plurimas habuiſſe, ſapientiſſimasque rationes;

 qua-

quarum nonnulla pia conjectura aſſequimur, alias demonſtratione percipimus, plures denique ignorantia involutas adoramus, oſculamur. Fruſtra enim eum nihil feciſſe arbitramur, qui Sap. 11. v. 12. *omnia in menſura, & numero, & pondere, diſpoſuit*; qui ipſe quæcumque fecerat, approbavit, Gen. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

Ac primum quidem videtur DEUS tellurem amœno hoc adſpectu ornaſſe, hominem recreandi, exhilarandi, ſeque laudandi gratia. Integer Adamus & ſanctus, hunc certo inde uſum habuit, virtutis plantarum medicæ, qui illibata ſanitate perpetuo fruebatur, minime indigus. Atque & ipſi nos mortales, Adami deploranda proſapia, læto plantarum adſpectu, mirifice nos delectari percipimus: & ſi recte ſapimus, ſi intelligimus, quid ſibi benigniſſimus noſter Servator velit; Matth. 6. v. 29. aſſerens ditiſſimum, regioque ſplendore fulgentem *Salomonem, in omni gloria ſua haud ita coopertum fuiſſe, quam cooperiantur Lilia agri*, nequimus non in ſummas Creatoris laudes effundi.

2. Numeroſam claſſem conſtituunt Vegetabilia, quæ hominem veſtiant, alant, tegant, calefaciant.

3. Animalia terreſtria, aquatilia, volatilia, in uſum creata hominis erant, primo ad veſtiendum & agriculturam; poſtque Cataclysmum etiam ad nutriendum. Tum & ad uſus Mechanicos, Medicos. Hinc plana tellus, & juga montium, mare, quoque, ac flumina, undique vegetabilibus ornanda erant; ut & alimenta inde haberent animalia, & in iis nidos ſtruendi, ponendique, tum & pullos alendi, ſub iisdem habitandi, ſimilesque alios inde uſus captandi, occaſionem nanciſcerentur.

4. Cœlo decidua pluvia in arbores, frutices, plantas, incidens, moram trahens, earundemque propterea viribus imprægnata, partim ſe in telluris, montiumque, gremium, inſinuat, fertilitatem forte iisdem con-

concilians; partim juxta declives montes, perque eorum incilia, in terram cadens, fontes ac flumina format. Unde oportet aquas quodammodo medicatas reddi; ad potum proinde, ad lavacrum, ad balneum, fieri ſalubres.

5. Athmoſphæra porro tota quantoperene debeat plantarum impleri, ſaturarique effluviis! Ut ipſi nautæ, odore illarum percepto intelligant ſe continenti proximiores fieri. Eſtque hæc una de cauſis, quæ aëra ruſticanum adeo ſalubrem reddant.

Sed ad hanc, ut & ad præcedentem rationem, forſitan de impia gente quisquam ipſam PROVIDENTIAM de non curantia accuſare audebit; eo quod tum aër, tum aqua, æque venenatis, quam ſalubribus imprægnentur effluviis, particulisque: adeoque ſi hinc proſint, illinc noceant vehementer. Sed O minutum philoſophum! Noxias vocat plantas, venenatas vocat, letiferas vocat, quæ quid proprie ſint, ne intelligit quidem. Centenæ certe venenatæ ſunt, & quia venenatæ, ideo ſalubres. Ita tota plantarum claſſis alvum, ventriculum, urinas moventium, venenata quidem, & inimica corpori, & letalis tandem fit, aſſumta ſi fuerit copioſius; cognita autem debitis experimentis apta earum doſi, ſalutifera eſſe hæc tota deprehenditur claſſis. Verum venenum eſt Opium; justa autem doſi moderator dolorum eſt, turbarum pacator eſt, ſtator eſt nimiæ evacuationis. Aſa fœtida copioſius data ventriculum ſubvertit, rarefacit humores, febrem creat; moderate ſumta corpori prodeſt, ſolvendo, reficiendo; tandem gentibus nonnullis patinis molliter affricta, gratiam eduliis ſummam conciliat. Dulco-amaræ ſtipites majori doſi convulſiones, & deliria excitant; moderata vero ſpaſmos convulſionesque ſolvunt, humores blande attenuant.

Hinc in eam ſententiam facile inducimur, quod venena plurima ideo venena ſint, quia nimia copia dan-

tur; apta ſi doſi darentur, egregia futura ſanitatis auxilia. Id quod judicium tamen, & prudentiam, & tempus, omnino requirit. Attamen nemini mirum videri debet, ſi quondam nonnulli ſua horum ſpecimina, probatosque ſalubres effectus, publice prodant. Quid ergo ille male feriatus Sophiſtes mihi reſpondebit, aſſerenti venenatas plantas merito creatas eſſe, quod ad ſalutiferum uſum athmoſphæræ & aquæ, earum effluvia in univerſa effluviorum miſcela, juſta proportione, neceſſario requirebantur; quodque ſpes ſit fore, ut demum etiam interno uſu adplicatuve externo, ſi ſemel æqua earum doſis determinata fuerit, mortalibus egregios producant effectus? Helleborus, Fellandrium, Cicuta, Solana varia, Bella Dona, Hyoſcyamus, & id genus alia, noſcuntur interno, externove uſu, noxiæ plantæ non eſſe, ferrique, ſi non interne omnes, externe ſaltem poſſe; hinc fore ut aliæ venenatæ plantæ etiam ſalutares demum deprehendantur, ſpem merito faciunt.

Hinc 6to. dico, Providentiæ divinæ placuit ſcientiam virtutum plantarum, inſtinctu naturali, caſu, obſervatione, ratiocinio, manifeſtare, idque ita per cuncta ſæcula. *A DEO enim eſt omnis medela*. Eccleſ. 38. *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, ... Ad agnitionem hominum virtutum illorum, & dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis*. Crevere hac ratione experientiæ plurimæ, multaque vegetabilia in uſus patefecere humanos. Socordiæ ergo ſummæ foret veterum inventis aut nova adjicere nolle, aut adjici poſſe diffidere. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, Pſalm 18. v. 3. Sed quid demum eſt quod ſcientiæ noſtræ incrementa retardat? Caſus fortuiti, inſtinctus naturales, ut olim, ita & hodie obtingunt: priſca gens, in omnia attenta notabat ea, privatos publicosque communicabat in uſus: nos vago impetu ad altiora nobis volantes, ea negligimus quæ & nobis coram,

ram, & ad noſtrum aptiſſima captum obſervanda dabantur. Atque utinam adhuc inventis Priſcorum uteremur! Sed proh dolor! plurimarum herbarum vires a Dioſcoride olim, recentius a Dodonæo, Cluſio, aliisque, enarrantur, laudantur, exemplis demonſtrantur; quarum nos nec uſum, nec ipſam mentionem facimus: atque ita ad veterum ſapientiam nihil novi addimus, ſed partem adhuc detrahimus, oblivioneque ſepelimus. ſicque in Materia Medica longe pauperiores ipſis deprehendimur. Hæc porro me impulit cauſa, ut dudum viribus ſimplicium, quas vetuſtas cognovit, neglexit poſterior ætas, ex oblivione reſuſcitandis totum me dederim, & nova quædam obſervata iis, quæ capitibus prioribus dedi, adjecerim.

§. II. 1. Quæ de *Lyſimachia vulgari flore purpureo*, anno præterito notavi in Diarrhœis ac Dyſenteriis a laxitate oriundis; etiam in Diarrhœis & Dyſenteriis olim a cauſa quavis alia productis, jamque cauſa priore devicta, a debilitate ſuperſtite poſtmodum continuatis; multa nova experimenta confirmarunt.

2. Radix *Polygalæ Virginianæ*, Antidota inventa fuerat adverſus morſum ſerpentis, dicti Boicininga. Cum porro cadavera eorum, quos morſus iſte ſuſtulerat, coagulatum phlogiſtice ſanguinem omnino exhiberent, Medicus Anglus periculum fecit an eadem radix, quemadmodum inflammatum morſu ſerpentis cruorem curat, ita eundem ſpiſſitudine inflammatoria obſitum quoque curaret? Votis experimentum reſpondit. Medici Pariſienſes idem experti ſunt quacunque Polygalarum gallicarum ſpecie. Vide *de Sauvages* Diſſ. Acad. *ſur l'Inflammation*. In acutis inflammatoriis experimentum facere nolui, quia voto non reſpondens periculoſum eſſe potuiſſet: dum enim experimentum fit, non eſt dandum aliud interea remedium, ſiquidem alioquin ejus, de quo quæritur, efficacia non pateſiat. Hinc quatuor diverſis hominibus dedi qui ex

inflammatorio morbo ſuppurationem habentes, continuo prava de integro ſymptomata a phlogiſtica ſanguinis diatheſi paterentur; ſed binorum menſium tempore in uno, quatuor in alio, in aliis duobus quinque, datum remedium non profuit: ſanguine ad neceſſarias indicationes poſtliminio ſæpius miſſo, cruſtam denſam ac tenacem perpetuo gerente. Lac cum melle copioſum adjunxeram duntaxat; tum quod hoc eidem indicationi inſerviens, vires medicamenti infringere non poſſet, tum ne, ſi illud ipſum medicamentum non juvaret, reliquis artis auxiliis ægri omnino carerent.

3. *Marrubium* in abſceſſu, maxime Pulmonum, veteribus celebratiſſimum, in uno alterove caſu aliquantum profuit; in cæteris minime.

4. *Abies* in Scorbuto quocumque adeo celebrata, trimeſtri ſpatio a puella maxime ſcorbutica affatim epota, nihil attulit levaminis, nunquam pro ichore ulcerum verum pus produxit.

5. *Uva urſi* variæ fuit in variis efficaciæ, quam expedit exacte enarrare.

Omnes, quotquot ſuppuratione, eaque etiam valida, diuturnaque, ac reliquis auxiliis immorigera, in ſyſtemate urinoſo, Renibus, Ureteribus, Veſica, Urethra, Scroto, Perinæo, nulla labe venerea ſubliteſcente, laborarunt, idque citra evidentia præſentis calculi ſigna; hi paſſim & integre uva urſi curati ſunt. & conſtantiam curæ hucusque referunt.

Qui manifeſto calculo, calculisve laborarunt, horum plures tam conſtans levamen habent, ut dudum etiam a remedio quieſcentes, nec doleant, nec ullum in Urina reddenda, retinendave, incommodum patiantur. Hos inter octuagenarium numero, qui a 40. annis parvos lapillulos, multamque arenam, mucum tenacem, frequenter mixerit, doloresque inde paſſus enormes fuerit: ante uſum hujus remedii omnem plurimorum Europæ Medicorum opem fruſtra expertus. Videam-

deantur etiam exempla n°. 2. & 5. cap. ſeq. de Electr.

Alia Claſſis horum eſt, qui remedio hoc curati viſi, denuo relaberentur: repetito remedio, iterum quaſi curati: idque ita per 3. 5. 6. vices. His ſuadeo perpetuo continuent; quod a plerisque, dum belle habent, vix obtinemus.

Tertia claſſis eos continet, qui vel nihil leventur, vel ad tempus modo, ita ut ſub continuato remedio æque gravia ſymptomata patiantur, quam eodem non uſi; quique vel ad Lithotomiam confugere debuere, vel viribus fracti, adeoque ad Lithotomiam inepti, occubuerunt.

Hos poſteriores inter Puer fuit, de quo antea cap. 26. pag. 206. n°. 3. Huic & levamen inconſtans & febris hectica aderat, hincque ad Lithotomiam deſtinatus. Sed Dyſenteria tenesmode cum magno Recti inteſtini prolapſu oborta, operatio differebatur. Dyſenteria tandem ſuſtulit illum.

Haud ſane profuturam operationem fuiſſe teſtabatur cadaver. Veſica urinaria circum calculum in ſubſtantiam denſam compactamque ita contrahebatur, ut vix ſupereſſet, quod lotium exciperet cavum. Calculus ad forcipis adtactum in centena fragmenta diſſiliit. Erant autem Ureteres utrinque, tota ſua longitudine, digitum ampli, atque ubique, inæqualiter tamen, calloſi; proindeque, qui contraherent ſeſe, prorſum inepti. Eorum in dextro & volvulus ingens, & tota interna ſuperficies purulenta, pusque effundens. Renes toti calloſi. Ita ut omne ſyſtema ouropoieticon, adeo immedicabiliter degenerans, nullum fere levamen a ſectione calculi retuliſſet.

Similem harum partium degenerationem, ſed graviorem, in viri 37. annorum corpore invenimus; qui è longinquo ad Noſocomium Fr. Miſeric. delatus, Lithotomiam præ dolorum immanitate enixe rogabat, eamque certo ſubiturus fuiſſet, niſi, qua erat, inſignis

debilitas procraſtinaſſet eandem. Tempore igitur intermedio, quo reſtaurandis viribus allaborabatur, ſimul uva urſi, cum paregoricis, data fuit; idque eo profecto cum ſucceſſu, ut per aliquot ſeptimanas dolores admodum mites expertus, ſolo virium defectu periret.

Utraque hæc Hiſtoria, ſimilesque cap. 7. pag. 48. ſeq. enarratæ, oſtendunt ejusmodi mirificas ſyſtematis urinoſi degenerationes frequentiores eſſe, homines que tales nec remediis ſanari, nec ſectione poſſe. Quid enim proderit calculo ſectum eſſe, & interim pelvim, ureteresve, adeo & amplos habere, & tortuoſos, & calloſos, & purulentos? Quæ cum a priore non cognoſcantur, patet Lithotomiam eventus incerti eſſe; hujusque incertitudines ægros, dum eam rogent, rogenturve, ſerio monendos eſſe.

An paſſim ii, quos Uva urſi non juvat, ſuſpicione laborent ejusmodi degenerationis? An igitur ideo, qui uva urſi immedicabiles ſunt, etiam ad fortunatam ſectionem inepti? Saltem contrarium nondum experti ſumus. Calloſa penitus pelvis; Calloſus, & convolutus, ſedeque pulſus, atque ſua amplitudine inteſtinum potius quam ureterem referens, ureter, urinam ſuſcipiunt, copioſè colligunt, nec niſi ingenti cum difficultate in calloſam, contractamque, veſicam impellunt. Quin & ſemidigitum craſſa, eove craſſior, veſica, univerſim calloſa, vulnere facto non coëuns, perpetuum urinæ ſtillicidium, ſi vita adhuc perdurat, excitat.

Cum Uva urſi adeo egregia deprehendatur in ſyſtematis urinariæ abſceſſibus, occupor jam viribus ejusdem explorandis in quocumque aliorum viſcerum abſceſſu: at vero pauciora ac recentiora ſunt experimenta, quam ut hucusque certi quidquam pronunciare auſim.

§. III. Amicus, Medicus celeberrimus, laudes ad me ſcripſit *Plantaginis aquaticæ latifoliæ*, in infuſo aquoſo

quoſo propinatæ, ad calculoſos morbos, ut eam cum uva urſi viribus decertare arbitretur. Factis experimentis effectus egregios cum laudato caro, jamque celebri nomine autoris, fore ut evulgem ſpero.

Curæ Aqua Calcis, & Sapone, quondam peractæ conſtantes manent: hocque ipſo tempore eandem denuo multa cum ſpe inſtituo.

Mercurii Sublimati corroſivi, ſpiritu frumenti misti, uſus in Noſocomio copioſiſſimus, perſeverat miras edere curas; quasque præcedentibus annis inde habuimus, gaudemus conſtantes: malo ſemel bene curato, nunquam, niſi ad novos errores, repullulante. Hoc currente anno Amauroſes incipientes, Pannos, Albugines, Annoſas narium labiorumque exeſiones, &c. aliquoties feliciter inde curavimus: fatendum tamen eſt in quibusdam caſibus ſuſceptam curam haud ſucceſſiſſe.

CAPUT XXXVI.

De Viribus Electrinis.

§. I. *Curæ hoc anno vi electrina peractæ.* §. II. *Fruſtranea quædam tentamina.* §. III. *Apoplexia mucoſa, terribilibus ſymptomatibus ſociata inde curatur.* §. IV. *Difficultas curæ Paralyſeos & Convulſionis in facie, reliquo corpore ſano: miranda Naturæ via, ad deſperatiſſimum ejusmodi caſum curandum.*

Electricitatem ſexto jam anno in hoc Noſocomio proſecutus, eam mihi ſententiam annuatim firmiorem gaudeo, quod inter præſtantiſſima artis auxilia jure referenda ſit: licet enim multis fruſtra adplicetur; pluribus tamen eam ſive emendationem mali, ſive integram curationem conferre, quam nullo

alio auxilio Ars præſtare potuiſſet, indies teſtatius redditur. En iterum experimentorum hujus anni compendium.

1. Deauratores, quorum felices hiſtoriæ anno ultimo dabantur, partim pulcre ſe habere pergunt, partim ab aliquot ſeptimanis, quod fere nunquam a Mercurii hauriendis vaporibus quiescant, in antiqua mala incidere incipiunt, ideoque nunc denuo ad machinam accedunt.

2. *Baumgartnerin* 59. ann. maligne ante biennium decumbens, nec rite judicata, dudum languit, ac tandem eousque reſtituebatur, ut incedere utcumque, ægre tamen, inciperet. Verum integro eo biennio Dyſuria, & Stranguria, maligno morbo ortæ, miſerrime eam hucusque excruciabant, dextraque manus tota ita debilitata manſerat, ut prehendere eadem, tenereque, poſſet nihil; ultimi autem digiti perpetuo frigerent. Hanc & ad machinam admovi, & uvam urſinam ipſi dedi. Utroque hoc auxilio bimeſtri ſpatio uſa, ita reſtituta fuit ſanitati, ut poſt integram curationem elapſo menſe me adhuc adierit, DEO præprimis, tum & mihi, quod utraque hac calamitate dudum jam liberata eſſet, gratias actura.

3. *Adam Schneider* 47. annos natus, menſe Aug. 1758. illibata valetudine gaudens, dum Cithara ludit, percipit manifeſto ſiniſtro in capitis latere frigidam veluti auram ſuboriri, eamque ſenſim descendere ad collum, pectus, brachium, & crus, ejusdem ſiniſtri lateris; poſtquam tandem totum illud latus paralyticum deprehendit, mente interim ſemper ſibi præſens. Linguam quoque impeditam in loquela, totamque genam ſiniſtram adeo paralyticam deprehendit, ut facies tota fœdo ſane adſpectu dextrorſum diſtraheretur. Oculus porro ſiniſter a primo invadentis mali momento tantopere debilitabatur, ut poſtmodum parum admodum eodem videret.

deret. Remediis ſibi a Medico ſuo datis, intra XI. ſeptimanas id lucrabatur, ut paulo expeditior fieret linguæ motus, pedique inſiſtere per momentum, bono ſcipioni innixus, utcumque valeret; in cæteris per omnia idem. 7. Nov. ad machinam primum admotus eſt, & 1759. 24. Febr. oculo lucratus nihil, genam perfecte reſtitutam gaudet, pede apto, integroque, ita fruitur, ut genu tantiſper, ſed rarius, titubet, brachioque etiam emendetur. Gaviſus ita hac cura eſt, ut integram neglexerit.

4. *Magdalena Strekerin* 40. annum agens, a ſexennio catameniis caret, pectore hinc anxia, multaque pituita obſeſſo, ægre vitam tulit. Acceſſit ut ineunte hoc, quem vivimus, anno, in cubitum ceciderit; tumidumque primo brachium, ac tumore remittente frigidum, immobileque, deinceps habuerit: cunctis digitorum unguibus ſecedentibus prorſum, & eorum in locum difformi cornu enato. Primo quidem labefactatæ ſanitati reſtituendæ intentus fui, eamque conſequutus, menſe Majo fœminam ad machinam electrinam admovi. Inde emendatur, ſed tarde admodum; emendanda citius, ſi diligentius accederet: quod autem frequenter deſit, id inde ortum ait, quod ſi 3. 4. diebus ſibi ſubſequentibus adfuerit, artus omnes ſibi vehementer doleant; ita quidem ut quiete nonnulla indigeat, antequam ille dolor evanescat. Sanitas interim corporis integra jam adeſt; ut etiam brachii cura merito ſperanda ſit.

5. *Georgius Huber* 56. ann. 3. Mart. 1759. primum ad me accedens, novendecim annos narrabat elapſos eſſe, quod in lumbis, ac perinæo, validos ſit paſſus dolores, multosque calculos parvos eminxerit. Dolores deſcribit ſic, ut ad lumbos perpetuo oriantur, pergantque deinceps ad inguina. Decem abhinc prægreſſis diebus, perceperat calculum a Re-

ne

ne pelli, per ureterem premi, mingique dein cœptum. in urethra ſubſiſtere, & integro quatriduo ibidem hærere; urina interim guttatim modo, ac furtim, transfluente. Eo tempore rus ſibi petendum erat. Quo carpento vectus, calculum vi emiſit, urinæque ſimul ingens profluvium: redeuntibus tamen mox ſymptomatibus antiquis.

Sub ipſum hoc tempus, nempe novem abhinc diebus elapſis, contigerat, ut nocte evigilans, totum brachium ſiniſtrum ſibi paralyticum eſſe perciperet, ſequenti autem die totum latus & linguam. Ex his omnibus ſola lingua jam emendatior erat.

Primum curam ſyſtemati urinario læſo adhibui, data uva urſina: a qua mox opem mirificam expertus eſt. Interea temporis fumo aromatico partes paralyticæ, totaque ſpina dorſi, egregie fricabantur. Cum ſpatio menſis calculi ſymptomata integre ſilerent, ad Electream machinam eum cepi adhibere. Quarto porro die ad ipſam machinam ſentit novum descendentem a Rene calculum, qui in urethram dein pulſus, horæ ſpatio mox emingebatur, ubi antea urethra hoc crudeli hoſpite 3. 4. diebus excruciari ſolebat. Cum nec doluit deinde, nec calculos ultra excrevit, licet uva urſi binis modo menſibus uſus eſſet, neglexit hucusque totam Paralyſeos curam, licet hæc ſpem curæ minorem non daret, quam cura calculi.

6. *Benedictus Erringer*, ann. 18. molitor, 5. Julii 1759. hora ſexta veſpertina, medio in opere ſuo, vertigine & ſomnolentia corripitur, & retrocadit, per $\frac{1}{4}$ horæ ſibi non præſens. Poſtquam ad ſe redierat, pedibus inſiſtere neutiquam potuit, uti neque integro quatriduo poſt. Vena 8. Julii ſecta, cepit 8. & 10. Julii pedi inniti ſenſim poſſe. Quod autem notandum, ab ipſo primo mali inchoantis momento manus dextra vehementer tremuit, idque diu

noctu-

noctuque, ut eadem perficere nihil, nihil tenere, nec cochleare ad manducandum dirigere, poſſet. Non enim tremor modo aderat, ſed etiam digitorum perfecta Paralyſis. Sic ſe habens adiit 23. Julii Nobiliſſ. B. *van Swieten*; qui re examinata eum mox ad me miſit, quo ad machinam adhiberetur. Adhibui. Vix decem ictus ſuſtinuerat, quin curatum ſe diceret. Perfectiſſimeque curatus manet hucusque.

7. *Marcus Krafft* ſomno obreptus, capite ſuo incumbit brachio dextro. Expergefactus deprehendit totum brachium, manum, digitos, omni prorſus motu carere. Senſus admodum paucus adeſt: pollex vero & index interne externeque frigidi, ne vellicati quidem quidquam ſentiunt. Malo jam 19. diem numerante, ad machinam acceſſit: vires ejus 19. diebus expertus, ſanitatem integerrimam recuperavit.

8. *Scibaldin*, me convenit 13. Sept. 1758. Hæc dudum jam cum marito occupabatur plumbo veteri purificando, fundendo, hincque jam a dimidio anno in Colicam pictonum incidens, dolores ventris enormes patiebatur, dolores quoque ac tremores per artus univerſos. Dedi ipſi ſingulis veſperis unc. vi. Olei Lini & unc. 1$\frac{1}{2}$. Syrupi Diacodii, unico hauſtu aſſumendas. Unde mox levata, poſt decimum hauſtum perfectam ſanitatem nacta eſt; ſolo tremore redeunte poſthac, ac perſeverante. Ad machinam tunc admovi, dedique pilulas ex ſap. ven. unc. $\frac{1}{2}$. gum. amm. ter. fol. tart. maſ. pil. Ruf. a dr. ii. & Suffimigium ad fricandum abdomen & artus. Hinc ſpatio 2. menſium perfectiſſime curata eſt, curata manſit, donec cupro, aliisque metallis, & ſemimetallis fundendis, iterum occupata, veteris mali reditum animadvertat, jamque ad machinam denuo accedere inchoet.

9. Tentavi an experimentum Electricitatis ſuccederet

deret in curandis colli ſtrumis ſcrophylisque, quemadmodum Act. Acad. Monſpel. id teſtantur. Binas puellas per 8. menſes conſtanter ad machinam adplicui, ictu ad affecta loca determinato, ſed fruſtra fui. An mala inveterata nimis?

10. Curationes antea cap. 28. n°. 17. 19. 20. 25. inceptæ, dudumque protractæ, nondum perficiuntur, ſpem jam minorem, jam majorem, facientes.

§. III. Atque hæc de experimentis noſtris ſufficiant. Addam quod de viribus electreis ad Apoplexiam mucoſam mecum communicaverit celeberrimus apud Haganos C. H. *Velſe*: „ Virgo, inquit, „ honeſtiſſima 24. ætatis annum agens, tenerrima, „ nuper Apoplexia pituitoſa corripiebatur, cum „ palpitationibus cordis tam irregularibus, itemque adeo coſtas pulſantibus, ut eas manifeſto „ audire, licet ſatis diſtans, poſſem; & præterea „ cum largiſſimo ſudoris totius corporis profluvio. „ Hæc cum morbo chronico, diverſiſſimis ſymptomatibus corpus conterente, & ſanguinis (qui miſſus poſtridie nonnunquam in ſerum totus liqueſcebat, vix phlogiſticæ placentulæ ſuperſtite veſtigio) miſſiones, ſexenties forſan, nunquam tamen citra ſummam neceſſitatem intra quinquennium repetitas, exigente, diu luctata, & adeo enervis erat, ut (in hac Apoplexia) evacuantia „ quæcumque vetarentur; neque roborantibus, aut „ ſpirituoſis ingerendis, ob deglutitionem prorſus „ ſublatam, & linguam exſertam, ulla ſpes ſupereſſet. Quamobrem actutum Electricitatis *Neupertianæ* periculum feci; ſed non alio cum eventu, quam quod palpitatio cordis multum remitteret, & ſiſteretur ſudoris per aliquot horas eruptio, Apoplexiæ tenore eodem perſeverante: uſque dum, 18. inde elapſis horis, ſecunda vice virtutem electricam diu in naſum determinarem,

„ atque hinc primo indicia ſenſus ingrati, deinde „ ſternutationem frequentem, tandem media ho„ ra poſt Apoplexiæ ſanationem feliciſſime efficerem".

Demum & hoc addiderim. Genarum Paralyſin & Convulſionem Chronicam, rarius curare ſolemus, quam deſperatam relinquere. Præcipue ſi topicum hoc faciei vitium id unicum ſit, quod toto in homine accuſes. Abſolvi equidem hanc curam nonnunquam, ſed frequentius fruſtra fui. Et etiam fœmina adeſt, quæ a biennio fluxum puris dextra aure paſſa, tandem anno 1758. exeunte, paralyſin fœdam oculi dextri, dextræque genæ patitur, fluxu purulento auris nihilominus continuante. Octavo jam menſe ad machinam accedit; oculo multum, gena fere nihil lucrata; quanvis & ad originem rami infraorbitalis, ſecundi rami quinti paris, & ad locum ubi portio dura ſeptimi paris Aquæ ductu Fallopii emergit, pedem dictum anſerinum formatura, vis electrina peculiariter determinetur. Ut autem in topica hac Paralyſi, ita quoque res ſe habet in topica hujus loci convulſione: hæc etiam artem noſtram ludere ſolet. Anatomicorum hujus ſæculi facile princeps *Albinus*, narrabat nobis in collegiis ejusmodi convulſionem quondam ſibi curandam datam fuiſſe, eamque, ad omnia rebellem, ſeſe, nervo infraorbitali abſciſſo, percuraſſe. Sed en alium caſum, qui doceat quam expedire nonnunquam ſe norit miris Natura modis! Communicavit illum nuperrime mecum integerrimus amicus, celeberrimus apud Haganos Practicus, *Abrahamus Weſterhoff*, vir, cujus conſilio arduis in rebus ſaluberrimo ſæpius me uſum eſſe gratus recordor. Caſus quippe per omnia illi Albiniano ſimilis, tum maxime annoſus erat, tum ad quævis artis auxilia, vimque electricam, penitus immoriger. Conſuluerat clarus Amicus

micus eundem noſtrum venerandum magiſtrum, qui curæ tam egregie quondam a ſe peractæ probe memor, eam tamen hic ambiguam ſuſpicabatur; cum qui proprie ramus incidendus, non poterat determinare. Sed en quid tunc contigit! „Fit interim, inquit, ut parvus tumor cyſticus, mollis, enascatur in parte interiore labii inferioris, continuo increscens, mobilis neque dolens. Quum ergo & incrementum nimium metuerem, &, quod ſpasmodica affectio ingrata illa viciniam conſtans occuparet, hinc mihi perſuaderem, poſſe aliquid inde boni redundare, curavi exſcindendum integrum. Effectu laudatiſſimo! Sanatus homo eſt, manus Chirurgi tempore breviſſimo morbum ſuſtulit, quo Vir nobiliſſimus per annos laboraverat, languerat, quovis pretio redimere curationem dudum paratiſſimus.

F I N I S.

INDEX

Præcipuorum in hoc opere contentorum, tam Remediorum & eorum uſus quam Præceptorum Practicorum ordine Alpha-Betico.

A.

Abies commendatur in ſcorbuto, Pag. 358
Acido mucoſa infantum temperies peſſimas exulcerationes in capite, facie &c. generat. 96
Acidum immutantia ubinam proficua. 10
Aër in inſpiratione videtur potius ad motum ſanguinis quam ad refrigerium facere. 120
Alcali nota certa non eſt quum Syr. violarum viridi colore tingitur. 346
Aneurisma ſæpe alios morbos ſub larva ſua ſimulat. 257
Aneurismatis externi cura. 266
——— interni generalis indicatio & cura. 256, 7
——— ſpurii diviſio a Fouberto propoſita. 268
Anti-puica quænam. 240
Aphorismi cujusdam Hippocratis interpretatio vera. 277
Apoplexia ſub quibus conditionibus ſanabilis. 330
——— mucoſa Electricitate ſanata. 366
Aqua calcis in calculo proficua. 137
——— convincit operatorem in herniotomia de apertura Peritonæi. 83
Aſſerta a Chirurgis Pariſinis ſupra operationem Hydropis ſaccati examinantur. 292 ſeq.
Attritus ſolus non ſufficit ad explicandum calorem corporis humani. 123, 350

B.

Balſamus Copayba verus in phthiſi. 227
Bella Dona nullam emendationem in Cancro dat. 74
Bilis defectus an ſit cauſa hydropis? 302
——— cyſtica in ſua veſicula generatur. ibid.
Boerhaavii methodus curandi Iſchiadem. 317

C.

Calculus humanus unc. 2. in aqua calcis ſolutus. 54
Calor naturalis in omnium hominum ætate æqualis eſt. 352

Calor in ægro vel ſano ab auctoribus non ritè determinatus cur? Pag. 119
—— — malignis raro intenſus. 164
Calx viva cum melle &c. ad Iſchiadem. 319
Cancer exulceratus Cortice Peruviano curatus. 225
Caſtratio feminarum per ovarium repugnat humanitati & rationi. 294
Catalepſeos mirum exemplum & cura. 335
Chirurgorum Pariſienſium conatus ad artis augmentum certis adſtringuntur conditionibus. 288
Chorea ſancti Viti Electricitate curata. 52, 53
Clysmata acria a Dioscoride laudata ubinam. 319
Clysmatum commendatio Hippocrati in morbo coxario. 318
——— utilitas in acutis. 11
Colica Pictonum aliquando ſaturatioribus purgantibus ſoluta. 12
—— —— requirit oleoſa pinguia. 56
—— —— perinde a qua cauſa orta eodem ferme modo curanda. 193
Colicæ Pictonum cauſa formalis. 178
Commercium mentis cum corpore quomodo fiat ignoratur. 337
Cortex Peruvianus in ſtatu contagioſo variolarum optime datus fuit. 99
—— —— auget vel minuit calorem corporis pro neceſſitate. 126
—— —— ſerio datus non tollit malignitatem. 246
Corticis Peruviani vires. 171
—— —— —— ſunt inexplicabiles. 196
—— —— Extractum ad unc. 1. quotidie in Petechiis malignis. 165. ſeq.
—— —— fomentum ad gangrænam. 200
—— —— præſtantia in cachexia purulenta. 221
Criticæ evacuationes poſt datum Corticem Peruvianum apparent. 100
Cruditas non tempore metitur tantum ſed etiam conditione. 25, 342
Cruſta phlogiſtica. 36, ſeq.
—— —— variat pro vaſe excipiente. 194
Cucurbitæ in coxæ morbis. 317

D.

Decuſſatio fibrarum nervearum in cerebro non eſt generalis. Pag. 340
Diagnoſis in affectionibus femoris & articuli coxæ incerta eſt. 307
Diatheſin purulentam quænam in ſanguine generant. 74
Difficultas in ſtatuendis diebus criticis quomodo tollatur. 20
Diſſolutio ſanguinis aliquando requiritur ad bonam criſin. 37

E.

Electricitas quænam ſanare poteſt. 143
—— in tremoribus proficua. 229. ſeq.
—— — Chorea ſancti Viti & Paralyſi. 234. ſeq.
—— inter præſtantiſſima artis auxilia referenda. 361
Embroche commendatur Iſchiadicis. 310
Emeticorum in acutis rarior uſus. 6
—— reſtrictiones. 152. ſeq.
—— uſus quando bonus vel malus. 59
—— —— noxius in Apoplexia. 331
Emeticum non dandum in variolis. 75
—— ſingulare Noſocomii dicti de la Charité. 177
Eminentia ad metacarpum in Paralyſi colicæ quidnam ſit. 191
—— an ejus materies in ſanguinem reaſſumi poſſit. 192
Ἔμμοτα ulcera Hippocratis. 277
Emplaſtrum ex maſtiche & ſp. vini ad coxarium morbum. 319
Emulſio millepedum in inſpiſſatione humorum in oculo. 241

F.

Febris contagioſo-varioloſa poteſt ex morbis intermittentibus eſſe. 99
Febrium acutarum genuina curandi methodus. 58
Flatus ſemper iis moleſti quibus Paracenteſis inſtituitur. 282
Flava craſſa tenax materies in inflammatione. 40. ſeq.
Fomentum corticis Peruviani ad Gangrænam. 200
Fonticuli ad malum Iſchiadicum. 320
—— — revellendam lympham. 322
Frictiones ad morbos Coxæ. 319
Fumus Tabaci in Ileo, & Hernia incarcerata. 55
Furunculi in inſitivis variolis frequentius quam in naturalibus comparent. 65

G.

Genarum convulſio & Paralyſis Chronica integro corpore raro curatur. Pag. 367
—— —— ab Albino curata quomodo. ibid.
Goſſypium pro inuſtione apud Ægyptios in morbo coxario. 3 6
Gradus caloris omnium maximus in homine moriente & nuper mortuo. 346

H.

Hales Idea in curando Ileo examinatur. 91
Hydropis ſubito renaſcentis modus explicatur. 300
—— —— Cyſtici monſtroſum exemplum. 283
—— —— —— ſimilitudo cum Tympanitide & differentia ab ea. 275

I.

Incommoda a nimiis ſtragulis. 13. ſeq.
Inflammatio lumborum neglecta. 47
Injectiones cum aqua & melle in abdominis ſuppuratione. 299
Inurendi methodus apud Ægyptios in coxario morbo uſitata. 316
Judicium ex ſola urina in morbis fallax quare. 26. ſeq.
—— Infanticidii malè petitur ex pulmonum ſtatu. 115
Jura carnium in Hollandia non adeo proficua ac in Auſtria. 2

K.

Kermes minerale cum oxymelle ſcyllitico in tuſſe. 165, 221

L.

Lac ſummum ad colicam remedium. 182
Læſiones quotuplices in morbo coxario. 305
Lanciſii quoddam effatum non confirmatur. 261
Linimentum ad morbum coxæ. 319
Loci affecti in morbo Iſchiadico. 320
Lympha ventriculorum cerebri non eſt concreſcibilis. 341
Lyſimachia in Diarrhæa & Dyſenteria a laxitate & alia. 226, 357

M.

M.

Maligni morbi quinam proprie ſint. Pag. 146
Malignitas non eſt de eſſentia morbi. 243
Malignitatis termini abuſus. 174
Marrubium commendatur in Abceſſibus, maxime autem Pulmonum. 358
Materia Iſchiadis varia. 320
Menſes copioſius fluunt admota vi Electrica. 239
Mercurius ſublim. corroſ. cum Spir. Frumenti in quibusnam. 55, 138, 228
Mercurio curati plurimi in variolas confluentes incidunt & inde pereunt. 97
Methodus vera generalis ad curam colicæ Pictonum. 180
Miliaria vera & eorum cura. 17, 18
—— & Petechiæ quotuplices. 244
Millefolium & chamomilla ſunt antiſpasmodica, 185
Morbi Cerebri fere ab iisdem cauſis oriuntur. 332
Moxa apud Indos uſitata pro inuſtione. 317

N.

Nervus Intercoſtalis ſive magnus ſympateticus non oritur in cerebro ſed a Gangliis. 188
—— hinc explicatur Paralyſis Colicæ ſuperveniens. 190

O.

Oleoſa epota in quo caſu bona. 12
Oleum lini injectum in veſicam pro ſtranguria. 164
—— —— —— —— —— pro calculi dolore. 206 *ſeq.*
Opii cum oleo mixti elogium. 183
—— —— —— præſtantia ad præcavendam Paralyſin. 184
Opium cum Emulſis datum ut paulisper aſſumatur non producit æque bonum effectum ac Paregoricum. 77
Oxymel cum Diacodio ad expectorationem. 170
—— —— cum Kermes minerali in tuſſe. 165, 221

P.

Paracenteſis in ſaccato hydrope præfertur inciſioni. 298
Paralyſis Electrica machina curata. 51, 234

Paralyſis obſervata in ſuppuratione Pectoris. Pag. 186. *ſeq.*
Paralyſi ex colica optime medetur Diæta lactea & Electricitas. 193
Paralytici fiunt potius in ſiniſtro latere, rarius in dextro. 54
——— dum incipiunt emendari, ſuſtentatis partibus obſcurus redit motus, pendentibus non item. 326
Paregoricum in variolis quomodo dandum. 76
Perſciſſio cutis in variolis cur bona. 80
Perturbationes criticæ. 24
Petechiæ ſymptomaticæ unde? earum cura. 17
——— & miliaria quotuplicia. 244
Phthiſis eſt infinité varia pro parte affecta. 222
——— pulmonalis habet duplicem originem. 43
——— Iſchiadica. 321
Plantaginis aquaticæ latifoliæ elogia. 360
Pleuritis deſperata ſingulari modo ſanata. 13
Polignac (Cardinalis de) locus ex Anti-lucretio. 337
Polygala virginiana in denſitate ſanguinis inflammatoria. 356
Polypi præſentis ſigna. 104
——— quomodo curentur. 106
Potus copioſus quæ bona in Acutis producat. 4 *ſeq.*
Pringle Doctoris doctrina de antiputridis non probatur. 28
Prophylacticum cujusdam Empyrici ad Colicam foſſorum. 56
Pſeudo membrana Ruiſchii. 30 *ſeq.*
——— ——— ——— quomodo parabat eam & error in Indice operum ejus. 31
——— ——— ——— melior eam parandi modus *ibid.*
——— ——— ——— unde oriatur. 32
Puerperæ aliquando Venæ ſectionem poſtulant. 345
Purgans opio junctum 184
——— tutum & optimum in Chronicis in omni temperamento. 138
Purgantia Hippocrati laudata in Iſchiade. 318
Puris notitia. 61
——— materies ſeptuplex, & cauſa. 66

R.

Rachitis curata cortice Peruviano. 225
Remedii formula pro Colica Pictonum. 365

S.

Salivatio a Mercur. ſubl. corr. cum Spir. frumenti. Pag. 240
Sanguis non perdit vim plaſticam poſt quartum diem. 342
——— ——— arterioſus a venoſo differt in eo quod ſerum non dimittat. 345
Schulteto laudatum balneum Thalfengenze, Die gezond-brun. 319
Scrophuloſis curandis ſingulare remedium. 131
Seroſa ventriculorum cerebri colluvies producit morbos cerebri. 332
Serum ſanguinis an ſimile albumini ovi? 34
Somnambulorum alia ratio ac Catalepſeos. 336
Spirituoſus liquor quomodo noceat corpori. 324
Spongia uſta curat aliquando ſcrophulas. 130
Steatoſum corpus intus in corpore hærens 33. libr. Medic. 286
Stercoreus vomitus non omnis infert mortem. 93

T.

Tempus neceſſarium ad definiendum gradum caloris. 348
Thermæ ad morbos Coxæ. 319
Tremor univerſalis Electricitate curatus. 53
Tumores Cyſtici variis viſceribus adhærent. 289
——— ——— varii & diverſi poſſunt in eodem corpore eſſe. 127
Tympanites quid ſit & ejus ſedes ubi? 83
——— ——— ſedes ejus in inteſtinis. 273
——— ——— idis cauſa proxima & remotæ. *ibid.*

U.

Unguentum ad malum Coxæ. 319
Uſtio in morbis Coxæ apud Hippocratem & ſequentes in uſu. 316
——— ad os usque rarius commendatur. 317
Uva Urſina optimum remedium in viarum Urinæ morbis. 132 *ſeq.* 358
——— ——— etiam cum adeſt Lues Venerea intermixto Mercurio prodeſt. 219
Uvæ Urſinæ Elogia in Calculo. 204 *ſeq.*

V.

V.

Vaginæ prolapſus. 44
Valvula coli poteſt præparatione tolli. 89 *ſeq.*
Vapor aceti in curandis tumoribus. 130 *ſeq.*
Variolarum inſitionem nemo Turcarum admittit 81
Venæ ſectio in quovis ſtadio variolarum poteſt eſſe proficua. 77
——— ——— in Coxarum morbo laudata Hippocrati. 318
——— ——— inſtituta undecimo & duodecimo morbi die. 342
——— ——— in puerperis & menſtruantibus pro neceſſitate inſtituenda 344
Venæ ſectionis in acutis regulæ. 158
Venena multa ſunt tantum venena ob copiam. 355
Veſica contractiſſima calculus difficulter indagatur. 50
Veſicæ parvitas familiaris his qui frequentius mingere debent. 134
Veſicantia in Iſchiade apud noſtrates in uſu. 317
Viſcera cava in morbis indagandis nos ſæpe ludunt. 50
Vomitorii & Clyſteris acris fallacia in Colica Pictonum. 178 *ſeq.*

ANTONII DE HAEN

Conſiliarii Aulici, ac Medicinæ Practicæ, in Alma ac Antiquiſſima Univerſitate Vindobonenſi, Profeſſoris Primarii,

PARS QUINTA

RATIONIS MEDENDI

IN

NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.

LUGDUNI BATAVORUM,
SUMPTIBUS SOCIETATIS.
MDCCLXI.

LECTORI.

Non diu eſt, quod quatuor priores hujus operis partes certo ordine digeſtas, & indice locupletatas in lucem prodire fecimus, ſimiliterque cum ſequentibus pergere tum temporis in animo habebamus, quum vero multorum ſciendi ardor non ſivit ad integrum tale alterum volumen differri editionem adeò utilium obſervationum, non potuimus non huic laudabili deſiderio ſatisfacere; itaque mox ad edendam hanc partem quintam nos accinximùs ſimiliter de reliquis acturi.

Vale!

ELENCHUS
CAPITUM.

CAPUT I.

De Febribus cum Exanthematibus, quæ Petechiæ & Miliaria vocari ſolent. Pag. 1.

CAPUT II.

De Hydrope & Tympanitide. 16

CAPUT III.

De Hydrope Pectoris. 30

CAPUT IV.

De Epilepſia & Convulſionibus. 50

CAPUT V.

De Calculo, Uva Urſi, Lithontripticis dictis, &c. 61

CAPUT VI.

De Aneuryſmate. 79

RA-

RATIO MEDENDI
IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI.

CAPUT I.
De Febribus cum exanthematibus quæ petechiæ & miliaria vocari ſolent.

§. I. *Hiſtoriæ XVII. Ægrorum, hæc Exanthemata plane ſymptomatica eſſe probantes: oſtenditurque hac occaſione perfectæ criſeos in Acutis certitudinem nos ſæpe non habere; ſanguinem in morbis, quos malignos vocant, & craſſiſſimum ſæpe, & maxime eſſe inflammatum; tandemque communicatur notabilis obſervatio circa prædictionem in Acutis ex pulſu intermittente.* §. II. *Ex omnibus horum ægrorum exemplis concluditur exanthemata ſimilia rarius obſervari oportere, ſi legitima curandi methodus adhibeatur; eaque, ſi contingant, pravæ potius medicationi, quam Aëri, aut Climati, originem debere; paucis exceptis caſibus, in quibus aut ſponte, aut contagione, naſcuntur.*

§. I. Licet in ultimo de *Febrium Diviſionibus* tractatu de exanthematibus Petech. & Miliar. fuſe egerim, tamen cum nova exinde obſervata colligere licuerit, pondus rerum tantarum me adigit, ut nova hæc cum publico communicem, unaque ex Noſocomii

Diariis, omnium illorum, qui ibidem unquam hæc paſſi ſunt, fidelem hiſtoriam tradam; quibus eorum, quæ in eodem Tractatu poſui, evidentia, ni fallor, veritasque, pateſcet.

1. Hoc verno tempore proxime elapſo femina 22. annorum febre valida laborans, quinto ſui morbi die ad nos delata eſt; extantibus jam tum Petechiis. Vere ardens febris erat, tertiam eo die habens exacerbationem. In ſumma omnium cruditate Petechiæ extabant. Igiturne hæ Criticæ? Certe cum nullum ſymptoma miteſceret, quin ingraveſceret potius, Symptomaticæ duntaxat vocari merentur. Sanguis hoc die vena miſſus, cruſtam formabat portionem rubram denſitate ſuperantem. Die ſeptimo ad quartam, eamque prioribus longe mitiorem, exacerbationem, febris ſudore & urina maximam partem judicata; ad nonum vero diem, in quinto, eoque omnium leviſſimo inſultu, urinis ac tranſpiratione integre judicabatur. Novem diebus perſtabant Petechiæ.

Sana octiduo vixit; die autem 17. poſt morbi principium, ad primas carnes vitulinas deguſtatas, licet tenerrimas, in febrim æque vehementem incidit: cujus altero die Miliaria alba, numero pauca, comparuere. Sanguis bis miſſus corio denſiſſimo tegebatur. Nec numero Miliaria augebantur, nec diu perſtabant. Imperfectum judicium contigit 23. morbi die, prægreſſo intermittente pulſu, per alvum; integrum vero 27. die, eodem modo, eodemque pulſu.

Die 29. nova febris vehementiſſima oritur, in qua ſanguis bis vena miſſus, ſingulis in vaſis, æque magnam, denſamque habet, quam olim, cruſtam. Nulla vero hic Exanthemata. Die 4. & 5. judicium alvo, urina, ſudore.

Ex data hiſtoria nihil evidentius eſt, quam utrumque hoc Exanthematum genus minime criticum fuiſſe. Summa morbi cruditas; ejusque, poſtquam hæc efflo-

floruiſſent, validum incrementum; critica aliunde contingens poſthac evacuatio; evidenter, arbitror, hæc demonſtrant.

Quod eo magis notandum, quia hic caſus ex rarioribus eſt, in quantum nobis adparet, in quibus nulla arte producta Exanthemata erant. Frigido quippe in loco, frigida tempeſtate, primis quatuor morbi diebus ægra jacuerat, remediis calidioribus minime uſa. Ita ut hæc ne critica quidem fuerint, licet prava arte non producta. Confirmat id ſententiam, quam egregius *Paulus de Sorbait* annis abhinc 90. ex cathedra *Viennenſi* docebat, *Petechias eſſe motum noxium & ſymptomaticum*. Med. Pract. Tract. 3. pag. 541. & 545.

Advertimus quoque Exanthemata putridæ ſanguinis ſolutioni proprie non deberi, cum poſt eorum exitum idem ſanguis, etiam iterato miſſus, denſiſſimus fuerit.

Tandem febris tanto cum furore tertio repetens nos docet, id quod toties ad lectos ægrorum advertimus, perfectam non haberi, judicio jam facto, certitudinem morbi ita devicti, ut non fiat recidiva. Equidem quo omnes functiones perfectius, celeriusque, in integrum reſtituuntur; quo motus critici diebus judicatoriis exactius fiunt; quo denique evacuationes perfectiores, conſtantioresque, cum virium incremento, contingunt; eo minor adeſt relapſus metus: at vero hucusque non habetur ejusmodi certitudo, quæ excludat omnem omnino relapſus formidinem. Vidimus ſane & in hac muliere, & in pluribus aliis, nihil judicio defuiſſe, attamen iisdem ſucceſſiſſe relapſum. Niſi forſitan quis novum potius morbum, quam recidivam, appellandum idem eſſe arbitretur: ſed difficulter profecto admittetur hæc opinio, ſi ſuccedentis febris cum præcedente ſimilitudo attentius ponderetur. Itaque merito jure Medici omnem adhibeant diligentiam, ne in ſex rebus non naturalibus quid committatur, quo re-

repetat morbus: juvatque hujus incertitudinis ſerio monitum eſſe ægrum, monitosque ejusdem familiares; ne morbo male curato adſcribant, quod a quopiam regiminis errore, aut etiam abſconditis plane de cauſis, poſtliminio forte contingit.

2. Juvencula 20. annos nata, tertio Hemitritææ die Petechias jam habuit, noſtrumque in Noſocomium die quarto illata eſt. Multæ ſane hoc die conſpiciebantur in jugulo, pectore, humeris, dorſo, lumbis, femoribus, cruribus.

Notabile porro 1mo. quod hæc femina die morbi tertio, ipſo Hemitritææ acceſſu, ſummo mane, in frigido ad 27. gradus aëre, extra civitatem pedes iverit, nec motu per horam producto ullatenus incaluerit. 2do quod poſt meridiem intropulſos frigore humores, eosdemque plane crudos, valido ſudorifero moverit; hincque crudis hisce ad ambitum corporis pulſis, Petechias conſciverit ſibi. Miri ergo nihil, quod ad 5. diem, cum valida Hemitritææ exacerbatione, Exanthematis intropulſio obſervaretur. Quare etiam illico, maligni quidpiam hic præſagiens, Cort. peruvianum dedi. Confeſtim inde convaluit, extra ordinem fluentibus menſibus, mox a Petechiarum receſſu.

Hæ certe peſſimo more expulſæ, penitus ſymptomaticæ fuere; eædemque ſuo ſubito receſſu alioquin nocituræ, jam & dato cortice, & profluis catameniis, ſubitam reconvaleſcentiam non retardarunt.

3. Femina 39. annum vitæ agens, Cardialgia acida crudeliter per annos vexata, totaque inde cachectica, gravi demum Peripneumonia corripiebatur, & ex Noſocomio, in quo multa Exanthemata graſſabantur, die morbi quinto ad nos deferebatur. Maculæ in collo, dorſoque, rubræ, eæque, quod profundius hærerent, quaſi eruptioni impares, ſuſpectæ; omnium cruditas; morbique augmentum; ſuaſere venæ ſectionem. Sanguis cruſta facile transſcindenda tectus fuit, rubra autem

tem parte diſſolutus. Creſcente ad diem 6. febre cum anxietatibus, verisque Pulmonis inflammati ſignis, iterata V. S. eſt. Sanguis eductus priori ſimilis, niſi quod ultimo in vaſe, ſub alba tremulaque cruſta, juſte compactus cerneretur. Die 7. una puſtula alba Miliaris viſa ad jugulum. Febris pravis cum ſymptomatibus perpetuo ſtipata, pulſuumque exploratione Homotonos quidem appellanda fuit, ſed calore ad Thermometrum menſurato minime Homotonos. 9. & 10. die pauca, die 11. copioſa, eaque alba, in pectore Miliaria. 12. die paulo minus conſpicua. 13. eadem iterum, ac nova præterea, in pectore conſpicua. 14. die mortua eſt. Febris ab initio ad finem usque horrifica fuit.

Hiſtoria mali docet 1mo. Petechias contagione ſusceptas, nec ſufficienter propulſas, morbi cum augmento adparuiſſe. 2do. Miliaria eadem origine nata, quo copioſiora, eo & graviora, & magis fuiſſe letifera. Unde concludimus Exanthemata hæc, non a Natura, ſed a contagio genita eſſe; eademque minime critica, ſed mere ſymptomatica habenda fuiſſe.

Hic in tranſitu noto hoc Exanthematum Contagium, ut illud Variolarum, Morbillorumque, ſe ſæpe habere, non niſi prædiſpoſitos afficiundo. Præter alia exempla, memorabile illud Ancillæ eſt, quam ſusceperamus eo momento ex ædibus eductam, in quibus cubiculo, jubente Medico, arcte clauſo, calidiſſimoque, inſervierat Patri nobili, filiabusque duabus, Exanthemate Miliari omnibus ſucceſſive enectis: Febre continua hæc apud nos decubuit, & ſine Exanthemate brevi convaluit.

4. Juvenculæ, menſibus terrore ſuppreſſis, ingens brachii dolor, brevique poſt acuta febris oritur. Die 11. Peripneumonia adeſt, albaque Miliaria confeſtim prodeunt, continuoque augentur. Die 14. Gangræna brachii & mors. Eo tempore nondum ſciveram, quod poſthac expertus ſum, in febre continua non remit-

tente, ac vere inflammatoria, ſi Exanthemata adſint morbusque rebellis ſit, corticem peruvianum egregie prodeſſe.

A reſorptu ichoris gangrænoſi nata pectoris anxietas, nata copioſa Miliaria, criſeos nullam, ni fallor, ſuſpicionem faciunt.

5 Femina vehementi ira excandeſcens, gelidamque affatim hauriens, febre corripitur; & continuans interim ancillares labores, vagos ejus inſultus per octiduum ſæpe experitur. Tandem in continuam incidit, cum gravi pectoris anxietate, vehementi cephalalgia, multa ſiti, proſtrato appetitu, vertigine, vigiliisque continuis. Eo in ſtatu omnis auxilii inops, calida admodum tempeſtate, per integram ſeptimanam, jacuit, jure carnium, & frigida aqua uſa duntaxat. Acceſſit angina biduo durans, & ſic demum octavo die continuæ ſuæ febris ad nos delata eſt. Quo ipſo tempore catamenia ipſi, octiduo maturius, fluere ceperunt. Febris validos artuum dolores ſibi junctos habebat, vires autem nondum proſtratas. Die 11. Miliaria maximam partem alba, pauca vero rubra, apparuere; ſignis coctionis in alvo prægreſſis. Ab 11. ad 14. diem bene procedente Exanthemate, vomitus glutinoſus vexabat, vel copioſæ pituitæ tremulæ, pellucidæ, vitreæ, per alvum ſeceſſus, vel noctes inſomnes, pectorisque anxietates, imo novi, ſimulque feroces, artuum dolores. Alvo cocta partim judicata eſt 14. die, ſed eâdem demum integre ad diem 17.

Morbus neglectus per 14. dies, humores crudi, ancillaribusque laboribus intempeſtive moti, & cum per anguſtiora vaſa transadigerentur, dolores rheumaticos excitantes; deinde decubitus per tantos calores in parvo ſqualidoque cubiculo, vix renovata athmoſphæra, corpus ad Exanthemata neceſſario diſpoſuere. Morbus vero poſt exorta Exanthemata, cumque eorundem non interturbato progreſſu, diris ſymptomatibus, cru-

cruditatem ſpirantibus, increſcens, poſteaque demum alvo judicatus, hanc profecto eruptionem minime criticam, ſed penitus ſymptomaticam, declaravit.

6. Juvenis febre continua putrida, gravi cum delirio, laborans, in Noſocomium inferebatur. Diem morbi primum exacte reſcire non potui, cum ex ejus incerta, ac variata, enarratione, ſextusne ab illo tempore dies, an octavus eſſet, ambigeretur. Saltem eo tempore crudam morbi materiem Emeticis & Purgantibus vehementer moverat, ingentem præcordiorum gravitatem, anxietatemque, perpetuo expertus. Præterea ex Noſocomio alio, ubi Exanthemata fere perpetua erant, in noſtrum ductus erat. Interim ſenſim ad coctionem morbus tetendit, alvoque, & leni ſudore, ad judicationem pervenit: urina interim ſæpe enæoremate, & nubecula, carente, nec hypoſtatica unquam.

Judicio prægreſſo, incredibile quam cito, perfecteque, ſanesceret; ita ut integris noctibus, idque ſponte, dormiret, belle comederet, totasque obambularet per ædes. Sed biduo poſt, Miliaria totum pectus obſiderunt; quibus tum prodeuntibus, tum triduo poſt exſiccari ceptis, mirum quam bono ſomno, quam grato appetitu, quam facili corporis exercitio, integraque prorſum valetudine, frueretur.

Neglectus igitur, peſſimeque tractatus, morbus; decubitus primo pro Patriæ more in calida atmoſphæra, idque in fervida tempeſtate, tandem infectus priore in Noſocomio aër, labem aliquam ſanguini conciliare potuerunt; quæ demum criſi prægreſſa, & recuperata ſanitate, expulſa fuerit. Unde certe nec origine, nec effectu, hæc Exanthemata critica fuerunt.

7. Juvenis femina ex eodem Noſocomio ſuſcepta, hanc nobis anamneſin formavit. Tribus integris ſeptimanis laſſitudine ſpontanea, cruribusque nonnihil tumidis, laboraverat, eamque ob cauſam illud Noſocomium

mium

mium adiverat. Ibidem porro tum præſtantiſſima cura, tum blanda quiete, ſe ita refocillatam experiebatur, ut repeteret famulatum: at vero eidem ſuſtinendo inepta, in quotidianam febrim inciderat, ad quam curandam quendam ſibi pulverem coëmerat, qui decies & novies alvum, vomitum autem ter, vehementer, ciebat, poſteaque venam ſibi tundi curaverat. Tandem in continuam acutam intermittente converſa, quarto ejus die ad prius Noſocomium, quinto ad noſtrum, delata eſt; Petechiis, dum nobis afferebatur, jam prodeuntibus.

Septimo morbi die ſubito hæ evanuere, datoque cortice, paucæ die 8. repullularunt. Die 9. pauca Miliaria alba viſa ſunt. Vomuit eo die pluries cum euphoria; ut & die 10. cortice interim uti perrexit, paucisque opacis Miliaribus, quæ ad poſteriora colli perennabant, exceptis, intra octiduum integre convaluit.

Morbus dudum neglectus, contagium, intempeſtivus crudæ materiæ motus, ægram hanc quarto febris continuæ die Petechiis macularunt. Crevit poſtea morbus. Cortice ſanatus eſt, licet retrocedentibus Petechiis pauca Miliaria ſucceſſiſſent. Iterum nihil hic criticum.

8. Juvenis 17. annorum in neglecta per ſex dies febre continua ad nos adfertur. Die 14. febris alba Miliaria erupere. Crevit iisdem erumpentibus vis morbi; & qui eo usque bonus fuerat, æqualisque, pulſus, inæqualis nunc rythmo, temporeque, factus eſt. Unde mox cortex datus; cujus ſub uſu puſtulæ ad 5. diem disquammari incipiebant, & integra ſanitas octavo poſt eruptionem die ſuccedebat.

Die quanvis critico erumpentes papulæ miliares, nullam criſeos, ſed præcipuam ſymptomatis notam, geſſerunt; morbo tunc admodum calamitoſo facto.

9. Adoleſcens, qui a ſeptennio ſpina ventoſa, fœde exul-

exulcerata, laboraverat, in Noſocomium demum ſuſceptus, diætam lacteam, & corticem peruv. ſpatio bimeſtri, idque bono cum effectu, adhibuit: at vero ulcere tandem ſponte ſiccato, febris continua acuta eum aggreſſa eſt. A 4. usque ad 9. diem cutis rubebat, ac ſi expectanda ſcarlatina eruptio foret. Die autem ipſo nono Miliaria ſolitis in locis comparebant; unaque vehemens ac ſicca tuſſis, quæ eo usque diu noctuque ægrum vexaverat, nunc & mitior, & pulcre humida, reddebatur. Hucusque Exanthema iſtud, ut criticam evacuationem, facile quis ſalutaret; at vero ad ſequentia attentus ſymptomaticam audacter pronuntiabit.

Etenim 11. die obſervabamus 1mo. eam in pulſu inæqualitatem & intermiſſionem, ut quandoque, ſed ſine ordine, per integrum unius pulſationis ſpatium differret, moxque inſolitam repeteret celeritatem. 2do. Nauſeam, vomitumque. 3^tio^. Ulcus, quod eo usque ſiccum fuerat, jam fluidum, ſuoque poſtmodum in fluore continuum. 4to. Subito turbatas urinas, quæ pluribus diebus limpidiſſimæ fuerant.

Igitur judicium proprie fiebat die undecimo. An integrum? Equidem dubitabam, propter notabilem pulſuum, in diem 20. usque, intermiſſionem; Febris tamen acutæ abſentia, ac virium reditus, citra aliam, quam ulceris, evacuationem, judicium perfectum oſtenderunt.

Quid igitur intermittens ille pulſus? Sane ex eo, & circa criticum tempus, & cum prægreſſis quibusdam coctionis ſignis, obſervato, ſæpius, autore *Solano*, evacuationem criticam, vomitu aut alvo futuram, prædixi ad ægrorum lectos in Noſocomio; id quod etiam in hoc ægro, eodem undecimo die, exacte confirmabatur. Attamen cæteris octo diebus, cum nulla per vomitum, alvum, hæmorrhoidasve, evacuatio, pulſu continuo intermittente, contingeret, experi-

mentum fallere viſum eſt. An quia cocta morbi materies, in corpore ſuperſtes, & ratione intermittentis pulſus aut vomitu, aut alvo, aut hæmorrhoidibus, eliminanda, ulcere effluxerit aperto? Numquid hic pulſus, ſi materia per vias a *Solano* indicatas non effluit, etiam ulceris, ſi adeſt, fluorem præſagiat?

10. Adolescens 17. annorum, ob nimii ponderis geſtationem febricitans, bis ſecta vena ad nos adducitur, finiente jam die ſexto, & jam tum in pectore brachiisque variegata, præ rubedine, cute. Crevit peſſimis cum ſignis, & ſymptomatica maxime alvo, morbus. Die autem 11. alvus pulti ſimilis, ac flava; ſimulque ad pectus maculæ plures, ad nullum certum eruptionis genus ſeſe determinantes, conſpectæ ſunt. Quæque a nucthemeri ſpatio defuerat urina, copioſa nunc illa, & cum enæoremate fundum brevi petente mittebatur; Febris modica; flava, pultique ſimilis alvus; &, projectus qui fuerat, renatus appetitus. Die 12. perſeverantibus bonis hisce ſignis, vires majores, lingua nitidior, nox optima fuit. Die 13. veniam per conclave ambulandi, cibosque tum mutatos, tum copioſiores, rogavit. Die 14. vero juveni per omnia ſano Miliaria alba erumpunt, paucas intra horas iterum ſicca; eodemque plane modo, ſpatio 5. dierum, continuo renaſcentia, & eodem die exſiccantia ſeſe ac disquammantia, absque ulla vel minima labe ſanitatis. Ita ut brevi Noſocomio exiret, conſtantique poſtmodum ſanitate gauderet.

Maculæ rubræ ad ſextum diem, adeoque per morbi augmentum, adparuere: puſtulæ Miliaribus forma ſimiles, criſi jam perfecta, ac ſanitate recuperata, effloruerunt. Criticum ergo neutrum fuit.

11. Maligna admodum febre Juvenis decubuit, variolas nunquam paſſus, easdemque valde metuens. Ad ſudores validos, eosdemque continuos corpus, patrio errore, diſpoſuit, quotiescunque non aderam.

Hinc

Hinc die 5. maculæ rubræ in collo ac manibus viſæ ſunt, mox vero iterum evanidæ. Itidem die ſexto. Poſthac illum, ægrotans ipſe, non vidi. Ab aliis autem reſcivi rubris illis maculis alba Miliaria ſenſim acceſſiſſe, profuſiſſimosque toto in corpore ſudores. Ad diem 15. totus Miliaribus ſcatens, periit.

Nimio athmoſphæræ, parvo in cubiculo, calore, coactisque ſudoribus, utrumque Exanthematum genus genitum eſt; neutrum ſane criticum.

12. Femina 24. annos nata, nono morbi acuti die ad nos defertur, maculis rubris in collo, facie, pectore, ſummo humero, jam a biduo deturpata, & ab earum eruptione in pejus lapſa: Porro ipſo hoc 9. die duo obſervabantur: 1mo. Retroceſſio macularum, 2do. intermittens pulſus cum torminibus ventris, cum tenesmo, & dein cum alvo cocta, multaque, ad tertiam usque vicem repetita. Mitis exinde illico febris.

Judicium factum multa ſuadebant; ſed inſolita admodum debilitas poſt ſubitaneum macularum retroceſſum, maligni quid portendebant. Unde corticem extemplo dedi. Mox inde recreata bis ſimilem alvum poſuit. Die 13. tria viſuntur in collo Miliaria, quæ perſtant triduo. Die 17. pauca alia accedunt. Ut & die 18. 20. 21. Sed, ut dixi, mox a ſumto cortice mire recreabatur, ſubitoque reddebatur ſana; ut cum paucis hisce papulis egredi domo, ſi opus fuiſſet, potuiſſet.

Enarratione tota arguitur rubras maculas, creſcente morbo natas, plane ſymptomaticas fuiſſe; Miliaria vero poſt criſin quandam, poſtque plenarum virium reditum, nata, Criſeos certe normam non habere. Forte prius illud ſymptomaticum Exanthema ſubito evaneſcens, viresque proſternens, poſthac bonitate corticis, paucorum forma Miliarium, effloruit.

13. Vir 27. annorum ſexto febris continuæ die Miliaria habet, quæ nunc plus, nunc minus, extabant,

usque

usque ad 12. diem, quo nova, pellucidaque eadem & alba, prodiere. Continua febris nunc in remittentem, bis exacerbantem, abivit. Die autem 16. & 17. æger copioſiſſimis ſcatuit Miliaribus. Febris inde exacerbatio major, viresque projectiores. Cortex ad 20. diem dari ceptus; cujus ſub uſu papulæ novæ. Sanitas integra brevi ſequuta eſt.

Prodiere prima Miliaria cum morbi incremento, imo morbo poſthac in longe periculoſiorem mutato; poſteriora itidem. Nulla proinde criſeos ſimilitudo.

14. Eodem tempore mulierem, ulceroſa ſcabie ſponte fere curatam, ceterum arthriticis obnoxiam inſultibus, jamque univerſorum pene artuum rheumatismo laborantem, ſuſcepi in Noſocomio. Febris acuta fuit, puſtulæque nonnullæ rubræ in facie, unaque inſignior ad naſum, aderant. Die 13. rubra Miliaria copioſa prodiere in facie, collo, brachiis, cruribusque univerſis; una hora conſpicua admodum, hora altera vix viſibilia. Die 15. & 16. bene proſtant. 17. adhuc magis. 18. maxime, ſed cum intolerabili cephalalgia. Die 19. ipſi pedes Miliaria habent. Die 20. Miliaria rite quidem proſtant, ſed magna præcordiorum anxietas adeſt. 21. & 22. die cum copioſiſſimis Miliaribus enormes pedem, quo præciſe olim loco Podagra, excruciant dolores. Die 24. cum Miliaribus & copioſis, & magnis, valida Febris. Miliaribus jam in facie ſiccescentibus ad 27. diem febris magna. Decem poſtmodum dies elapſi ſunt, priusquam ultimæ puſtulæ exſiccarentur. Rheumatici dolores, Febre & Exanthemate jam evanidis, diu adhuc perſtiterunt.

Contagium hæc femina vel jam habuit, cum ad nos duceretur, puſtulis in facie rubris tunc jam maculata; vel in Noſocomio, Miliaria ægro mox deſcripto habente, contraxit. Ceterum, nemo, credo, criticas has eruptiones eſſe autumabit, qui cum iisdem videt morbi durationem, febrim validam, judicium imperfectum.

15. Mulier 27. annorum ſexta die ſuæ continuæ ac putridæ febris numeroſas acquiſivit circum labia puſtulas, ut & die 7. Ad finem autem hujus diei ſicceſcentibus illis alba, eaque copioſa, ſucceſſere Miliaria ad ſcapulas, humeros, faciem, ac demum ad brachia univerſa, die 10. ac 11. pulcre proſtantia, 12. numeroſiora, 13. in toto dorſo atque abdomine conſpicua. Die autem 14. hæc omnia rubris Miliaribus plurimis interſperſa, tam in priore, quam in poſteriore corporis parte, inveniebantur. Die 15. his cunctis rite extantibus valida admodum febris cum cephalalgia per integrum diem intolerabili, ægram vexavit. Die 17. ingentes anxietates adſunt. Cum 19. die examinaremus an diuturniore decubitu, licet omnis adhibita cura fuiſſet, poſtica corporis haud excoriarentur, vidimus totum dorſum lumbos, nates, crura, pedes, pedumque digitos, confertiſſimis Miliaribus ſcatere. Hoc die incipiebant exſiccari, exſiccatio tota brevi ſucceſſit, integraque ſanitas.

Quia eodem tempore cum binis poſterioribus ægris hic decubuit, natum contagione Exanthema facile credimus; ſymptomaticum autem fuiſſe dies 15. 16. 17. abunde evincunt.

16. Femina Petechiis, antequam ad Noſocomium deferretur, fere enecta, altera die mortua eſt.

17. Peripneumonicus in Noſocomio caſu & neglectu Exanthemata paſſus, brevique inde curatus, criſi Peripneumoniæ poſthac rite abſoluta, Tom. 1. hujus operis, ut & alibi, deſcriptus fuit.

§. II. Ægri ergo numero ſeptendecim ſpatio ſex cum dimidio annorum Petechias, aut Miliaria, aut utrumque, in Noſocomio practico habuerunt, adeoque quinque circiter omni biennio. Pars media horum, Exanthemata, antequam ad me adferrentur, jam habuerunt; pars altera iisdem in Noſocomio practico correpti ſunt: ergo inibi ſpatio trium annorum Exanthe-

themata hæc quatuor duntaxat ægris eruperunt. Omnium vero duo tantum fuere, quibus id ſponte contigerit; reliquis quindecim aut contagium, aut pravum regimen, medendive methodus, aut combinatæ hæ cauſæ, Exanthemata produxere. In nemine vero illorum ea critica fuiſſe, ipſa cujusque morbi hiſtoria abunde evicit. Ad hiſtorias autem illas quod ſpectat, exacte profecto eas ex majoribus Noſocomii Diariis contrahere valui, quod in hisce quidquid ægris noſtris omni die quavis hora, ſingulo momento, contingit, exactiſſime, ampliſſimeque, adnotetur: unde etiam fit, ut ipſa hæc Diaria baſin ponant dicendorum Medicinæ Studioſis ad ægrorum lectos.

Igitur irrefragabili experientia convictus, aſſero nemini meorum critica hæc Exanthemata fuiſſe. Imo ſi nunquam Petechiis, Miliaribusve laborantes vidiſſem, & nudam modo horum 17. ægrorum hiſtoriam legiſſem, quo, amabo! jure criticum id vocarem, quod ſæpe diebus neutiquam criticis, ſed admodum infidis, contingat? quod cum morbo & multum, & diu ingraveſcente, auctoque proinde periculo, fiat? vel etiam quo erumpente, criticæ evacuationes, in morbis acutis citra Exanthemata conſuetæ, eæque ſufficientes, prodeant?

Hinc concludo 1mo. Si in aëre *Viennenſi*, in quo Medicinam facio, adeo rariſſima mihi hæc Exanthemata ſunt, ut ſpatio $6\frac{1}{2}$. annorum vix 17. exempla coram centenis teſtibus potuerim producere; ſi præterea plerisque ægris meis, citra Exanthemata, integræ contingant, felicesque criſes; tunc Exanthemata illa, aliis Medicis adeo frequentiſſima, critica utique appellari non poſſe.

2do. Si iisdem acutis in morbis Exanthemata mihi rariſſima ſunt, in quibus alii Medici ea frequentiſſima vident, ea ſane ab aëre, ſeu noſtro, quod vocant climate, neutiquam generari; at vero potius a certis qui-

bus-

buſdam cauſis, quas ad ea generanda ponere ſoleant illi, ego autem non ſoleam. Quænam porro cauſæ illæ ſint, has in Tract. *de Febr. Diviſ.* ſatis ſuperque, ni fallor, ex pluribus, imo etiam ex celebrioribus *Germaniæ* Autoribus, demonſtravi.

Ut igitur multa paucis dicam, differentia exercendi praxin tanta eſt, ut differentia in morbis inde neceſſario generari debeat. Miſtura, *Hofmanniana* Practicis *Germaniæ* dicta, eive ſimilis, nunquam adhuc cuiquam noſtrorum acuto in morbo, data fuit. Deinde 2do. Pulveres abſorbentes, ſive teſtacei, ac præcipitantes, nec non bezoardici, & cinnabarini, nunquam iisdem in morbis in Noſocomio præſcribuntur; puerperas, infantes, & præterea ex centenis forte hinc inde unum alterumve, cui ab acido febris, excipiatis. Tertio Emetica aut Purgantia nunquam adhuc debui principio Acutorum dare. Ita ut *Hippocrates* Aphor. 1 - 22. & maxime in *Libro de Purg.* ſive in fragmento dicto *Heurniano*, recte monuerit oppido raros eſſe caſus illos, in quibus aut emetico, aut purgante, initio Acutorum, uti oporteret. Quam utique doctrinam in *Epidemiorum* libris, paſſimque alibi, exemplo confirmavit. Quarto in calida, non renovata, putridis exhalationibus inquinata, athmoſphæra, nunquam ægri includuntur, & fere ſuffocantur, in noſtro Noſocomio.

Unde tam certum mihi videtur, quam quod certiſſimum, Exanthematum frequentiam a quatuor hisce cauſis poſitis oriri, ac perennare; & e contrario a Medicina *Hippocratica* eorundem obſervari raritatem. Hujus obſervati veritatem partim jam confirmarunt edita, partim brevi confirmabunt edenda in lucem variorum Diaria Noſocomiorum, in quibus demum modernorum hæreſin antiqua *Hippocratis* Medicina pepulerit. Merito igitur concludere mihi videor, quamdiu moderni morem obtineant, eos Exanthematum perpetuare crebritatem; eorumque conſcientias gra-

viter

viter oneratas manere, tum ea majori moleſtia, quam ſuis ægris fruſtra faceſſant; tum graviore periculo, in quod conjiciant eosdem; tum denique multorum ſtrage, quos Exanthema, dedita opera provocatum, quotannis e vivis tollat.

CAPUT II.

De Hydrope & Tympanitide.

§. I. *Viri Hydrops aſcites cum monſtroſo Omento, ceteraque Abdominis pinguedine mire degenerante. Varia circa ejus cauſas, & effectus. Obſervatio pertinens ad hiſtoriam vomitus, qui ſecundum communes Pathologiæ leges inevitabiliter hic adeſſe debuiſſet, adeſſe tamen haudquaquam potuit.* §. II. *Hydrops feminæ cyſticus, aſcitesque, Abdominis; una cum hydrope pectoris, & inferioris corporis intercute. Saccus ex Ovario ipſo, ejusque Hydatide, ortus, ventrem explens fere univerſum.* §. III. *In alia muliere Hydrops & cyſticus, & aſcites: ſaccus autem tam ab Ovario, quam a toto ſiniſtro uteri latere, natus, in eoque una cum aqua aër contentus. Parvus admodum Thorax; pulmonumque pars notabilis aquæ, in quam injecta, fundum petens. Ad trinos hos caſus impoſſibilitas* Pariſinos *imitandi oſtenditur.* §. IV. *Oſtendit idem hiſtoria Hydropicæ ex Tom. I. reſumta, atque in præſentem diem producta.* §. V. *Proſecutio alius exempli ex Tom. I. curam cyſtici tumoris, natura viam monſtrante, enarrantis.* §. VI. *Tympania improprie dici poteſt Aqua, & Aëre, gigni; unde Veterum quorundam, id ita affirmantium, mens intelligitur: quanvis eo in caſu alio potius, quam Tympanitidis nomine, morbus inſigniendus eſſet.*

De hoc argumento fuſe egi Tom. I. cap. 31. variasque curandi methodos examinavi, ut conſtaret

ſtaret qua demum ratione ejusmodi calamitates ſive percurare nonnunquam, ſive ſaltem tolerabiliores reddere, poſſimus. Verum cum proxime elapſus Academicus annus novas ſuppeditaverit, easdemque notabiles admodum, obſervationes, operæ precium erit hasce nunc recenſere, fuſiusque diſſerere ſuper hac quæſtione.

§. I. Scriniorum faber 36. annos natus, ſanus perpetuo, vino licet deditus, calidiſſimo die 25. Julii 1759. domicilium mutans, transferenda ſuppellectili plurimum occupabatur, gelidam procul dubio plurimam ingurgitans. Nocte inſequente collo, lumbisque, dolere, ſimulque tumere ventre, cepit. Variis remediis fruſtra uſus, ad *Fratres Miſericordiæ*, menſe Novembri, ſe contulit. Hydrope intra octiduum immenſe creſcente, libras medicas aquæ limpidæ, flavæ, utcumque flocculentæ 68. Paracenteſi eduxere: renato autem ſubito malo, 48. libras, elapſo vix a prima Paracenteſi octiduo, iterum evacuarunt.

Ventre hinc egregie depleto, expertiſſimus hujus monaſterii Medicus *D. Guarin* minitantem morbi reditum aptis ſemper retudit medicamentis. Interim manifeſto deprehendebantur in ventre tumores, qui prominentes globos hinc inde referrent. Perpetuosque fere & dolores & ardores miſer, ad umbilici regionem, conqueſtus eſt. Unde demum collapſis viribus 13. Dec. periit.

Fratres Miſericordiæ lymphæ 2. aut 3. ut putant, menſuras cavo abdomine eduxere: cum vero ceterum totum inibi confuſiſſimum cernerent, attulere mihi exemtam totam quantam viscerum ventralium molem, cohærentem ita, ut in corpore fuerat. Cujus en publice factam Anatomen!

Ingens ventriculus adparuit, lieni arcte connatus; hepar autem mediocre. A fundo autem ampli, latique, ventriculi, durum, craſſumque ſcutum nasceba-

tur, univerſum explens abdomen, usque in latera, imaque pelvis; viſcerum proinde omnium conſpectum velans, peritonæo hinc inde connatum. Eodem elevato inteſtina nuda patebant. Ut manifeſto conſtaret ingentem hanc molem degenerans Omentum eſſe. Accuratiore examine patuit ſubſtantiam ejus conſtare tuberculis innumeris, majoribus minoribus; hinc omnino informem, & inæqualem; lamellis Omenti ambabus, intime connexis, conſtantem. Cartilagineam naturam plura tubercula induerant. Parvumque ita *Winslowo* dictum Omentum pariter degenerans, cum Omento magno, cum gibbo ventriculo, cum cava hepatis regione, ante ſinum venæ portarum, intime concreverat. Pondus autem Omenti totius ʒ ½. librarum fuit.

Omnes præterea productiones adipoſæ, quæ, totidem Omentulorum inſtar, ad Colon, Rectumque, enaſcuntur, eodem modo degeneraverant; ad Rectum vero adeo, ut inde tota pelvis repleta cerneretur.

Meſenterium, ac Meſocolon, iisdem quidem tuberculis ſcatebant, ſed aliter diſpoſitis; ramoſis nimirum, eumque productis in modum, quo in fodinis, vel ſubterraneis ſpecubus, Stalactica.

Sub duro Omenti tegmine compreſſa locabantur, interque ſeſe ligamentis, facile tamen dilacerandis, connata Inteſtina. Omnis pinguetudo, quæ tria ad hepar ligamenta comitari ſolet; omnis ea, quæ veſicæ felleæ, ejusque ductui, circumfuſa cernebatur, nil niſi ſimilem induratam, atque globoſam, referebat ſubſtantiam. Pylorus intus bonus, exterius tumorem gerebat, qui & durus, & ſemicircularis, & plus quam tres digitos latos craſſus, inventus eſt. Diaphragma tota ſua inferiore facie duros hos ſebaceos tumores, ſemidigitum craſſos, gerebat.

Suſpicaremur fere calore nimio fuſam Omenti, Ventrisque pinguedinem, ſubito frigore, dum veſpe-

re

re a laboribus quieſcebat homo, ad ventrem externum admiſſo, frigore quoque potus gelidi intro ſuſcepto, coaluiſſe, induruiſſe, in irreſolubilem hanc maſſam abiviſſe; ſenſimque appulſis humoribus auctam eſſe; atque hinc poſitam demum, quod in ejusmodi degenerationibus aſſolet, Hydropis cauſam fuiſſe. Utique dies fuit totius æſtatis calidiſſimus, themometro poſt meridiem in loco a reflectione radiorum immuni 90. gradum notante. Si in tanto calore ponderetur labor, quem vehementem, quem continuum, ſuſtinuerit, & conferatur cum obſervatione *Ruiſchii* fuſam a motu pinguedinem in equo deſcribentis, conjectura veriſimilitudinem adipiſcitur.

Nunquam, quod notandum, homo in hoc morbo vomuerat. Attamen præter alias vomitus cauſas, irritatio perpetua Ventriculi, tum & Pylorum premens, arctansque moles, vomitum frequentem, ac vehementem, ex iterata experientia anatomica, excitare debuiſſent. Verum in hoc homine Ventriculus & utrinque, & toto fundo ſuo, tam duræ, tam craſſæ, tamque ponderoſæ maſſæ, adeo intime adnatus erat, ut videretur, ne a fortiſſimo quidem Emetico in convulſivos vomendi motus contrahi, agitarique, potuiſſe. Bilis in Cyſtide copioſa, aurantia, tenax.

§. II. Mulier 52. ætatis annum agens, adhuc menſtruans, a 12. retro annis tuſſi vexata, alvo perpetuo ſegnis, curat ſibi pro conſuetudine majali venam tundi, ex eoque tempore fluore menſtruo caruit. Brevi poſtea dolorem in Hypogaſtrio quidem toto, ſed ſiniſtro ejus in latere intenſiorem, percepit; ut ultra in illud incumbere nullatenus poſſet. Crevit ſenſim abdominis moles, ita tamen, ut cutis & muſculi ſemper flaccidi manerent, prehendique ac complicari, poſſent, præterquam ad umbilicum. Dolorem deinde in dextro hypochondrio conqueſta eſt, verſus coſtas ac ventriculum ſe extendentem; qui tamen poſthac mi-

nus obſervabatur. Quinque ſeptimanarum ſpatio ventrem ego ſæpe ſollicite tangens, dura omnia deprehendi, præcipue utroque Hypogaſtrii in latere; fluctuationem vero liquoris nunquam. Tandem contigit, ut dum incederet per plateam, acutum ſiniſtra in abdominis parte dolorem, cum quodam dilacerationis ſenſu, perciperet. Ex illo die manifeſta humorum undulatio ab utroque umbilici latere, in Epigaſtrio potiſſimum, percepta eſt. Jamque integumenta, & musculi abdominis, olim adeo flaccidi, vehementer tenſi, expanſique obſervabantur. Ventris crurumque Hydrops intercus hisce ſe junxit.

Qui cyſticus olim Hydrops fuerat, eum nunc, dilacerato ſacco, Aſciten produxiſſe rati, ad Paracenteſin devenimus, apertura ſolito altius facta; quia infra nulla undulatio, ſed magna potius durities. Unde nobis videbatur calloſus, craſſusque ſaccus, licet infirmiore quadam plaga crepuiſſet, multisque eſſet evacuatus aquis, tamen dura ſua mole, lympha forte multa adhuc circa ejus fundum exiſtente, hanc efficere hypogaſtrii duritiem.

Paracenteſis 7. Nov. 1759. inſtituta, 22. propemodum libras medicas fusci, turbidi, ſpiſſi liquoris eduxit. Ventre inde plurimum evacuato, femina veluti reviviscere tridui ſpatio viſa eſt. Verum brevi adeo tempore liquor undulans recrevit, ut propter anxietates auctas, ſuffocatamque reſpirationem, cogeremur 31. Nov. repetere Paracenteſin: qua tamen haud ultra 16. libras educere potuimus.

Vix inde perceptum ſolamen, quod anxietatum alia longe, quam olim, ſe cauſa prodiderit. Decubitus in dextrum latus commodior, ſubita a primo ſomno excitatio, & ſuffocans eo tempore anxietas, Hydropem dextri thoracis lateris innuerunt. Ita tamen, ut ſiniſter thorax haud omnino ab aquis videretur eſſe immunis: diutius enim in dextrum latus jacentem ſubor-

ta

ta nonnunquam nova anxietas in ſiniſtrum latus convertit.

Diuretica & ante, & inter, & poſt Paracenteſes, cujuſcunque generis, etiam varia Purgantia, nullam opem tulerunt. Exigua alvus, & pauca atque lateritia dicta urina, tantum prodierunt. Conamina noſtra ad aquas exulceratis, aut ſcarificatis cruribus educendas, palliarunt quidem aliquantiſper, ſymptomata autem non abſtulerunt. Ad 15. Jan 1760. obiit.

Cadaveris venter valide fuit, æquabiliterque, tenſus. Aperto prudenter Peritonæo, corpus ingens, fuscum, durum, totum quantum explebat abdomen, ab ima pelvi, ad usque lienem & hepar. Idem illud, variis in locis, expanſionibus firmis, membranoſis, & adipoſis, cum Peritonæo concreverat, præſertim circa umbilicum, & in eadem cum umbilico latitudine, ſiniſtro in latere, idque transverſim, latitudine quatuor digitorum; deinde & per tres, quatuorve digitos deorſum, ut cum prima transverſa adhæſione angulum fere rectum componeret; etiamque hinc inde ad latus dextrum.

Examine eo usque producto patuit vel Ovarium dextrum eſſe, vel ex Ovario Hydatidem natam, quæ totam hanc expanſam molem produxerat; intus plenam ſubrubra aqua, quæ 24. libras ponderabat, quæque igni impoſita, in ſciſſilem abibat materiem. Saccus porro totus facie ſua interna mire exulceratus, & hinc tuberculis, ſeu ſebaceis, illinc ichoroſis, iterumque alibi cartilagineis, aut etiam ſanioſis, plenus.

Quod vel Ovarium, vel ex eo natam Hydatida, hunc ſaccum formare dixerim, id ideo dixi, quod ambigui hæſerimus utrum corpus quoddam, quod ad ſacci radicem inveniebamus, Ovarium ipſum, an vero ſeparatus parvus ſaccus eſſet? Siniſtrum Ovarium in varios degeneraverat tumores. Uterus mutatus fuerat in duram ſubſtantiam, eamque carnoſam, & difficulter per-

ſcindendam; craſſam adeo, ut vix in utero cavitas, niſi prope ejus orificium, ſupereſſet.

Univerſa pene Inteſtinorum moles verſus lienem truſa erat. Ventriculus pro more ingens; cum is, compreſſis adeo inteſtinis, vehementer diſtendi, inflarique, ſoleat.

In thoracis cavo dextro rubicundior adhuc aqua, quam ea, quæ in magno ſacco hæſerat, ad trium librarum pondus inerat, verum non ut illa, in duram maſſam ad ignem mutabatur; pauca namque pellicula ſuperſtite evaporabatur tota. In ſiniſtra thoracis camera, in qua aliquam, ſed copia minorem, aquam, vivente femina, ſuſpicati eramus, nulla aqua inventa eſt. Pulmo lateris dextri vix mediam ejus altitudinem occupans, adparuit condenſatus, ac veluti ad ignem criſpatus Idemque inferiore ſua tota media parte, dum in aquam conjiceretur, ejus fundum petebat; innatabat vero ſuperiore. Interna pulmonis ſubſtantia ſat bona, ſed lata ejus in dorſo cum pleura cohæſio.

Tota ſuperficies inferior Pulmonis, Pleura, Diaphragma, Mediaſtinum, id eſt, quævis partes aquæ contiguæ, plenæ fuere tuberculis variæ magnitudinis, ſemiſcirrhoſis, purulentisve, aut ſanioſis. Lien quadrifariam, profundaque inciſione dentatus; durus. Hepar albescens & compactum. Veſiculæ bilis profundiſſime tinctæ copia duas pondere uncias ſuperabat: ineratque veſiculæ calculus, quadrangulus fere, trium linearum diagonalem habens, ſpiculis innumeris, ac parvis, ſplendidisque lapillis concretus, exuſto carboni rudiore adſpectu haud abſimilis. Nulla ſeri in encephalo redundantia, & quæ pauca aderat ventriculorum anteriorum lympha ad ignem non coaluit.

Ex hiſtoria morbi, & ſectione cadaveris, id videtur colligi oportere, quod mulier iſta primum Hydropem cyſticum paſſa fuerit; quod deinde ſaccus parva quadam in plaga crepuerit, & Aſciten effuſis produxerit

xerit aquis; deinde quod paracenteſes aquas Aſcitis duntaxat eduxerint; præterea quod lapſu temporis, concidentis ſacci apertura, cujus veſtigium invenire non potuimus, conſolidata fuerit, ſicque regenerata aqua ſit, quæ ſaccum in eam, quam in cadavere deteximus, extenderit molem. Probabileque admodum, eam ſacci craſſitiem impediviſſe, ut vel morbi principio, vel ſub finem ejusdem, undulantem perciperemus Lympham. An ideo, quod femina a 12. retro annis ſicca, eaque valida tuſſi laboraſſet, Hydrops thoracis eo, qui abdominis, longe annoſior? Nunquid, quod poſteriore anno menſes adeo irregulares, ac paucos, habuerit, & tamen Plethorica exiſteret, uterinum ſyſtema obſtructum, atque induratum, habere ceperit?

§. III. Sub idem tempus aliam, quinquagenariam ſuſcepi, quæ bona ſemper, ut ajebat, valetudine uſa; niſi quod febre intermittente, ſeu quotidiana, ſeu tertiana, laborare conſueviſſet. Quas quidem febres largiore vini potu, quem impenſe amabat, ſemper ſe dispuliſſe aſſeverabat. Catamenia tarde incepta, maturius finita, pauca perpetuo & irregularia, habuit. Quinquennium elapſum eſſe ajebat, ex quo ſemel urinam mittere, præ adſtantium verecundia virorum, impediretur: elapſis aliquot deinceps horis ſe ventre doluiſſe, urinam vero, quum mittere geſtiret, nullatenus mittere potuiſſe: fomento tamen ad Hypogaſtrium veſpere adhibito paucas reddidiſſe guttulas: remediisque poſtera die a Medico acceptis iterum guttatim eam prodiiſſe, poſtea autem ſenſim abdominis tum tumorem tum dolorem ſe percepiſſe. Adjungebat porro elapſo ab illinc menſe ſe, vehementer ſitientem, copiam gelidæ immenſam hauſiſſe; cumque tota inſequente hyeme admodum ſiticuloſa foret, plurimum bibendi neceſſitati parere ſe debuiſſe; nec unquam niſi ſtranguriose reddere potuiſſe urinam.

Porro ventris mole creſcentis extenſionem, eo usque æqualem, ut ait, perceperat; cum vero plurimorum Medicorum opem fruſtra eſſet integro triennio experta, & tandem Decoctum Juniperi diu affatimque hauſiſſet, ventrem quidem multum concidiſſe, ſed etiam admodum inæqualem tactu, figuraque, redditum eſſe deprehendebat: relicto autem eo Decocto, advertit antiquam ventri molem, antiquam rediiſſe æquabilitatem.

Ex hac ſæpe repetita, eodemque ſemper modo enarrata, ac confirmata Anamneſi, concluſimus cyſticum Hydropem adeſſe; cujusnam viſceris incerti quidem, probabiliter tamen obſtructione ſyſtematis uterini natum; eique demum aſcitem junctum eſſe. Quippe Catameniorum modus hoc ipſum ſyſtema dudum laboraſſe indicaverat nobis: annoſusque vini abuſus, frequentiores quoque narium hæmorrhagiæ ad cauſam proegumenam accedentes, morbum præſentem gignere potuiſſe nobis videbantur; ita tamen, ut continuus aquæ abuſus eundem vehementer auxiſſet.

Urinoſusne Hydrops forſan non fuerit ſi quis ſuſpicetur, reſpondeo Hydropem urinoſum celeriter perimere, hunc vero jam integro perſtitiſſe quinquennio. Sed præterea Hydropis cauſæ pridem in corpore extitere, antequam urinæ retentio naſceretur.

Decoctum Juniperi multam ſane aſcitis lympham diureſi eliminavit, quum venter ita detumeſceret; ſed aſcite evanido cyſticus Hydrops cum omnibus ſuis tumorum inæqualitatibus eo manifeſtior adparuit. Confirmavit hanc phænomeni hujus explicationem ventris renato aſcite æquabilitas.

6. Nov. 1759. Paracenteſi eduximus 56. libras liquoris, qui fuſcus, atque inſtar potus Chocoladæ ſpiſſus deprehenſus fuit, integraque ſeptimana aſſervatus non fœtuit; igni autem a principio eductionis impoſitus, pauca ſui maſſa coagulabatur, plurima ſui parte

in

in auras evanuit. Principio, ut fit, ab operatione recreata, viribus ſolito citius decrevit, perpetuisque tum anxietate, tum pertinaci diuturnoque ſingultu, 19. ejusdem menſis obiit.

Venter monſtroſe inflatus. Muſculi abdominales tenuatiſſimi. Peritonæum denſo cum ſacco, in cavo ventre contento, hinc accretum, illinc liberum. Sacco levi vulnere pertuſo, mox venter, flatu ſibiloſo erumpente, multum detumuit.

Saccus ex ima pelvi ſupra umbilicum, ac per totam ventris latitudinem adſcendens, fundo ſuo terminabatur latis circiter quatuor digitis infra cartilaginem xyphoideam. Omentum ſupra ſaccum ſub hepate locabatur, & hinc inde ad ejusdem lobi majoris crepidinem, tum & ad totius ſacci fundum, adhærebat, & connatum erat. Thorax minimus fuit, nam hepar tam alte ſub coſtis recondebatur, ut gibbo ſuo ultra tertiam (ducto a ſuperioribus numero) adſcenderet; eodemque modo diaphragma medio ſui. Celluloſitate quidem facile dilaceranda ſaccus pluribus in locis cum peritonæo connexum; ad latera vero, & in Ilibus, ligamentoſis productionibus, non niſi cultro ſeparandis, cohæſit. Origo ejus ab Ovario ſiniſtro, totaque uteri ſiniſtra parte; fundi ſui poſtica plaga cum inteſtinis tenuibus unitus ope ligamentorum membranoſorum, non tenacium, ſed digito facile ſolvendorum. Tenuia inteſtina omnia fere in Epigaſtrio ſiniſtro convoluta: ſuo Colon loco. Jamque in inguine dexto, iisque cunctis in locis ubi ſaccus a cohæſione cum peritonæo liber, ac toto abdominis cavo, aſcites erat. Aqua aſcitis minime fœtens; ea autem ſacci, fuſca & fœtida fuit. Ipſe autem ſaccus inæqualiter craſſus, intus tuberoſus, ſanioſus, ſemipurulentus, tota ſua interna ſubſtantia. Aër, qui ſibilo exiverat, ad anteriora ſacci locatus fuiſſe videtur, hincque, facto vulnere, exitui aptus. Subſtantia ſacci hic ſemilineæ, ibi lineæ, alibi 2. 3: linearum; in

latere vero ſiniſtro digiti, imo pollicis, craſſitudinem inæqualem ac tuberoſam, habebat.

Circa uterum nihil non confuſum. Examine tamen patienter inſtituto, patuit Ovarium ipſum, dum extendi inciperet, cum laterali uteri ſuperficie cohæſiſſe; Tubam Fallopianam implicuiſſe ſibi, eandemque ad ſesqui ſpithamæ longitudinem extenſam, ſecum duxiſſe, ſic demum occupaſſe ventrem fere totum. Habebatque ad ſuam originem appendiculum, aqua ſimiliter repletum. Dextrum Ovarium diametri ſesqui pollicis, lympha gelatinoſa repletum erat.

Igitur Paracenteſi eductus fuit liquor turbidus, non fœtidus, in cavo abdominis aſcitem faciens; qualis etiam a morte ibidem deprehendebatur. Libere enim effluere ſub Paracenteſi potuit e locis a cohæſione cum peritonæo liberis. Hincque factum, ut etiam in vivente undulatio perciperetur aquarum.

Docent porro hi tres caſus, me, *Tom.* 1. *Rat. Med. cap.* 31. haud immerito aliquas, easdemque haud leves, adnotaſſe difficultates, in exſequendo erudit. *Pariſ. Chirurgorum* ſyſtemate, quo ſtatuerant, eductis Paracenteſi aquis, vulnus inſigniter dilatandum eſſe, apertumque ſervandum; ut & omnis poſthac renascens liquor, abdomen alioquin iterum extenſurus, inde extillaret perpetuo, & ſaccus ita concideret, complanaretur, convolutusque concreſceret, ut deinceps ultra extendi nunquam poſſet.

In I. enim hiſtoria Hydrops renaſcens præcaveri quidem potuiſſet, lata ſervata ventris apertura; ſed Omentum ita monſtroſum non modo inde mutatum non fuiſſet, ſed aëris allapſu in ſphacelum dirum, ſubjecta ſibi omnia deſtruentem, abiviſſet.

In hiſtoria II. & III. ſaccus in Paracenteſi perſciſſus non fuit; perſcindendus ergo fuiſſet. Ecquis vero pollicis forte denſitatem offendens, neſcius proinde quid forte perſcinderet, cultro penetrare auſus fuiſſet?

Haud

Haud enim id in vita, ut quidem in cadavere, illico pateſcit. Nec concidiſſet ſaccus, ſuſtentaculis quippe & adhæſionibus validioribus cum peritonæo cohærens. Quid vero in ſubſtantia ulceroſa, ſcirrhoſa, ſanioſa, adeo craſſa, vulnus effeciſſet? Quid demum aër? Dira certe carcinomata, quæ mutuus binorum pendentis ſacci laterum affrictus auxiſſet vehementer. Quodſi demus aperturam forte fortuna in tenuiore ſacci ſubſtantia, ut latis in plagis anterius, poſteriusque erat, penetraturam fuiſſe, quid inde non timendum ab Inteſtinis? Compreſſa hæc olim, jamque libertatem nacta, & flatibus diſtenta, aut colicis expanſa doloribus, verſus locum minime reſiſtentem, ſaccum, ſeu ejus parietem poſteriorem, protrudere, extrudere, & ventrem extra ventrem, monſtroſamque formare Herniam, potuiſſent. Mitto nunc, quæ de degeneraſcente Ovario exſcindendo, etiam ab iisdem claris viris propoſito *Tom.* 1. dixi. Utique in tertio hoc exemplo patuit Ovaria, dum extendunt ſeſe, quandoque utero primum adplicari, eidemque arctiſſime uniri: Ovarii proinde extirpationem majoribus difficultatibus premi, quam quidem theoretica ejusdem contemplatio ſuggeſſiſſet.

§. IV. Proſecutio hiſtoriæ mulieris, de qua *Tom.* 1. *cap.* 31. difficultates confirmat easdem. Sic enim res nunc cum illa ſe habet. Tumor abdominis poſt Paracenteſin ſemper recreverat, undulans nunquam. Hydragoga vitam hyeme præcedenti, bonaque veris parte, tolerabilem ipſi reddiderant. Maji vero 10 proxime elapſo, motum exercens validum, pondusque elevans, crepitum in ventre percepit, veluti quid intus ſibi dilaceraretur, ſimulque ſubitum ventris incrementum. Fluctuationem nunc manifeſtam iterum deprehendebamus.

Ut anno præterito præter cyſticum tumorem habuerat aſciten, Paracenteſi eductum, ita etiam nunc, vel ſacco ipſo vi lacerato, ut in hiſtoria II., vel alio tumore

more hydatico rupto, aſcitem adeſſe rati, 14. Maji Paracenteſi eduximus libr. 20. liquoris turbidi fuſci, tenacis, haud fœtentis, vix imminuta abdominis mole. Unde potius alterum a primario ſacco disruptum ea vi fuiſſe credimus, cum primarius ille, intra octiduum a percepta dilaceratione, æque magnus, extenſusque, quam olim deprehenderetur. Liquor eductus ſeceſſit in gelatum, quod lumini admotum pellucet, & in liquorem fuſcum, fere limpidum, qui ad ignem omnino coagulatur. Toto eo tempore notavimus ejus urinas nunquam habuiſſe lateritium ſedimen, ut alias id hominum genus habet; ſed tale, quod a bona in acutis hypoſtaſi haud facile interſtinguas.

Poſt hanc Paracenteſin aliud quid, præter deſcriptam formam, extenſionemque, venter notandum exhibuit. Circumſcriptus quippe tumor ab Hypogaſtrio ad umbilicum, & ultra, extenſus, durusque idem, atque ovalis, deprehenditur; haud ſane aliter, ac ſi ultimam graviditatis metam attingeret. Maritata cum ſit, graviditatis datur una cum Hydrope, tum cyſtico, tum aſcite, poſſibilitas. Id vero incertum. Caſus famoſus *Drelincurtii*, cui ſimilem etiam *Tom.* 1. deſcripſi, abunde evincit uterum poſſe, dum privato turget Hydrope, ſimulare graviditatem. Tempori utique hoc concedendum. Interim præter alias ſufficientes rationes haud imitandi *Pariſinos*, nova hæc nobis, eaque urgens ſane ratio, ſaccum haud aperiundi, ſiſtebatur.

Dies interim docuit diem. Elapſis nunc fere quinque menſibus, dum hæc ſub prœlo ſudant, ex quo ſubdubitare cepèrimus, mutatio figuræ, incrementumque abdominis, plane arguunt, perſonatam graviditatem fuiſſe. Quamvis igitur graviditatis metus haud exiſtat ultra, ſubſiſtunt tamen graves aliæ rationes abſtinendi a cura propoſita.

§. V. Anno proxime præterito innueram caſus nonnunquam dari, ubi id ipſa per ſeſe natura facit, quod in

pro-

propoſita methodo & difficile deprehenderamus, & periculoſum, & ſæpe impoſſibile. Videatur hiſt. mulieris *Tom.* 1. *cap.* 31. *pag.* 276., quæ ſcilicet in graviditate, præcipueque deinde a partu, ab umbilici dextro latere tumorem gerebat, qui manifeſtam puris, arctiore ſpatio contenti, fluctuationem exhibens, aperiebatur, pusque copioſum per multos dies fundebat, cum imminuta duritie, & ceteris bonis inde ſequentibus ſignis. Quandiu potuimus, locum in illa ſervavimus apertum, quia purulentus ſaccus peritonæo accretus eſſe detegebatur, nec admodum magnus ille, ut ſtylo flexili & incurvo patebat. Menſe Octobr. & Nov. 1759. vulnus ſponte coëuns, aliquoties dilatavimus, eo quod ſuperſtitem duritiem deprehenderemus. A partu, qui ineunte Junio contigerat, defuerant menſes; finiente vero Octobri rediere; ex eoque gravida facta, menſe Auguſti 1760. feliciter peperit. Locus affectus ſine ulla duritie relicta, aut tumore, coivit. In ejusmodi caſibus verum illud Manilii: *Artem experientia fecit, Natura monſtrante viam:* præter naturam magiſtram, res ſemper periculoſæ admodum aleæ.

§. VI. Antequam hoc caput finiam, unum monendum habeo. *Tom.* 1. *p.* 87. *&* 273. de Tympania agens, in eorum ſententiam abivi, qui aëri ſoli, eique inteſtinis cavis contento, adſcribant eandem. Quippe capta in cadaveribus experimenta, præter *Dureti & Littræi*, aliorumque, auctoritatem, eo me adduxerant. Hiſtoria tamen III. hujus Capitis, pag. 25. demonſtravit poſſe ex putrido liquore aëra in ſacco gigni, pertuſoque ſacco exire ſibilando. Ergo ſi Veterum nonnulli ſimile quidpiam forte obſervantes Tympanitidem dixerint aqua & aëre gigni, hancque partim aëream, partim aquoſam, haudquaquam in Inteſtinorum cavo, ſed in ventre, contineri, non eſt quod obloquar. Verum enim vero nec in vita, nec in cadavere, hic, de

quo agimus, morbus, ipſo Tympanias nomine recenſendus venit, ſi totam ejus hiſtoriam attente pervolvamus. Utique nulla in eo Hydropis ſicci ſigna.

CAPUT III.

De Hydrope Pectoris.

§. I. *Signa & Symptomata morbi ex* Hipp. *Sequentium ævorum Scriptores parum aut nihil ejus meminerunt.* §. II. *Sæculo autem XVII. ut & præſenti, plures de eo ex profeſſo egerunt.* §. III. *Dia noſis & curatio ex autoribus formantur. Ea occaſione Paracenteſis tum in genere, tum ea Thoracis in ſpecie, examinatur, ac remediis ceteris præſtantior declaratur Inquiſitio fit quibusnam, & quandonam, proſit.* §. IV. *Examen evacuationum in Hydropicis per Cauteria, Scarificationes, Veſicantia, &c. & qua lege uſui venire queant.* §. V. *Problema proponitur cur laudata in Hydrope pectoris Paracenteſis adeo raro inſtituta fuerit, adeo raro adhucdum inſtituatur? Reſponſum petitur ab inchoantis morbi incertitudine, & a rebus ejus, dum probe cognoſcitur, conclamatis.* §. VI. *Fallacis morbi hiſtoria practica traditur, qua dicta probentur. Incertitudo ſignorum ejus probatur hiſtoria Hydropicæ, multisque aliis practicis exemplis. Confirmatur ulterius alia hiſtoria notabili, & ſectione anatomica. Concluſio medica.*

§. I. Femina, de qua Cap. proxime ſuperiore pag. 19. actum, præter Hydropem cyſticum & aſciten, Pectoris quoque Hydropem habuit. Hunc, vivente ea, dudum ſuſpicati eramus, ut ibidem innui. Attamen quæ ſigna pathognomica morbi vocari ſolent, non aderant omnia; & quæ etiam in eadem Hydropem ſiniſtræ thoracis cameræ indicare videbantur,

tur, nos plane fefellere. Fallacem ſane morbum plura nobis experimenta jam evicerant; ita ut eum incertiſſimorum morborum in claſſe locari oportere, cum Auditoribus meis ſæpius doluerim. Quum tamen adeo & frequens morbus ſit, & difficulter cognoſcendus, operæ precium erit eum ab incunabulis repetere, adeoque examen inſtituere quorumvis ſignorum, quibus cujusque ævi Scriptores Medici illum nobis depinxerint, cognoſcendumque, ut indubie præſentem, dederint. Inquiram deinde num incipientis morbi ſigna propiora artis uſus forte non ſuggerat? Ex omnibus practicas regulas deducere conabor.

Ad ſigna morbi tum communia, tum pathognomica examinanda ab *Hippocrate* ordiri convenit. *Lib.* 2. *de Morb.* pag. apud *Foëſ.* 483. Tom. 1. apud *Charter:* Tom. 7. pag. 575. vocatur morbus Ὕδερος πλεύμονος.
„ Si Hyderos, inquit, in pulmone naſcitur, febris,
„ & tuſſis, vexat, confertim reſpirat, pedes intu-
„ meſcunt, ungues omnes contrahuntur, & iisdem,
„ quibus ſuppuratus, afficitur; verum remiſſius, ac
„ diutius. Quod ſi Infuſum, aut Fomentum, aut Suf-
„ fitum adhibeas, pus non ſequitur; indeque cogno-
„ veris non pus, ſed aquam intus eſſe. At ſi diutius au-
„ re ad latera admota auſcultaveris, intrinſecus velut
„ acetum olet. Et aliquandiu his afficitur, ſed poſtea
„ in ventrem erumpit: confeſtimque ſanus, & mor-
„ bo liberatus eſſe videtur. Verum procedente tem-
„ pore venter incenditur, eademque illa, & graviora
„ patitur. Quibusdam etiam venter, & ſcrotum, &
„ facies, intumeſcit. Et nonnulli iſtud ab inferiore
„ alvo, provenire exiſtimant, cum ventrem mag-
„ num, & pedes tumere, videant. Quæ certe intu-
„ meſcunt, ἢν ὑπερβάλλης τὸν καιρὸν τῆς τομῆς, ſi ſectio-
„ nis tempus oportunum prætervideris.

Libr. de Aff. int. apud *Foëſ.* Tom. 1. pag. 544. & 545. apud *Charter.* Tom. 7. pag. 655. 656. morbi deſcrip-

ſcriptionem & curationem eodem modo, ſed fuſius, proſequitur. ,, Hic Hydrops, ait, ex his oritur.
,, Quum æſtatis tempore, ſiti premente, copioſam
,, aquam biberis, quandoquidem inde maxime gigni
,, ſolet, & pulmo expletus fuerit, rurſum in pectus
,, dimittit. Quumque in pectore extiterit, vehemen-
,, tem ardorem excitat, ita ut pinguedinem, quæ in
,, arteriis ineſt, liquefaciat. At ſi ſemel pinguedo
,, multo magis liquefieri ceperit, Hydropem brevi
,, efficit. Gignitur etiam ubi tubercula, φύματα in
,, pulmone exorta fuerint, eaque aqua repleta in pec-
,, tus eruperint. Quod etiam a tuberculis oriatur Hy-
,, drops, mihi argumento ſunt Boves, & Canes, &
,, Sues. In his etiam quadrupedibus maxime pulmo-
,, nis tubercula oriuntur, quæ aquam continent. Sec-
,, tione namque facta id illico cognoſces; aqua quip-
,, pe effluit. Talia autem multo magis in homine,
,, quam in pecoribus fieri videntur, quanto morboſa
,, magis etiam victus ratione utimur. Plerique vero
,, exortis tuberculis purulenti etiam extiterunt.

,, Hæc igitur per initia oboriuntur morbo: tuſſis
,, ſicca, & fauces exaſperari videntur, & rigor & fe-
,, bris ſuccedit, & orthopnœa; cutis totius corporis
,, tumefit, tument pedes, ungues contrahuntur; &
,, quandiu quidem in ſuperiore ventre Hyderus exti-
,, terit, extat acutus dolor: cum vero ad inferio-
,, rem ventrem devenerit, melius habere videtur:
,, deinde progrediente tempore impleto ventre, ea
,, quæ prius patitur. Interdum vero ad latus tumeſ-
,, cit, & qua parte ſecandum ſit, indicat. Quod ſi non
,, indicet, multa calida lotum, humeris comprehen-
,, ſum, concutito, deinde quonam in latere materia
,, magis fluctuat, auſcultato.

Hippocrates igitur cauſam Hydropis Pectoris deducit 1mo. ab aquæ potu, & nimio, & celeriter ingurgitato: 2do. A ruptis pulmonum tuberculis, (Hydatidi-

bus) quæ, ſi verſus externam pulmonum ſuperficiem perrumpuntur, ſuam utique lympham in cavum thoracis effundunt.

Morbi ſigna & ſymptomata ait 1mo. Tuſſim ſiccam. 2do. Faucium raucedinem. 3^{tio}. Rigorem. 4to. Febrim. 5to. Reſpirationem citiorem. 6to. Orthopnœam. 7mo. Totius corporis, pedumque præſertim, Hydropem intercutem, ſeu ἀνὰ σαρκά. 8vo. Thoracis dolorem. 9no. Hydropem ventris, cum remiſſione omnium ſymptomatum, quum pectus ad tempus evacuetur. 10mo. Recrescente pectoris lympha, quod ejus ſit ſcaturigo perennis, tunc aſcitem ultra non levare morbum pectoris. 11mo. Unguium curvationem, qualis fieri ſolet ſuppuratis: addit & alia ſuppuratorum ſigna, quæ mitius tamen ait, & diutius, ipſis evenire. 12mo. Abſentiam ſputi purulenti, etiamſi medela ad ſputum provocandum adhibita ſit.

Symptomatum horum plura etiam ſigna vera morbi ſunt, ſed addit *Hippocrates* aliud quid. Hominem nempe in ſedili collocatum humeris valide concutit, movetque; ut ſic aure mox ad latus admota, undulantem percipiat aquam. Addit pro alio ſigno, *Lib.* 2. *de Morb.* quod eadem pectoris aqua, dum ſic aurem pectori admoveris, veluti acetum olet.

Errorne aliquis hic exemplariorum? *Foëſius*, & *Charterius*, & *Lindanus*, hic legunt ὄζει, *Cornarius* vero ζέει, nempe, *fervet*. Juxta hoc exemplar ſenſus bonus eſt, non vero lectione alia. Nunquid enim *Hippocrates* juberet non nares, *ſed aurem*, pectori admovere, ut odorem aceti perciperemus? Sed ſi *fervere* intellexit, tunc aurem admovere oportune præcipit.

Cum magnus *Hippocrates*, adeo in ceteris Laconicus, judicaverit hunc morbum adeo fuſe deſcribi oportere, expectare quis poſſet *Galenum*, *Cælium Aurelianum*, *Aretæum*, poſteriorumque ævorum ſcriptores, & fuſos, & perſpicuos eſſe, cum de eodem agunt.

Sed nihil minus. Plures in tranſitu meminere illius; nonnulli ne meminerunt quidem. Quo quid in obvio adeo morbo mirabilius? *Platerus*, *Hollerius*, *Goræus*, *Capivaccius*. *Hier. Mercatus*, *Salius Diverſus*, *Jacotius*, *Ballonius*, *Duretus*, &c. obiter modo de Hydrope pectoris locuti ſunt, eorumque, quæ adeo fuſe *Hippocrates*, ſignorum pauca modo raptim tetigerunt: unde concludere nos cogunt morbum ipſis minus in viventibus ægris, quam in denatorum cadaveribus, patuiſſe. Idemque judicium ſit de *Cardano*, *Coïtero*, *Donato*, *Cratone a Craftheim*, *Caſparo Bauhino*, & reliquis omnibus, ex quibus optimus *Schenckius*, utiliſſimas ſuas adornavit collectiones.

§. II. Ineunte autem Sæculo XVII. tres magni in arte Viri ſimul hoc argumentum pro aliqua ejus dignitate tractarunt. *Proſper Martianus*, Romæ; *Carolus Piſo*, Nanceii; *Daniel Sennertus*, Wittenbergæ. Paulo poſt etiam *Lazarus Riverius* utcunque fuſe de eodem egit. *J. B. Helmontius*, quanvis de eo parum habet, in tractatu tamen, qui vocatur *Ignotus Hydrops*, & morbum in ægri vita præſentem cognoviſſe, & in cadavere demonſtraſſe, videtur. Poſt illum *Sylvius de le Boe*, & cum *Lowero Williſius*, ex profeſſo de eodem egere. Plures tamen poſt illos, ut *Juncken*, *Etmuller*, &c. ſolo vix nomine morbum recenſuerunt. Egregius *Wepferus Libr. de Affect. Cap. Obſ.* 60. anatome potius illum, quam ægro vivente, cognoviſſe videtur: cumque ipſemet hoc morbo laboraſſe poſt mortem inveniretur, minus tamen id crediđiſſe legitur apud *Brunnerum*, eo quod urinam egregie redderet, matutinisque gauderet ſudoribus. *Wratislavienſes N. C. Medici* ad Ephemeridas ſuas ann. 1699 -- 1702. Tractatum de Hydrope Pectoris adjecerunt, in quo ejusdem cauſas, ſigna, curamque, erudite tractant. Exinde *Academiæ N. C. Pariſ. Lond. Edimb.* varia ejus dedere exempla: Immortalis *Boerhaave* Cap. de *Hydrope* §. 1219. Hydro-

dropem hunc deſcribit Empyemati multis ſignis ſimilem, ſola cauſæ antecedentis obſervatione ab illo discriminandum. Nobiliſſ. Ruſſiæ Archiater *de Gorter*, in *Med. Comp. Tract.* 35. morbum obſcuriſſimum vocat, ejusque ſigna ex *Hipp. Piſone*, *Sennerto*, tradit.

§. III. Porro ſi ex quibuscunque recenſitis hisce autoribus cauſas, ſigna tam communia quam pathognomica, diagnoſin quoque, & curam, diligenter colligamus, notanda ſequentia invenimus:

1mo. In cauſarum enumeratione paſſim conveniunt omnes. Cauſas enim Hydropis generales recenſent, quæ vel in aliis corporis plagis Hydropem primo conciliant, deinde pectori; vel pectori primum, deinde reliquo corpori; vel denique pectori ſoli. Cauſas præterea peculiares quasdam nonnulli addidere: v. g. maturiorem vulneris in thorace curationem, rupturam ductus chyliferi, diruptionem hydropici pericardii, vaſorum in oſſeam ſubſtantiam degenerationes, &c.

2do. Signa morbi multi haud alia enumerant, quam quæ *Hippocrates*; nonnulli vero ſingularia dedere, quæ vel pathognomica, vel illis ſaltem proxima appellarunt: v. g. ſubitaneam prima nocte excitationem, cum intentata fere ſuffocatione; alterutrius, vel utriusque, manus ſive paralyſin, ſive œdema; hypochondriorum tumorem; pulſum debilem, tardum, inæqualem, haud raro intermittentem; fœtentem animam; urinam paucam, craſſam, & brevi ante fata ex atro rubentem, cum furfuraceo, aut lateritio, ſedimine.

3^tio^. In Diagnoſi multi, gravesque Viri, difficilem, obſcurum, ambiguum, morbum eſſe fatentur: varii e contrario tanquam communi omnium more propriis ex ſignis cognoscendum, atque ab aliis interſtinguendum eum deſcribunt.

4to. Curam ejus varii, vario admodum modo, auſpicati ſunt, *Hippocrates* textibus, ex *Libr.* 2. *de Morb.* & *Lib. de Aff.* ſupra recenſitis, „Hunc quidem, ait,

,, ſi exteriore parte intumeſcit, inter coſtas ſectione
,, facta, curare oportet. Sin vero minime intumue-
,, rit, etiam multa calida lotum tunc, veluti purulen-
,, tos, in ſella collocato, & qua parte ſtrepitum edet,
,, ea ſecato: tertiam ab ultima coſtam ad os usque ſe-
,, cato: deinde terebra acuta ulterius perforato: vo-
,, tumque eſt, quo ſane facile effluat, ut quam infimo
,, loco id fiat.

,, Ubi autem ſecueris, oportet ulcus cavum, in in-
,, terna patens, efficere, impoſito lino crudo; craſ-
,, ſum autem, & extremo acutius, oportet hoc li-
,, num, ſive linamentum, facere. Quam pauciſſimam
,, aquam parce emittas. Impoſito igitur linamento
,, mollem ſpongiam ſupra imponito; deinde ne peni-
,, cellus decidat, deligato. Et ſi quidem 5to. die pus
,, in ulcere circumnaſcitur, ut plurimum evadit: ſin
,, vero circumnaſcitur nihil, poſtquam aquam edu-
,, xeris, ſitis prehendit illum, ac tuſſis, & moritur.
,, Per 12. autem dies ſemel die aqua educenda: poſt
,, 12. vero dies, id eſt, 13. die, tota aqua educenda eſt:
,, & reliquo tempore, ſi ab aqua diſtenſio fiat, exhau-
,, rienda, venterque cibis ſiccis reſecandus.

,, Hæc autem poſt ſectionem exhibenda: ſuccum
,, laſeris dragmæ pondere adparatum, & Ariſtolo-
,, chiæ tali cervini magnitudine fruſtulum deraſum,
,, & lentium, ervique, torrefactorum polentam; u-
,, triusque purgatæ chænicis dimidium: hæc melle
,, & aceto ſubigito. Deinde 60. trochiſcis formatis,
,, unum tritum quotidie vini nigri auſteri quam ſua-
,, viſſimi heminæ dimidio maceratum, mox jejuno
,, potui exhibeto. Reliquam vero victus rationem,
,, & exercitationem eandem, quam priore tempore,
,, habere jubeto. Et ſi pudenda, ac femora intumue-
,, rint, audacter ſcarificato. Hunc ſi ita curaveris,
,, certiſſime ſanum reddes.

Monitos Lectores hic velim me 1mo. utrosque lau-

da-

datos *Hippocratis* textus dedita opera confudiſſe, & commiscuiſſe, ut continuata oratione integra ejusdem ſententia pateret. 2do Me *Hippocratis* μότα, & ἔμμοτα, eo modo latina reddidiſſe, quo *Tom.* 1. *cap.* 31. neceſſe eſſe demonſtraverim.

Haud omnibus æque arriſit hicce curandi modus. *Proſper Martianus* Paracenteſin *Hippocratis* ut primum, ut præſtantiſſimum auxilium, commendavit. Magnus *Boerhaave* Aph. 1219. & 1238. *Hippocratem* & *Martianum*, preſſe ſequitur. At vero Auctorum plerique hanc eo duntaxat caſu laudarunt, quo remedia conſueta minime juvarent. Ita *Piſo*, *Sennertus*, *Wratislavienſes*, *De Gorter*, &c. Imo dantur haud contemnendi in arte Viri, qui hanc operationem, cum bona *Hippocratis* venia, condemnarunt, ut v. g. *Ludovicus Mercatus*, *Petrus Salius Diverſus*, & pene etiam *Sylvius de le Boe.*

Hinc ultimæ penultimæque claſſis Scriptores, ut quenvis paſſim Hydropem, ita & hunc evacuantibus docuere debellandum. Unde purgantia hi leviora, illi draſtica, tum omnis generis diuretica, ac ſudatoria, præſcripſere. Fonticulos quoque, & ſetacea, veſicantia, ſcarificationes, inuſtionesque crurum, femorum, tumentisque ſcroti, ad revellendam de pectore lympham, unanimiter commendarunt.

Et ſane quoad Paracenteſin in genere, in quovis Hydrope, notamus eam ab omni retro ævo male audiiſſe, & a multis tanquam periculoſam, a nonnullis tanquam quosvis indiſcriminatim occidentem, proſcriptam fuiſſe. Quos egregie *Cælius Aurelianus*, primi ſæculi æræ Chriſtianæ, ut videtur, autor, refutavit; ut & ſæculo 16. finiente *Ambroſius Paré*, aliique. Præcedenti ac præſenti ſæculo frequentiorem in uſum vocata eſt. Notabilia exempla *Acad. Reg. Sc. Pariſ. Theſes Pariſinæ*, obſervationes omnium regionum, multas Hydropis aſcitis curationes, ut vocant,

radicales, aut ſemel, aut iterum, aut pluries inſtituta Paracenteſi, referunt: tum & curas plures morbum egregie palliantes.

Numeroſi, qui mihi obtigere, caſus me docuere, palliantes curas, numero plures, quam integras, Paracenteſi perfici. Quare examinare confert quandonam integre, & quandonam tantum palliative Hydropici ejus ope curari queant: ſponte tunc liquebit quibusnam Paracenteſis, & quousque, proſit.

A cauſa quacumque homo poteſt notabili tempore eam ſuis in humoribus tenuitatem, eam cutaneis in vaſis laxitatem, & anaſtomoſin, habere, ut perpetuo fere ſudet, ſudorque guttatim defluat, & veſtes madefaciat, lectosque. Sed & idem homo, ſeu bonitate naturæ, ſed diætæ mutatæ, mutatæve athmoſphæræ, medicamentorumque, auxilio, ita poteſt compingi humoribus, vaſis ita conſtringi, ut ultra non ſudet, viresque ſudore confractas brevi recuperet. Hic homo tunc integre curatus eſt.

Verum ponamus exhalantium vaſorum debilitatem minus ad corporis ambitum peccare, quam ad pleuram, ad peritonæum, ad viscerum in thorace, ac ventre, ſuperficiem; ita ut potiſſimum per harum partium exhalantia vaſa tenuati humores Hydropem transſudando creent. Ut priori, ita & huic naturæ, regiminis, artis, auxilio, diatheſis ita tolli poteſt, ut internus ille ſudor ceſſet. An autem ita hic, quam ille curatus? Neutiquam. Prior ille vaſis roboratis, inſpiſſatisque humoribus, jam curatus erat; posterior cum omni hoc beneficio aquæ dolium manet. Hæc porro aqua ſi bonitate medelæ, aut maxime Paracenteſi, evacuata fuerit, cum mutata in melius jam antea diatheſi, perfecta aderit ac firma ſanitas.

Etiam hoc in caſu contingere poteſt, ut Paracenteſis, nondum mutata diatheſi, colluviem aquarum auferat; ac deinde optima roborantia & inſpiſſantia remedia

media integram efficiant, conſtantemque ſalutem.

Si nunc homo a ſubito, ac copioſiore potu aquoſo, poſt diuturnam ſitim hauſto, in Hydropem inciderit, quemadmodum olim totus pene exercitus invictiſſimi Imperatoris *Caroli V.* in expeditione *Tunetata*; utique potus abſtinentia, motus, elater conſervatus vaſorum, ejusmodi innumeros reſtituere poſſunt. Sin vero abundantior lympha, in corpore effuſa remanſerit, homo hic aut aptis medicamentis, aut paracenteſi, ab illuvie aquoſa liberandus erit: liberatus, recte valebit.

Sed alia longe res eſt, ſi diſpoſitio in corpore perſeveret, qua ſublatis aquis, perpetuo ſuccedant novæ. Si eductis aquis vaſorum humorumque vitia corrigi nequeant, cauſæ perſiſtentes novas continuo regenerabunt aquas. Si aperta hydatis aquam ſtillaverit, educta ea, novam abundantius, ablata reſiſtentia, dabit. Ergo paracenteſis ad tempus modo levabit; ſed & medicamenta belle evacuantia etiam tantum ad tempus proderunt. Igitur cum medicamenta ſæpe nihil aut vix agant, prætereaque corpus defatigent; ipſa vero paracenteſis vires vix projiciat, nec corpus exagitet, ſecure autem ſemper, certoque evacuet; merito *Proſper Martianus*, & *Boerhaavius*, paracenteſin medicamentis prætulerunt. Tandem in ascite, cui Hydrops cyſticus junctus, etiam ceteris paribus eſt Paracenteſis medicamentis anteferenda; quia medicamenta ibi vix unquam efficaciter agunt, & Paracenteſis ſemper evacuat.

Diffiteri equidem non poſſumus mortem Paracenteſi preſſo pede nonnunquam inſequi: cum tamen eo modo in caſu tunc adhibetur, ut vitam lymphæ abundantia jamjam ſuffocandam fortaſſis aliquantiſper producat, dubiumque tunc auxilium, quam nullum, adhiberi præſtet; neque etiam hic condemnanda Paracenteſis erit. Hujus erat mentis *Hippocrates* Lib. *de Loc. in hom.* pag. apud *Foëſ.* 417. τ̃ νοσημάτων ὅ,τι ἂν

ἐπικινδυνοτατὸν ἐστιν, ἐν τούτοισι παρακινδυνεύειν χρή· ἐπιτυχὼν μὲν γὰρ ὑγιᾶ ποιήσεις, ἀτυχήσας δὲ ὅπερ καὶ ὡς ἔμελλε γίνεσθαι. In morbis, in quibus periculum ingens adeſt, aliquid audendum eſt: ſi enim ſucceſſerit, poteris ſervare ægrum; ſi non profeceris, fit modo id, quod ſine tuo molimine brevi contigiſſet.

§. IV. Atque hæc de Paracenteſi. Sed quæ commendatur evacuatio in quacumque Hydropis ſpecie, cauteriis, ac ſcarificationibus, peragenda, illa etiam, ſubſequa brevi gangræna, diſcrimine non vacat. Paſſimque omnes poſt *Hippocratem* Medici Hydropicorum ulcera curatu difficillima, ne dicam impoſſibilia, notarunt. Interim qui hoc primus notavit *Hippocrates*, ille etiam ulcera Hydropicis arte excitanda eſſe primus monuit. Sibine igitur contradixit? Minime; ſed neceſſariam adhibuit, quam negligere ſolemus, cautelam. Ἀεὶ τὸ ἑξοιγόμενον χρίειν θερματηρίῳ φαρμάκῳ. Sicque averruncare gangrænam potuit. Unde bene *Proſper Alpinus*. finiens ſuum 7. Lib. *de Med. Methodica*. „Hocque, inquit, præſidii genere ſcimus „nos complures Hydrope fuiſſe ſanatos; at quia curationem vulnerum neglexerunt, alio morbo quam „Hydrope interemti ſunt: quippe vulnere in gangrænam abeunte". Quare, dum in Noſocomio ſcarificationes, Hydropem pallianтes, inſtituimus, ſaturato corticis peruviani fomento gangrænam averruncavimus. Ultra nunc progrediemur. Hydropem & aſcitem, & intercutem, curatum vidimus in cancroſa femina, cui cortex adverſus cancrum dabatur. Cancer quidem non curabatur; ſed vaſa corporis, cortice roborata, omnem aquarum colluviem alvo & urinis expulerunt. Quid ergo impedit, quo minus Hydropis, ſine viſcerum interiorum ſcirrho obtinentis, curam cortice & aſſumto, & ſcarificatis admoto locis, tuto tentemus? Duplex ſane cauſa nos eo adigit: altera egregius effectus in ipſo morbo; altera ejusdem,

ad

ad morbi proegumenam cauſam haud raro tollendam, exploratiſſima virtus.

Atque hæc de ejusmodi evacuationibus in genere dicta ſunto: ſupereſt eam, quæ de ipſo thorace directe inſtituitur, nunc contemplari.

§. V. Dudum quidem acceſſi ad ſententiam *Hippocratis*, *Martiani*, *Boerhaavii*, Paracenteſin thoracis ſive in Hydrope pectoris recentiore, ſive viribus utcumque conſtantibus vetuſtiore, palmarium auxilium eſſe ſtatuentium: attamen abſtinere nequeo, quin medicum hoc problema proponam; ſcilicet: *Cur ita laudata Paracenteſis, ſive ut primum, ſive ſaltem ut alterum in hoc morbo adhibendum auxilium, ſpatio XXIII. Sæculorum theoretice commendetur, & vix unquam inſtituta legatur?* In Empyemate hiſtoriam operationis, fateor, habemus: in Hydrope autem pectoris, forte unus alterve me caſus fugit, ſed vix illam inſtitutam novi, niſi a *Lowero* & *Williſio*, idque modo ſemel. *Williſ. op. omn. in fol. tom. 2. Phar. rat. part. 2. ſect.* 1. *c.* 13. Quid igitur cauſæ, quod nulla operatio univerſalius commendata, nulla rarius inſtituta fuerit?

Si conjecturare liceat, ſuſpicor morbum inchoantem difficulter ſæpe ægrorum in vita cognosci; morborumque aliorum, in quibus Paracenteſis haud conveniat, ſub larva fallere: dumque demum cognoscatur, adeo jam provectum eſſe, ut eandem haud ultra admittat.

§. VI. Morbum apud *Batavos* haud infrequentem ſæpius in denatis, quam in vivis, cognoviſſe me fateor. Quod cum Veteranis in arte quoque contingere cernerem, phænomena obſervata in illis, quorum me morbus fefellerat, animo volvi, cum phænomenis ſimili morbo deinceps laborantium ſedulo comparavi, atque ita tandem ſæpius eundem citius præſentem detexi; haud tamen ita, ut nonnunquam illum non, niſi conjectura aſſequerer, imo vix rite, niſi deſperatis fe-

re ægri rebus, cognoſcerem. En igitur quæ attentior obſervatio me docuit!

1mo. In plena ſanitate omnium prima obſervatur Dyſpnœa levis, vix notabilis, ut & vix advertenda Tuſſicula; quæ a communi Dyſpnœa inchoante nullo ſigno diſtinguitur. Ejicitur nihil tuſſiendo: unde Medici totum incommodum pulmoni utcumque debiliori adſcribendum rati, roborantia cum effectu aliquoties bono, ſæpe autem nullo, exhibent. Neque tantillo debilior pulſus, aut vix perceptibilis ad motum defatigatio, anhelitusve, aliud ſuadent. Nulla enim ratio ſubeſt vomicas, aut abſceſſus, ſuſpicandi. Lento interim paſſu crescit malum, interea dum non raro fallaci curatione Medico imponat. Quippe ſicciore dudum tempeſtate, moderatiore forte motu, curatum, læto ægro, lætis adparet Medicis: quiescente vero ægro, aëreque diu valdeque humido, non curatus morbus, ſed auctus adparet. Tuſſis paulatim increscens, glutinoſa pauca ac ſpumoſa producens, cum ſonticam cauſam non agnoscat, prognoſin vix videtur gravare; quia in debiliore paululum pulmone quid glutinis generatione facilius? Malleoli poſthac pedisque œdema leviſſimum conſpicitur, vagum quidem primo, poſtea autem conſtantius: ſed vix inde augmentum inquietudinis; quid enim in deſidioſa vita frequentius? Hic primus mali gradus, diuturno tempore ſic in pluribus obtinens.

2do. Interim fiunt ægri corpore haud modo, ſed & animo imbecilliores, ſpasmis flatibusque, ac levioribus anxietatibus magis obnoxii, ſomnum ægrius capientes, exiguosque, leves, vix inchoantes, Aſthmatis ſpasmodici patientes inſultus. Cum hucusque nulla cujuspiam visceris labes ſe manifeſtet, perſiſtit nobis imbecillioris pulmonis idea, ſolidaque roborandi, ac fluida inſpiſſandi indicatio. Si autem gluten paucum pulmone ejectum Medicis eo usque imponat, ut ad at-

tenuandum illud accingant ſeſe, morbi cauſa facile adaugetur.

3tio. Creſcunt mala pedetentim; obſervantur quidam noctu inquietiores, & conqueruntur quadam anxietate ſe a prima ſomni blanditie capta expergefieri, erectos ſe eſſe oportere, poſtea vero nonnihil tranquillitatis ſe denuo percipere. An id quia jacentibus, truſo altius diaphragmate præ mole viſcerum abdominis, thorax anguſtior? An vero iis modo fit, quibus venter effuſo intra illum liquore turgidior? Practica obſervata has rationes omnino non per omnia admittunt; Obſervavimus has nocturnas anxietates in his, quorum cadavera abdomen aquis inane exhiberent. Obſervavimus easdem cum *Piſone*, licet ægri illarum evitandarum cauſa in ſedili obdormiviſſent. Utique res explicatu difficilis! ſed quid tunc Medici concludunt indicari? Si gluten aliquid copioſius ad has anxietates exſpuatur, Aſthma glutinoſum; ſi vix tale quidquam, ſpaſmodicum concludunt. Præſertimque dum dato paregorico, & antiſpaſmodico ad noctem remedio, ſubitaneam mali furentis remiſſionem ægri ita lætantur, ut ſequenti, altero, tertiove die, noctes agant tranquillas; imo obliti ærumnarum, in publicum prodeant, ſuisque cum amicis ſe exhilareſcant. Ergo antiſpaſmodica vel expectorans medela continuatur; morbus in pejus ruit.

4to. Caducam ſuam machinam interea adhuc miſeri trahunt, donec ad tragicas illas noctes deventum ſit, quibus decies minantur ſuffocationem; unde tandem leipothymia, ſyncope, debilitate, vitam ducant ipſa morte miſerabiliorem; atque, quanquam mortem effugere ſæpius viſi, tandem ſubito ſuffocentur. Lepida catarrhi ſuffocantis adplicatio Medicorum ſervat ſartum tectumque honorem; & ſi forſean Medicus affuerit, qui morbi præſentiam ante fata ſubolfecerat; utique non niſi ut immedicabilem pronunciaret, cognoverat illum.

Hæc

Hæc nunc hiſtoria miſerandi morbi, ut plurimum ignoti, quo plures extincti in una, alterave, aut etiam in utraque thoracis camera collectas exhiberent aquas. Unde quidem crebrior nata poſtliminio ejusdem in vita ſuſpicio, ſed ſufficientium defectu ſignorum, quibus a morbis, quos ſimulabat, quosque ars ſæpe feliciter tollit, discriminaretur, nulla certitudo.

Quamobrem ad invenienda propria morbi ac pathognomica ſigna variorum adhibiti animi; eorundemque demum is adornatus catalogus eſt, cujus cum pag. 33. meminerim, hic non repetam, ſed ad ſingula ejus capita ordine reſpondebo.

Ac primo quidem reſpondeo, ſubitam a prima ſomni dulcedine excitationem, cum intentatis ſuffocationis minis, ſemel mihi octiduo ante fata quondam apparuiſſe, & pluries quidem maturius, at vero ſemper provecto ita morbo, ut omnem reſpueret curationem Pathognomicum proinde hoc ſignum non adpellabo.

Secundo dico Hydropem pectoris aliquoties adeſſe poſſe citra hoc ſignum. En evidens exemplum! Sexagenaria mulier hoc ipſo anno, ineunte Majo menſe, ad *Pasmannianum* Noſocomium transferebatur, aſcitem habens, tumidisque, atque hinc inde ulceroſis cruribus lympham ſtillans. Pectoris quidem nonnulla anxietas, ut in ascite conſuevit, aderat, ſed admodum exigua: quodque in provecto ascite mirandum, nulla tuſſis. Nulla præterea peculiaris de nocte anxietas, aut ſubitanea e ſomno excitatio. In dorſum quidem ſæpe incumbens viſa ægra, frequenter autem etiam utrumvis in latus. Vino herbis amaris medicato, cui Oxym. Squill. Spir. nitr. dulc. Tinct. Millep. &c. adjuncta, tota fere, idque iterata vice, detumuerat, ſed aqua furtim capta continuo ſe replens, relapſa eſt. Tandem manu ac brachio ſiniſtris quatriduo ante mortem tumentibus, 3. Julii expiravit.

In cadavere invenimus asciten ventris cyſticique

prin-

principium: ſcilicet duas ovarii hydatidas, quarum una pellucentis lymphæ ultra libram gerebat. Deinde ovarium dextrum in cellulas cartilagineas degenerans, oſſiculum magnitudine pilulæ duorum granorum, membranula cohærens, ſuo in fundo continebat. Uterus vix diſtentus, glabro, carnoſoque corpore repletus, quod cum uteri fundo poſteriore ita unitum, ut non niſi unam eandemque cum eo formaret ſubſtantiam.

Sed quis mortalium credat hanc feminam utrumque pectoris cavum copioſiſſima lympha repletum geſſiſſe, ita ut arcto in ſpatio compreſſi pulmones, pluribus in locis aëre vix ultra permeabiles eſſent, magnisque ſui portionibus aquæ, in quam injecti, fundum peterent? Utque Pericardium, undique preſſum, cum cordis maſſa, nullo cavo relicto, in unum coiviſſet, albitudine modo ſua, duas circiter lineas craſſa, a cordis ſubſtantia diſtinguenda? Obiter hic noto Pericardii abſentiam, ab Anatomicis notatam, ſimilibus forte cauſis deberi.

Si ergo nocturna orthopnœa omnino deeſſe in graviſſimo pectoris Hydrope potuit; ſi in aliis paucis modo ante funera diebus adparuit; ſi denique ubi adeſt, provectiore adeo morbo pateſcit, ut quodvis fere reſpuat auxilium; non videtur illa pathognomici ſigni nomine venire debere.

2^dum. Signum, œdema ſcilicet, aut paralyſis alterutrius, imo etiam utriusque brachii, manusve, priore vix multo certior eſt. In quo viro dixi nocturnam orthopnœam octiduo priusquam periret, me obſervaſſe, in eodem quoque manus non niſi eodem die œdematoſa apparuit. In femina, cujus hiſtoria mox data fuit, quatriduo tantum ante obitum. In ea vero, cujus caſus Cap. 2. pag. 19. deſcriptus fuit, tale œdema adfuit nunquam. Caruit quoque eo clarus *Wepferus*. Ergo quod vel deeſt aliquando, vel morbo ad interitum

ritum proximo ſæpe advertitur, pathognomicum non eſt.

3tium. Signum, aquæ nimirum fluctuatio, pluribus defuit meorum. Adeſſe tamen ſæpe illud, & ratio ſuadet, & Hippocrates tradidit, & noſtra femina Cap. 2. pag. 19. experta eſt, & plures memorant Autores. *Hippocrates* ſedentis hominis comprehendens humeros, valide ejus corpus concutiebat, ut audire fluctuationem poſſet. Autorum nonnulli corpore inclinato id explorant; imo ægro toto corpore ſuperiore de lecti crepidine deorſum pendulo. Verum vel non adeſt multis, vel ſero tantum adeſſe percipitur fluctuatio; & in caſus *Hippocraticis* ſimiles incidere oportet, ubi auditu percipi poſſit. Quod ergo ſæpe deeſt, aut ſero nimis advertitur, pathognomici morbi ſigni conditione caret.

4tum. Signum, Hypochondriorum, vel alterutrius ejus tumor dicitur; ſed cum tumere id variis de cauſis queat, non eſt pathognomicus hic tumor. Contingere quidem poteſt, ut aqua in diaphragma gravans, hepar v. g. premat, trudatque extrorſum; cui ſigno, ſi forte fluctuatio ſimul adeſt, morbi major certitudo naſcitur: ſed in multis & tumor deeſt & fluctuatio. Ergo.

5to. Pulſus debilis, tardus, ſæpe intermittens, inter hujus morbi ſigna recenſetur. Erat quidem talis *Wepferi*, teſtante *Brunnero*, pulſus; ſed cum *Wepferus* etiam oſſeam habuerit Aortæ ſubſtantiam, pulſus ejus non poteſt Hydropis pectoris pathognomicus adpellari. Deinde talem pulſum multi Autores non recenſuerunt. Tandem pluribus noſtrorum defuit. Sane febricula, individua multis comes, pro tarditate celeritatem habet.

6to. Fœtentem animam meorum nemo habuit.

7mo. Urina pauca, craſſa, Hydropicorum paſſim eſſe ſolet, ſed non immutabili lege. Hydropica Cap. 2.

pag.

pag. 28. eam reddit pulcre coloratam, limpidam, cum ſedimento fere acutorum bonorum. *Wepferus* ideo minus credebat ſe pectore hydropicum eſſe, quod *urina copioſa, naturalis matutinusque adeſſet ſudor.* Deſcripta *Wratislavienſibus* urina, qualis prope mortem ipſis obſervata fuit, etiam ſic in Noſocomio adparuit: ſed quod lethi inſtantis, id morbi ipſius ſignum dici non poteſt.

Quam parum ergo certi, ut morbum initio præſentem dicamus, ex recenſitis nanciscamur! Provoco etiam ad quotidianam Praxin. Quid incertius concilio Medicorum, quos ſimilis convocaverit morbus! Examine per horam producto ſæpe uni horum malum aſthmaticum audit; alteri dyſpnœæ ſimilius; tertio Hypochondriorum affectione natum; quarto peculiari nervorum irritabilitati, cum aliqua acritudine juncta, adſcribitur; cuiquam forte etiam Hydropis pectoris ſuſpicio naſcitur. Ac profecto ſi talis revera eſſe deprehenderetur, idoneum Paracenteſeos tempus nunc forſitan eſſet. Sed ſuſpicio morbi duntaxat eſt, eaque cum aliorum morborum ita intricata, permiſtaque, ſignis, ut certi quid concludi nequeat; rarusque ſane ille Medicus foret, qui operationem hanc ex mera hac ſuſpicione in ſe ſuſcipere vellet, rariorque æger, qui incerta de cauſa permitteret thoracem ſibi terebrari. Unde ad maxime veroſimile concilium concludit, donec ſigna evidentiora elucescant; utinam modo, iis eluceſcentibus, conclamatum non eſſet!

Nunquam e mente excidet caſus viri, quinquagenario majoris, qui ſpatio quinquennii ſæpius meam imploraverat opem. Cardialgiis ab immemorabili pene tempore obnoxius, nullum demum ſolamen habuit, niſi vel ab opio audacius dato, vel, quando digeſtionis tempore doloribus ferendis ultra non erat, compreſſo valide epigaſtrio. Ita ut aliquoties invenerim eum in terram pronum, ſubſtratis ſoli ventri pul-

vina-

vinaribus. Sponte enim noverat vehementiores ſopire dolores, nervis abdominis prope ventriculum & pancreas compreſſis. Semianno ante mortem veſpere tempus ſuaviter cum amicis fallens, crudeli cardialgia afficitur, brevique poſtea anhelitu, demum aphonia; anhelans autem ac vocis expers, cardialgia liberabatur. Vena ſecta, immiſſo enemate, veſicante inter ſcapulas adhibito, inſultus ille mirus tridui tempore integre ceſſavit; ſed quæ eo triduo plane ſiluerit cardialgia, mox rediit. Quindecim diebus elapſis idem paroxysmus rediit, ut inſtar aſthmatici reſpiraret æger; at miſtura Neurotica ſumta brevi convalesceret. Octiduo poſt repetens priore ſævior inſultus, eidem remedio actutum ceſſit.

An hic, amabo vos! pectoris hydropem ſomniare, qui in conſilium vocati, Medici potuere? Quid aſthmatico inſultui ſimilius? Potiſſimum ſi conſideremus 1mo. quandam affuiſſe materiem, quæ in ſingulo Paroxysmo ſedem conſuetam reliquiſſe doloris, & ad thoracem videretur transmigraſſe. 2do. Idem ita creditum Aſthma conſuetis diſcutientibus & antiſpasmodicis auſcultaſſe. 3^tio^. Sed auscultaſſe nunquam, niſi prius dolor antiquam ſedem occuparet. 4to. Per integros quinque deinceps menſes pectus nihil ſimile passum eſſe. Interea tamen toroſus eo usque homo, ac perfecte quadratus, indies collabascere animadvertebatur.

Octiduo tandem ante fata plura ſubito ſigna manifeſtabantur, quibus Hydrops pectoris ſubdole dudum latuiſſe, jamque adeo provectus eſſe videretur, ut immedicabilis eſſet. Improviſa ſcilicet e ſomno excitatio, orthopnœa, oculorum vultusque livor, ac ſimul manuum inflatio ambarum: conſueti vero in Epigaſtrio dolores hac vice minime ceſſarunt. Pridie autem mortis omnibus ſymptomatibus tam in ventre, quam in pectore, liberatus, pulſum bonum, vultum mire re-

recreatum, ac veluti vegetum, præ ſe tulit, ſuaque repetere negotia jam meditabatur. Nocte autem inſequente in lecto invenitur cum matula in manu veluti vomiturus, ſedens, ſed jam mortuus; atro, eoque plurimo cruore, ſub utraque albuginea, ſuffuſus.

In cadavere præter ingentem totius pancreatis ſcirrhum, præter lienis craſſam cartilagineam ſuperficiem, invenimus diaphragma utroque in latere abdominis, ſacci inſtar, prominens; & lympham enormi copia explentem ſiniſtrum thoracis cavum; eodemque modo, ſed paulo parcius, dextrum; coſtarum denique cartilagines plane oſſeas factas.

Priorum anamneſis, morbi finis, inſpectio cadaveris, videntur demonſtraſſe colluviem in pectore aquarum diu adfuiſſe; quæ cum larvata, complurium Medicorum aciem fugerit, ſimul evicit, quam in proclivi ſit hic falli. Præter orthopnœam nocturnam, œdematoſasque manus, etiam convexum verſus ventrem diaphragma a gravante lympha inveniebatur: ſed craſſitudo ventris notabilem non exhibuit in vita differentiam. Ita ut hoc ſignum pag. 45. ex Autoribus recenſitum in graciliore ventre evidentius, quam in craſſo, adverti poſſit, debeatque.

His omnibus ita penſitatis, veram capimus, arbitror, cauſam, cur centeni Scriptores practici Paracenteſin vel in morbi principio, vel ſaltem poſt irritum remediorum uſum adeo laudantes, eam tamen nunquam inſtituerint: morbus quippe in principio non manifeſtus, eam non ſuaſit; cognitus poſtmodum, eam ultra non admiſit. Qui vero illam inſtituerunt, ut *Hippocrates*, *Lowerus*, *Williſius*, & forte pauci alii, hi cenſendi ſunt in ejusmodi ægros incidiſſe, in quibus ſigna morbi oportuno tempore manifeſta erant.

Unde ea proficiſcitur concluſio, ut 1mo. ſubdolus hic morbus raro, dum curabilis eſt, cognoſcatur; cognoſci incipiat, dum ultra vix admittat medelam.

2do. Ut ſi cognoſcatur mature, nihil ſit Paracenteſi potentius. 3tio. Ut in poſterum, dum ambiguus inchoantis mali ſe exhibet caſus, diureticis, purgantibus, ſudatoriis, diaphoreticis remediis minime parcamus; cum ex effectibus brevi pateſcat ſubſitne, quem ſuſpicemur, an alius morbus?

CAPUT IV.

De Epilepſia & Convulſionibus.

§. I. *Impoſſibilis alias Epilepſiæ cura non raro obtinetur ſedula cauſarum procatarcticarum expiſcatione, quanvis proegumenæ haud auferantur. Gravidæ Epilepticæ id demonſtrans exemplum.* §. II. *Multiplices viæ, caſu detectæ, enarrantur, quibus aut ſopitus morbus, aut ſublatus fuerit. Hunc in ſcopum ſimplicia quædam laudantur.* §. III. *Exemplum mirabile curatæ in adoleſcente Epilepſiæ. Mors ejusdem alia de cauſa orta; & inſpectio cadaveris.* §. IV. *Epilepſiam vafri homines varias ob rationes plurimum ſimulant. Bina, quæ id oſtendant, exempla enarrantur.* §. V. *Variæ leges dolos eorum malos expiſcandi, & demonſtrandi.* §. VI. *De Dæmoniacis fictis, eosque palam proſtituendi methodo. Magna prudentia Medicis opus eſſe oſtenditur.*

§. I. Epilepſia morbus eſt omnem artis opem haud raro eludens, ſæpius tamen vel curandus integre, vel ita ſaltem moderandus, ut, cauſa procatarctica ablata, proegumena veluti ſopita maneat, atque ita certo quodam ſenſu morbus plane abactus eſſe videatur. Unde plurimum juvat, quæ ſymptomata aliquandiu, aut mox, ante inſultum præſentiat æger, apprime noſſe; nota autem tollere, aut ſaltem ſuffocare poſſe. Experimentis enim conſtitit horum felici ac

prompto

prompto moderamine, haud raro totum averruncari Paroxyſmum. En ex pluribus unum! Inexpugnabilis multis ab annis Epilepſia tandem & ante paroxyſmum nauſeas, & in paroxyſmo vomitus, exhibet violentos. Illuſtriſſimus Baro *Van Swieten*, egoque, ad Emeticum ante futurum paroxyſmum, deinde, ne Emetici turbæ nocerent, ad Paregoricum exhibendum, facile deveniſſemus, ni graviditas obſtitiſſet. Conſiderantes tamen poſtea & prægnantem, & fœtum, paroxyſmis vehementiſſimis gravius lædi, quam Emetici actione, Emeticum dedimus, Emeticum repetivimus: idque eo cum ſucceſſu, ut morbus integro decennio ſiluerit. Præſentiebat quidem illa aliquoties quædam veluti futuri inſultus inchoamenta, ſed & hæc uſu ſequentis remedii penitus compeſcuit. ℞. Spir. ſal. ammon. Tinct. Caſt. Suc. Aſæ fœt. a dr. 3. ter, quater, die 60. gtt. cum vino. Exacto vero decennio, ſummis animi mœroribus confectam repetens Epilepſia occidit.

§. II. Dum vero aut nihil horum ab ægro præſentitur; aut etiam præſenſum auferri nequit; aut denique ablatum, effectum cauſæ latentis non ſopit: ſæpe immedicabilis morbus haberi ſolet. Attamen ne tunc quidem abſolute conclamatum pronunciare oportet. Fuere quibus excitatus ille, & nutritus, opipara ac deſidioſa vita, ſubita fortunarum jactura per omnem vitam, haud contemnenda plane compenſatione, ſiluerit. Alii, quibus caſus ab alto in cranium, vulneraque ejusdem, aut contuſiones, morbi aut moderamen, aut integram effecerint abſentiam. Etiam mutatione domicilii, diuturniore peregrinatione, vitæ genere prorſum permutato, quidam leguntur ſe etiam ab ipſa gentilitia labe præſtitiſſe immunes. Ars hæc, ſimiliaque, contemplata, ac imitata, ſtupendas nonnunqnam curas perfecit. Sed & ſimplicia uſu detexit, quæ ſummæ ad hunc morbum refrænandum efficaciæ ſint.

Hæc inter *Pœonia*, *Viscus Quercinus*, & *Radix Phy*, ſive *Valerianæ*; *foliis omnibus pinnatis* dictæ Botanicis. Vidimus ſane rebellem dudum morbum aut hisce mitigatum, aut ſilentem penitus. Experimenta noſtra dudum facta confirmavit nobis doctiſſimus Vir *J. Scopoli*, Phyſicus *Idrienſis*, *Flora* ſua *Carniolica* clarus, qui binis dragmis pulveris Radicis *Valerianæ* quotidie datis, deinde ejusdem decoctæ libra poſt ſingulam pulveris dragmam exhibita, Epilepſiam triennem, ex terrore, (peſſima ſane origine) natam, & quovis fere die adorientem, jam per decem ſeptimanas, dum hæc ad me ſcriberet, ſuppreſſerat.

§. III. Sed præterea dum polymorphus hic morbus nos per hæc omnia tentantes, prorſum eludit, nonnunquam nobis, animo ad cuncta attentis, ſui amotionem veluti furtim indicavit. En notabile ejus, quod habuimus, exemplum!

Sexennis puer, ſaniſſimus, inſiliente in ſe cane moloſſo ita terretur, ut integro triduo convellatur, horrendosque poſtmodum Epilepſiæ inſultus fere quotidie patiatur. Morbus ad omnia rebellis, ac per ſexennii ſpatium perdurans, ignoto Parentibus remedio paululum mitescebat; ſed novo irritatus pavore, nec ultra ignoto remedio moriger, puerum vario modo, quotidie, eodemque die multoties, adoritur. Tandem inter pauperes, qui mane Noſocomium conſilii cauſa petunt, mihi ſiſtitur.

Radicem *Phy* trium ſeptimanarum ſpatio ipſi dedi, ſed ab eadem deſiſtere increscens vis morbi me compulit. Quo autem ſecurior medicina eſſet, illum in Noſocomio locavi. Sedulo examine conſtitit vigeſies & ultra, die, inchoari paroxysmos, ſed ſemel tantum, bisve, compleri eosdem; idque hoc modo ſingulis diebus ac noctibus. Virus *Caſtorei* copioſioris me explorantem, itidem effectus eluſit. Quemadmodum etiam aliorum fœtidorum, & acrem ſpiritum rec-

torem

torem habentium, uſum. Morbus varietate terribilis nunquam graviores ſuos inſultus modo perficiebat eodem. Alio enim tempore totum corpus, medium autem alio, convellebatur, altera ſui parte obrigescens. Nunc Opiſtotonos; Emproſtotonos utcumque alio tempore fuit. Jamque una vice vehemens calcitratus, alia vice manuum in proprium pectus, caputve, tanta agitatio, jactatio, vibratio, ut, ni cautum fuiſſet, ſibi nocuiſſet vehementer. Sudor perquam fœtidus inſultum comitabatur, copioſus ita, ut induſium, lectusque, plurimum maderent; tenax itidem adeo, ut corpori, ceu quopiam glutine, adhæreret. Mugitus, ululatus, rugitus, gemitus, vultusque omnem in modum horridus, & urinæ profluvium, Paroxysmum frequenter concomitabantur.

Interim morbo quotidie in pejus verſo, nascuntur ſigna vehementis humorum rarefactionis, quam ipſa natura haud levi narium hæmorrhagia teſtabatur. Sed ſæpius me Mater monuerat, nunquam ipſi graviores fuiſſe, frequentioresque paroxysmos, quam qui hæmorrhagiis ejusmodi ſucceſſiſſent. Re nihilominus crescente, admodumque urgente, ſanguinem pede bis detraximus, diluimus, moderavimus, ſed morbum hinc vehementer augeri doluimus.

At vero dies diem docet. Animum quippe quamcumque in partem vertentes, conſtanter demum obſervavimus puero jacenti, frequentique ſomno obrepto, morbum frequentiorem eſſe, quam aut ſedenti, aut vigili. Hanc ob cauſam majore diei parte illum in ſedili locavimus, vigilemque variis objectis mentem grate occupantibus ſervare anniſi ſumus. Senſim hinc inſultus rariores.

Verum ſoporoſus erat. Et tandem ſomno quidem capto paroxysmum accedere, nunquam autem vigili, advertimus. Ergone cauſa tetri mali latens aptiores in ſomno nervos, ut agitaret, invenit, quam vigiliarum

tempore? Utique experientia convincebamur, quo Adoleſcentem diutius vigilem ſervabamus, eo rariores contingere paroxyſmos. Sic liberos quidem dies integros nanciſcebamur; nocturnos vero inſultus, cum tamen dormiendum erat, averruncare non poteramus.

Aliud igitur conſilium arripuimus. Vigili inſultus ultra non fiunt: fiunt autem, dum ſtertoroſus eum ſomnus capit. Ergo cauſa latens invenit nervos ſomni ſtertoroſi, quam vigiliarum tempore, ad Convulſiones, ad Tetanos, ad Spaſmos, aptiores. Ipſeque ille ſtertor ſomnum minime naturalem eſſe demonſtrat. Quid igitur ſi opio nervos inſenſiles redderemus, ne cauſa illa, ignota nobis, irritare eoſdem poſſet? Sed contra: Nunquid opium in diſpoſitione adeo comatoſa ſomnum non poſſet æternum facere? aut per omnem vitam ſtupiditatem? Sed periculo ſaltem vacabit minima doſis. Igitur tentavimus. Jamque minima doſis in corpore, opio neutiquam aſſueto, nec ſoporem augebat, & tamen boni præſtabat quidquam. Doſin ideo prudenter auximus; omnem omnino Paroxyſmum averruncavimus; pro ſopore ſomnum naturalem produximus; puerum brevi agilem, alacrem, ſanum, ſalutavimus; Matri reddidimus.

Uſus Adoleſcens integra per tres menſes valetudine, ad Noſocomium rediit; tumorem ſponte in inguine natum mihi exhibiturus. Hernioſusne eſſet, an alius generis tumor, ambiguum fuit. Ventre primum liberato, emolliens Cataplaſma appoſitum eſt. Sed paucis poſtea diebus nuntiavit mater Dyſenteria, quam mihi non indicaverat, ſed commiſerat Balneatori, filium periiſſe.

Cadaveris examinandi copia fuit. Patuit tumorem in inguine ante aliquot dies exhibitum, ingentem fuiſſe abſceſſum. Nodus durus nervo diaphragmatico in medio ſuo itinere arcte circumcretus inveniebatur; aliusque ſimilis illi ejus loco, ubi in diaphragma abiturus erat. Thalami Opticorum emarcidi. Nun-

Nunquid vitia enarrata nervorum, medullæque, diu poſt Epilepſiam nata ſunt? An vero dudum præſentia, cauſam proegumenam poſuerunt, cui terror accedens, cauſam Epilepſiæ proximam cum illis formaverit? Incertum! Saltem aut Idiopathica Epilepſia a terrore genita, excitatave, aut Idiopathica a terrore cum male affecta medulla cerebri orta, aut demum invincibilis Deuteropathica, ex male affecto nervo diaphragmatico & terrore nata, arte medica ſi non curabilis, ſopiri ſaltem ita, ac ſi penitus abeſſet, ſe poſſe oſtendit.

§. IV. Sed tœdioſa cauſa ingratam obſervationem, Tyronum in gratiam, adjungere jubet. Quippe nulla re turpius decipimur, quam Epilepſia, aut Convulſione, fictis. Vix morbus datur, quem & frequentius, & artificioſius ſimulare Mendici norint, quo tranſeuntium animos in commiſerationem commoveant. Pueri ac puellæ hanc vafram fingendi artem a ſe mutuo diſcunt, ne vapulent; vel ut mollius tractentur; vel ut nihil cogantur addiſcere: quemadmodum vident cum pueris, quos in paroxyſmis forte viderint, a parentibus, tutoribusque agi. Maturam Virginem Procorum penuria torquet, angitque. Forte caſu audit a garrientibus inter ſeſe matronis Epilepſiam matrimonio nonnunquam curari. Ergo eam artificioſe fingere diſcit, quo cogat Parentes ſe viro jungere. Monachus, quo a Choro, a jejuniis, aliaque monaſticæ vitæ aſperitate ſe vindicet, ſe fingit convulſum. Quin & ſine peculiari intentione ipſe malus animus eo nonnullos ſeducit. Tandem etiam in ſcenam diabolus adducitur, quo obſeſſos ſe fingunt, intentione ſontica varia, etiam, quis credat! ſuperſtitionis roborandæ cauſa. En aliquot, quæ habuimus, exempla!

Adducebatur mihi puella gravi auditu laborans. Quo revellentibus, & factis in aurem injectionibus, reſtituto, Convulſiones ſuboriebantur, quas hoc ordine

dine contingere Mater narrabat. Incipiebat tremere puella, angi, anhelare, clamare, brachia agitare, totumque corpus, humi cadere, pollices fortiter intra pugnos firmare, vociferari, cantare, ore tandem producere ſpumam. Principio bis, ter, die, id contigiſſe; jam autem quavis ferme hora.

Commodo meo morbum examinaturus, puellam juſſi in Noſocomio ſervari. Vidi illam, eadem die, in lecto decumbentem, convulſam, mediisque in Convulſionibus pollices adeo fortiter intra pugnos firmare, ut maxima vi vix ſolvere valerem. Oculos horrende agitabat. Attamen dolum ſubeſſe ſuſpicabar 1mo. quod oculi durante Paroxyſmo non connivendo, ſed ſano prorſum modo, aperirentur. 2do. Quod pulſus fere naturalis eſſet. 3tio. Quod cortinis lecti clauſis pupilla dilataretur, viciſſimque apertis iisdem contraheretur. 4to. Quod pupillæ admota candela vividiſſime ſe contraherent, & puella quaſi nocumentum inde percipiens, caput rotaret. Igitur e lecto ſtatim exemi: minitantem ipſam lapſum Cuſtos ægrorum minis, ſi caderet, intentatis, erectam ſervavit, & baculo munitus, eoque veluti vibrans, Convulſionum progreſſum ſtitit. Convicta demum puella, fatebatur & ſurditatem olim, & nunc Epilepſiam, finxiſſe ſeſe, ne cogeretur munus ancillare obire, cui eam Mater deſtinaverat.

Hanc in fingendi fallendique artificio craſſiorem, ſequebatur aſtutior Adolescens, quem vaframento ſuo pluribus me luſiſſe diebus fateor. Mirifice convellebatur toto abdomine, tumque vehementer ſingultiebat. Ortum porro id aſſeverabat Mater, quod Emeticum ipſi datum fuiſſet. Adjungebatque Paroxyſmum non raro etiam invadere dormientem. Detentus aliquot diebus in Noſocomio, enemate, epithemate, neuroticis ac paregoricis, ſanitati, ut videbatur, reſtitutus, Parentibus redditur. Vix vero tantiſper pa-

ternas incoluerat ædes, quin repeteret Paroxysmos, & a Matre in Noſocomium reduceretur. Fucum ſuſpicatus, privato eum cubiculo incluſi, ubi ſe ſolum credens, nobis eum per rimam contemplantibus, tranquille ſedebat, nobis intrantibus in Convulſiones Singultusque prorumpebat, nobis egreſſis iterum ſedatus. Imo idem in Paroxysmo contingebat, dum adſtantes aliorſum cerneret occupatos; nam fictis tandem motibus defatigabatur. Patri arceſſito veritatem fateri coactus, ideo ſe ſimulaſſe hæc confeſſus eſt, ut a Magiſtro, apud quem carpentariam artem diſcere cogebatur, dimitteretur, ædibusque reciperetur paternis. Igitur vel Mater cum Filio colluſit, dum etiam dormientem malo invadi affirmaret, vel ipſe novit ſe dormientem vaferrime fingere.

§. V. Verſati in hisce Practici ea paſſim experiri ſolent, quæ jam enarravi, quo doli latentis fiant certiores: ac præter hæc omnia, bonis unguibus norunt prehenſam cutim rudiſſime vellicare; imo ignem manui, aliisve corporis partibus admovere, & ſi ne id quidem juvat, ignem immediate adplicare ſolent. Exempla docent fictas Epilepſias ejusmodi tentaminibus ſe prodidiſſe.

Attamen & morbum fictum eſſe, & ne igne quidem poſſe detegi, non caret exemplo. Sceleſtiſſima femina 20. annorum, quæ animi gratia vetulam truculenta manu occiderat, faſſa in carcere eſt horridam Epilepſiam, qua longo tempore laboraſſe credita fuerat, ſe impio animo finxiſſe; id quod etiam experimento confirmavit. Morbum enim ſimulare juſſa, ita ſimulavit, ut quivis fere crederent fictum morbum in verum demum abiviſſe; juſſaque medio in paroxysmo ſurgere, & tranquille ambulare, ſurrexit, ambulavit. Hanc nos, Illuſtriſſimus Præſes, Spectabilis Decanus, & Clariſſimi Profeſſores, ſupremo juſſu, nomine Inclytæ Facultatis Medicæ examinantes, eadem audacter

proferentem, & repetentem audivimus. Et quod res eſt, oſtendit nobis tres fœdas in manu cicatrices, quas ipſi igne Chirurgus, urendo veritatem exploraturus, olim inuſſerat, quasque inuri ſibi adeo tranquille pertulerat, ut ultra nemo de certitudine Epilepſiæ dubium moveret. Quis crederet remedium, adeo ceterum infallibile, quandoque turpiter fallere poſſe? Melius profecto in hac ſceleſtiſſima muliere Pariſinum ſucceſſiſſet experimentum. Cum enim quisquam ad Epilepſiam in platea adſtantium fucum ſubolfeciſſet, juſſit convulſo paleam ſubſterni, ne ſibi læderet: quo facto, utrumque paleæ extremum flamma incendit, effecitque, ut vaferrimus homo fulmine citius fugam capeſſeret.

§. VI. Sed & aliud Convulſionum genus hic memorandum eſt, quarum autor, horreſco referens, Sathanas dicitur. Utroque in ſexu id expertus ſum. Plures feminas, quas a diabolo obſeſſas vulgus non modo, ſed & Sacerdotes jurabant, Augustissima Imperatrix ad Noſocomium practicum deferri juſſerat, examinandas. Examinavi porro easdem eo munitus principio, quod homines a dæmonibus revera obſideri, ut ajunt, queant; quodque id invictis argumentis tum ex Novo Teſtamento, tum ex genuina Hiſtoria Eccleſiaſtica, & SS. Patrum doctrina, petitis, indubitatisſimum ſit; ut meridiana luce evidentius Illuſtriſſimus Præſes, cap. de Epilepſia, demonſtravit: ſed ſimul eo principio, quod ſæculis poſterioribus, præſertimque corruptiſſimo noſtro, millenæ fingantur fallaciæ, quas utinam Simpliciores Monachorum, Sacerdotumque, haud ita foverent! Horum porro principiorum ope fraudem facile detexi, detectam revelavi. Ubi igitur res mihi conſtabat, ſic egi: Cuſtodes ægrorum, ſingulos bona aquæ amphora munitos in acie collocabam, ut mox, dum ad auditum venerabile DEI nomen, nominave Sanctorum, rerumque ſacrarum,

fictus

fictus diabolus corpora pro more agitaret, integram amphoram unico ictu in faciem, pectusque profunderent; idque ita, ut ſi ad primam profuſam inſultus non ceſſaret, ſuam ordine omnes evacuarent. Prima utique vice amplo ſatis aquæ dolio indigebam: ſed cum intelligerent omnes deinceps Convulſiones hanc ſortem habituras eſſe, non habuerunt poſtmodum ullas, ſed integre ſanæ apparuerunt.

Nemo in nos, confido, quod rude adeo & incomtum experimentum tentaverimus, tanquam in profanos, indignabitur. Eramus aliis argumentis plane convicti de fraude nefanda; ſed ejus fabricatores publice convincendi erant. Ad exhibitam v. g. ſanctæ Crucis imaginem, aut ad alias res ſacras, quas corpori adplicatas illico diabolum revocare ferebant, videramus quidem ſtatim id, quod prædixerant fieri: ſed quando easdem res ſacras involveramus, ut, quid eſſent, non adpareret; involutasque eisdem applicueramus, Convulſio nulla excitabatur. Si quoque rude lignum aqua ſacra aſperſum eſſe dicebamus, eoque corpora tangebamus, furebat diabolus; itidemque ſi ipſa corpora aqua luſtrali aſpergebamus; ſed æque valide etiam, dum aqua mera utentes, tantum fingeremus eam aquam ſacram eſſe. Igitur fraudis certi, reliquum experimentum duntaxat inſtituimus, ut dolus omnibus pateſceret.

Igitur ſanctiſſimæ noſtræ Religionis veneratione & amore ducti, debuimus ea confundere, quæ illam adeo dehoneſtent: & ex corde vovemus, ut ii, quorum eſt Catholicam Religionem tueri, propagare, & ornare, a depravata aut malitioſa hominum idea fovenda, ſtatuminandaque, abſtinerent; & ſive per ſe, ſive per alios, eadem, quæ nos, tentamina inſtituerent. Utique haud tam ſæpe res ad Religionem ſpectantes, ludibrio & irriſioni exponerentur, nec ipſi illi, fraude poſtmodum detecta, ignominia confunderentur.

Pro-

Profecto ſi ad doctos hominum dolos, eruditamque vafritiam, Medici ſe non aliquantulum cautos, atque ſubargutulos præſtent, & artem ſuam, & ſe ipſos, ludibrio continuo exponunt. Caſus quotidiani ſunt. Haud ita pridem femina aderat, quam ipſe Confeſſarius, tanta Religione pollere, tanto eminere pietatis exercitio, aſſerebat, ut ſi Sancti in hac tellure haberentur, hæc ſaltem Sancta habenda foret. Anxietatibus, & plane ſingularibus faciei convulſionibus viciniam totam in commiſerationem ducebat. Hinc illam in Noſocomio ſuſcepi, & bona fide aliquantiſper deceptus, tandem attentior in rem detexi pulſum & ante inſultum, & ſub inſultu, poſtque eundem, nunquam non optimum eſſe; dum de proſtrato prorſum appetitu conquereretur, eam integram ſuam portionem avide abligurire; & durante paroxysmo me manibus meis ita vultum ejus componere poſſe, ut Convulſiones plane ceſſarent. Convictus doli ego, turpitudinis eam ſuæ, ſuæ hypocriſeos, convincere annitebar, ſed incaſſum. Alio ergo modo convincenda erat. Cura per aquam, ut in dæmoniacis fictis inſtituta, effecit, ut Convulſiones redierint nunquam, licet adhuc per 12. dies in Noſocomio detineretur. Sed ne tunc quidem finis fingendi. Quippe a facie malum in pectus delapſum eſſe, continuumque creare anhelitum conquerebatur. Fraudem ipſa prodidit dum liberrima, & longe producta reſpiratione fruebatur, quando per horæ quadrantem mentem ejus grato, quem cum illa miſcebam, ſermone, a decipiendi ſtudio abduxeram.

*De Calculo, Uva Urſi, Lithontriptici*s *Dictis, &c.*

§. I. *Hiſtoria hominis a diuturnis calculi doloribus Uva urſina liberati; eaque occaſione deſcribitur remedium, quo ſibi olim multum profuerat.* §. II. *Alius Calculoſus, qui quodam remedio multum levatus, deinceps vero minime, ab Uva Urſi juvabatur; viribus autem penitus extenuatis moriebatur. Miranda ejus Anatome. Non curat Uva urſina, quos Lithotomia non curaſſet. Recenſio multorum, quæ vocant, Lithontripticorum; quæ probantur Uvæ Urſi viribus minora.* §. III. *Uva tamen quosdam non niſi tarde admodum juvat, imo nonnunquam Recidivam poſt ſe relinquit, ſi non continuatur: his ſectio ſuadenda, ne degeneratio partium immedicabilis fiat.* §. IV. *Congenitus veroſimiliter calculus felici ſectione curatus. Anceps hæc curatio, cum omnibus eam ſuadentibus, diſſuadentibusque, argumentis enarratur, acutiſſimusque illi mox ſubſequus morbus: tum etiam urinæ phænomenon, Uvæ Urſi neceſſitatem, etiam poſt ſectionem indicans. Subjunguntur, intermiſcenturque obſervata circa Lithotomiam, & incommoda, quæ illa nonnunquam poſt ſe relinquit.* §. V. *Urinam Calculoſus reddit, in qua, dum in vitro quieſcit, lapilli generantur. Homini huic Uva Urſi mirifice confert. Puer calculoſus, quo toto tempore* Stepfenianum *remedium ſumit, calculoſa ramenta cum urina copioſiſſima emingit; ſectione nihilominus liberandus. Non fuere ſoluti Calculi ramenta, ſed corpora genita a materia terrea copioſa, in veſica præſente. Forſan generalis Calculoſorum ejusmodi Diſpoſitio eſt. In contrarium autem affertur Hiſtoria Rev* Kirkpatrik, & Quadraginta Calculoſorum, *in Actis* Acad. Reg. Scient. Pariſ. *ex quibus* Cl. Morandus *concludit id proprie effectum eſſe remedii*

An-

Anglicani, *vireſque ejusdem Lithontripticas hinc demonſtrari. Argumenta contra hanc ſententiam.* §. VI. *Novum experimentum oſtendens id multiplici obſervatione conſtare, quod hæc ipſa Diatheſis Calculoſis communis ſit, quodque ſincere loquendo* Stepfenianum *Medicamentum, ſi forſan ſapone, ac calce, quibusdam levamini eſt, plurimis tamen ita hanc in Calculoſis diſpoſitionem augeat, ut id jam fiat in veſica, quod alias in matula. Conjecturæ quædam circa Lithiaſin, & circa originem copioſæ adeo calcariæ materiæ.* §. VII. *Binæ noſtræ methodi in calculo videntur cæteris hucusque cognitis anteponendæ. Vires horum omnium vere Lithontripticas nulla experimenta adſtruunt. Unde cura integra non eſt, ſed egregie adeo pallians, ut homo æque liber ſit ab incommodis morbi, ac ſi calculum non haberet. Nec calculus extra corpus humanum in aqua calcis magnam partem ſolutus, aliud docet. Tandem problemata proponuntur circa cauſam hujus indolentiæ.*

§. I. Spatio elapſi Academici anni frequentiores quosdam olim morbos, obſervavimus rariores; Paralyſin nempe, Calculos, ac ſyſtematis urinoſi alias affectiones: haud tamen ita raros, quin novas obſervationes colligere potuerimus, quorum præcipua dabo, una cum nondum communicatis antiquioribus.

Vir mediæ ætatis a 14. annis dolores in mittenda urina percipiens, cujusdam conſilio uſus eſt quotidie, ſpatio novimeſtri, ſeptem nucibus Avellanis, & novem Juniperi Baccis. Quo remedio, poſtquam urinam vini fœcibus ſimilem trimeſtri tempore minxiſſet, vitam diu tolerabilem duxit. Tandem tamen dolores redierunt, & urina anni abhinc ſpatio glutine copioſo ſcatet, validique adeo urgent teneſmi, ut Inteſtinum Rectum ad pugni molem extrudatur. Remiſſionis tempora obſervat nonnunquam. Et quæ utilia quondam remedia fuerant, ea uſu nunc caſſa expe-

peritur. Calculus, Cathetere inducto, manifeſtus adparuit.

Integris ſex menſibus Uva Urſi, & opiato nocturno, uſus, fere convaluit, ut leviora, quæ nonnunquam ſuperſunt, incommoda non curet, remediumque, quod ćeterum gratis habet, & facile ſumit, prorſum negligat. De induſtria formulam remedii quo malum quondam compescuerat, addidi; ut plura in rerum natura exiſtere intelligeremus, quæ hasce ærumnas mitigent. Aliud ſequens hiſtoria dabit.

§. II. Vir 32. annorum a 4. ætatis anno urinæ difficultati obnoxius vixit, varioſque excrevit calculos. Ad vitæ ſuæ annum 24. mulierculæ conſilio, liquore uti cepit, qui odore ac ſapore Therebinthinam referret, eoque integri ſeptennii ſpatio optime ſe habuit. Pauper ipſe, cum liquori ſolvendo ultra non eſſet, ſubſtituit Juniperi Baccas, immenſaque devoravit quotidie copia. Tandem vero redeuntis doloris crudelitate iterum victus, antiquum liquorem repetivit; ſed jam citra levamen. Doctiſſimus *Gleisner*, qui jam *Græcii*, *Styriæ* Metropolis, praxin magna cum prudentia & laude exercet, miſeri hujus curam ſuſcepturus mecum conſuluit, datisque cum Uva urſina, & Opiato, traumaticis ob puris eminćti copiam Decoctis, ingens ſolamen homini attulit, & a doloribus per tres ſeptimanas immunem præſtitit. Homo tamen labescentibus ſenſim viribus contabuit, periit.

In cadavere renes magni, ſiniſter præprimis, ſaccos pure plenos referebant. Ureteres ita ampliſſimi, ut ſiniſter Inteſtinum Colon amplitudine ſuperaret. Veſica circum calculum contracta, ac plane ulceroſa. Calculus uncias quatuor, una dragma minus, pondere pendebat, fuscus uno latere, altero cinereus.

Confirmari dato exemplo cernimus, quod Tom. I. variis anatomicis obſervationibus poſueram; eos nimirum Uva Urſi non curari, quos Lithotomia curare

non

non potuiſſet. Calculi quippe ſectio degenerationem ureterum, ac veſicæ, renumque, non emendat, non aufert. Deinde ex enarratis patet ſolamina plura adhiberi poſſe, quibus longa annorum ſerie ſopiantur hæ calamitates. Occaſione liquoris Therebinthinam referentis memini olei dicti *Harlemenſis*, apud *Batavos* famigeratiſſimi, quod Therebinthinam odore ac ſapore quoque multum æmulatur. Equidem nocet multis, aucto forte ſtimulo, aliave ejus qualitate; ſed plures tamen novi, qui ejus uſu per annos ſeſe præſtent doloribus immunes. In Millepedibus cum Oleo Vitrioli Roſtochii *Laurenbergius*, in *Diſſert.* de *Lithontrip.* ad *Hoyerum*; in Olei Vitrioli rectificatiſſimi uſu copioſiſſimo *Schulzius* (vid. *Diſp. Chir. in Collect. Ill. Hall. tom.* 4.) efficax ad calculum remedium inveniſſe ſe autumarunt. *Uva Urſi* tamen reliquis palmam præripere videtur, quia & pluribus prodeſt, & conſtantes curas, calculo etiam manente, efficit.

§. III. Porro quanvis celer in multis ejus effectus ſit, in aliis tamen tardus admodum obſervatur; id quod in bienni infante, ante triennium mihi exhibito, præprimis obſervavi. Etenim datum per 4. menſes remedium vix juvabat quidquam; deinde inconſtanter; jam vero ab anni elapſo ſpatio conſtantiſſime: ita tamen, ut ſi ſemper bene valentem eſſe puerum Parentes velint, pulveris uſum intermittere nunquam debeant. Aſper calculus ipſi ante triennium deprehenſus, ſimilis etiam hoc anno, repetita per Catheterem exploratione, inventus eſt.

Hic ſane puer non eum remedii habuit, quem alii, effectum. Alii enim poſt longum ejus uſum nesciunt ultra ſe calculo laborare, quanvis a longa die remedio carentes; hic ſi diu intermittat, a redeunte dolore ad idem confugere cogitur. Quare ſi hoc anno id non emendetur, facile proponemus Parentibus Lithotomiam; cum ab una parte Uva Urſi, magnopere licet

ipſi

ipſi proficua, clare tamen innuat aliquam, quanvis forte nondum valde notabilem, urinoſi ſyſtematis degenerationem; prout obſervata Tom. 1. data docuerunt: ab altera parte metus eſt, ne a diuturniore medicamenti uſu vel abhorrere puerulus, vel deſiſtere Parentes, incipiant, quod remedio dudum non adhibito, malum ſenſim renaſci videatur: quo in caſu miſerrimum in ſtatum puer dilaberetur, neglectuque auxilii in Veſicæ, Ureterum, Renumve, immedicabilem incideret degenerationem. Ita ſimili in caſu hoc anno fecimus.

§. IV. Quippe menſe Februario anni 1759. Parentes ad me ducunt novennem filium ſuum, qui ex quo natus erat, perpetuo ipſis viſus fuerat in emittenda urina dolere, ejulare, eamque nunquam naturaliter, ſed perenni reddere ſtillicidio. Ærumnis hiſce pauperes pedetentim aſſueti medelam non fecerant; jam vero cum ſine commiſeratione intolerabiles pueri dolores a 14. diebus adſpicere ultra non poſſent, eum mihi obtulerunt. Immiſſo cathetere Calculum manifeſte deteximus.

Bimeſtri ſpatio incredibile quantum Uva urſina profuerit! Renaſcente nihilominus poſthac dolore, omnem curationis fiduciam depoſuere Parentes, puerumque omni deſtitutum reliquere auxilio. Interea ita crevit crudele malum, ut nunc hunc, nunc illum, levandi cauſa, adierint. Integro demum anno, ex quo puer ultimo nobis oblatus fuerat, elapſo, Pater illum hoc menſe Majo iterum adduxit, enixe petens, ut eum ſectione liberaremus. Calculi præſentiam exploraturi, catheterem non niſi cum labore, dolore, hæmorrhagia, inducere valuimus, nec movere inductum: ita ut calculum ea vice non perciperemus. Digito vero in anum immiſſo, eundem verſus veſicæ collum deprehendere videbamur.

Hic optimus noſter Chirurgus *Ferdinandus Leber*

egoque, rem citro, ultroque, verſavimus. Repræſentabamus nobis 1mo. Caſum ut fere congenitum, forſitan incurabilem fore, & notabiles nonnullas partium degenerationes jam adeſſe. 2do. Uvam Urſi initio prodeſſe viſam, reditum calamitatis minime impedivifſe, adeoque non juvante ea, nec Lithotomiam, ex factis antea obſervationibus, profuturam. 3^{tio}. Veſicæ ad calculum contractionem, tum impedimento fore, ne operatio rite peragi poſſet, tum ſi adhuc perageretur, vulnus veſicæ denſæ, cartilagineæ, imo ſcirrhoſæ, non coaliturum. 4to. Hisce iisdem difficultatibus fortaſſis etiam alios permotos fuiſſe, ut operationem prudenter a ſeſe declinarent; ac proinde eadem nobis non ſuccedente, aut juſtam deprehendendi, aut ſaltem iniquam calumniandi cauſam, nos iisdem præbituros.

Sed ab altera parte conſiderabamus 1mo. Patrem, aliosque, qui nobis puerum commendabant, id ardenter deſiderare. 2do. Vires ejus aptas ad ſubeundam ſectionem. 3^{tio}. Ex reditu doloris ad degenerationem partium paulo forte meticuloſius concludi; cum Uva urſina haud ſufficienter adhibita fuiſſet. 4to. Veſicæ validam circum calculum contractionem, indurationemque, tum operationi, tum vulneris conſolidationi, impedimento quidem fore; attamen id nondum certo conſtare. Cavis namque in viſceribus nunc ſummam obſervari contractionem, nunc iterum relaxationem; adeoque ad eorum contractionem ſemel, iterumque perceptam, velle eandem perpetuam credere, iniquum fore. Argumento eſſe experientiſſimi *La Motte* obſervationem, qui tertio jam die uterum contractiſſimum, una cum ſuo Collega, offendens, partumque lege naturæ impoſſibilem credens, demum parturientem DEI ſolius auxilio commendaturus, abiturusque, ultimo tandem explorare tentabat, jamque mirabundus contractionem ita relaxatam deprehen-

hendebat, ut breviorem, commodioremque partum vix unquam vidiſſet expertiſſimus Embryulcus. Sed etiam mutuæ noſtræ circa veſicam urinariam experientiæ, mutuam nobis memoriam refricabamus. Adeoque nec hoc operationem impedire oportere, ſi nova exploratione contractionis relaxationem deprehenderemus. 5to. Denique ſi ad ſectionem rationes ſufficienter probabiles adeſſent, quæ ſartam nobis tectamque conſcientiam redderent, famæ detrimentum omnium poſtremum eſſe oportere, ad quod ii attenderent, quibus proximi ſalus unice ante oculos verſaretur.

Sectionem igitur concludentes, inſtituimus eam die 26. Maji, præſentibus Magnifico Archiatro *A. Störck*. Cl. Viro *J. Gaſſer*, digniſſimo noſtro Anatomes Profeſſore, Viro expertiſſimo *L. Erndl*, Phyſico in Noſocomio Civico, Medico prudentiſſimo, optimo Chirurgo Cæſareo *Homburg*, dexterrimo ad S. Marcum Chirurgo *Reigberger*, Noſocomii Aſſiſtentibus, aliisque.

Catheterem, Itinerarium in operatione dictum, non niſi magna cum difficultate Operator *D. Leber*, induxit, ſanguine denuo ex uretere profluente: eo vero intra veſicam admiſſo, urina mox jactu valido, & continuato, Catheteris apertura proſiliit, ipſeque Catheter commode in veſica movebatur. Intinerarii apice oblique ducto, ut fere 15. gradus notaſſet in quadrante circuli, ſi angulus rectus a centro Itinerarii & ad medium Perinæi, & ad latus, ductus fuiſſet, fiebat ſectio ſufficiens. Cujus longitudinem cernens Operator, eamque calculi magnitudine, per anum explorata, majorem intelligens, non uſus eſt inſtrumento famoſi Lithotomi *Le Dran*, quo in longitudinali ſectione adhuc alia fiat, quæ latus ſectionis externum in angulos rectos ſecet, ut calculo majus ſpatium paretur: eo, inquam, inſtrumento ob vulneris amplitudi-

nem haud egens, illico Conductorem introduxit, & extracto Itinerario Forcipem. Verum cum ſimul calculum digito in vulnere prehenderet, Conductorem, Forcipemque extraxit, ac digitis calculum prehendit, eduxit. Vix quinque minutis tota operatio durabat. Ejulans eo usque puer, mox ad viſum calculum præ gaudio exclamabat, veluti hoc momento omnium ærumnarum oblitus. Calculus ovalis, aſper, ſed mollior; ut ſi forfice captus fuiſſet, exteriore ſui parte omnino abiiſſet in grumos, parvosque lapillos. Erat ponderis unc. 1. dr. 1. ſcrup. 1. Potuit Chirurgus facile perluſtrare veſicam, alium calculum, grumosve, quærendi cauſa. Vulnus illico plumaceolo texit, & emplaſtro; repoſitoque in lectum puero, ventrem tepido oleo roſaceo totum inunxit, ac mappa lanea texit. Emulſionis leviter paregoricæ, & juris carnium, portio modica dabatur alternatim.

Fortunatiſſimam ſectionem horrida ſymptomata, a nobis ſane non prævisa, ſequebantur. Poſt meridiem quippe febris magna, veſpere ad octavam maxima, oriebatur; una cum peſſimo Peripneumonicorum roncho, tenſoque, & aſſeris inſtar duro, abdomine. Quare mox novem unciæ ſanguinis brachio detractæ, & emolliens cataplasma ventri, oleo bene inuncto, admotum eſt. Ingravescente autem poſt mediam noctem febre, roncho, tumore, ac duritie ventris, repetita V. S. fuit. Summe pleuriticus utriusque miſſionis ſanguis fuit. Exinde ſenſim decrevit febris, ac febricula modo per aliquot dies adfuit; urina per vulnus bene effluxit, pusque quarto die ad bona labia deprehenſum eſt. Eluebatur porro veſica ſæpius decocto hordei, cum oleo lini, ne quid heterogenei in eadem maneret. Emulſiones paregoricæ diu continuabantur.

Sed de Urethra nunc cogitandum erat. Vulnerata quippe hæc toties per Catheterem, nec amplius ſtilli-
cidio

cidio urinæ conſueto aperta, ſed collapſa, nunc facile coire, obturarique, poterat, omni urina per vulnus effluente. Cum enim a ſecto calculo nonnulli per omnem vitam urinas vulnere ſtillent, ſive ob vulneris non coëuntis malignitatem, vel ob Urethræ coalitionem, metuimus moleſtiſſimum hoc turpiſſimumque incommodum a poſteriore cauſa. Unde liquorem in Urethram quotidie injiciendum eſſe decrevimus. At vero læti advertebamus maturum urinæ per Urethram ſtillicidium, ideoque deſtitimus incepto. Tandem hortatu, multisque promiſſis, puerum deduximus ad conſuetudinem urinam in vitrum reddendi: unde clauſo penitus exacta ſeptimana tertia vulnere, ac cicatrice obducto, urinam deinde ſemper debito tempore retinuit, & in vitrum aut matulam reddere conſuevit.

Attamen necdum abſoluta cura noſtra. Glutinis, calculum veſicæ comitari ſoliti, & aliquoties puris, copia notabilis in fœtente urina quotidie adparuit. An id reſiduum ejus, quod calculi tempore in veſica præſens, injectionibus ablui, præ tenacitate, non potuerit? Et an veſica hinc inde exulcerata a calculo fuerit? Igitur mox Uvam urſinam dedimus, qua continuata urinæ fœtor paulatim emendabatur, & pauculum ultra illius materiei nunc prodit.

Quam pulcre hæc Lithotomia confirmat ſententiam, quam ſupra, de varia amplitudine & contractione viſcerum cavorum protulimus! Hinc raro deſperandum. Prudentia tamen ſemper opus eſt, ne veſicam, quo tempore adeo contracta eſt, importune lædamus. Nunquid, ſi ter, quater, eandem contractam invenimus, ipſam irreparabiliter contractam eſſe concludemus? Forte ſic eſt: ſed ſi per vices contrahatur, laxeturque, fieri id poteſt, ut ſæpius in contractionis tempora incidamus, & ut ea tamen haud perpetuo contracta maneat. Ita ut ne tunc quidem, ſine ulteriore examine, animum deſpondeamus.

§. V. Eſt hac occaſione de alio calculoſorum phænomeno diſſerendum.

13. Julii hujus anni ad me venit Civis *Cremzenſis*, vir 34. annorum, qui per 28. annorum ſpatium verus Lithiaſeos Martyr, cum ardore nunquam non minxit rubram arenam, calculos autem nullos. Evacuavit ſubinde olim, & nunc ſæpius ab octo retro annis, copioſiſſimam albam glutinoſam materiem; quæ pauculo tempore ſibi relicta, friabiles format, albidosque lapillos. Et hæc quidem in quiete. At ſi corpus itinere, aliove modo, movet, urinam fuſcam, ac ſtranguriosam deponere ſolet. Lapillos hos, quorum copiam habeo, diceret quis cretæ albæ majora eſſe minoraque fruſta, ad figuram demum vaſis, in quo urina ſervatur, formata. Incredibile quantum miſerrimus ille intra menſis ſpatium Uva Urſi mutetur, idque jam ab ejusdem initio: ut certe ſpem magnam faciat ſummi ſolaminis.

Juvat hic phænomenon referre, quod 20. abhinc annis obſervavi, una cum celeberrimo Viro W. *Ouwens*, *Franequeræ* Academiæ in Medicina Lumine, ac Celſiſſimæ Principis *Arauſionenſis* viduæ Archiatro. Calculoſus puer *Hagæ Batavorum* utebatur famoſo Anglorum remedio, *Joannæ Stepfens*, dicto; quod conſtat pulvere, decocto, & pilulis. Pulvis componitur ex putamine ovorum, & limacibus, domiportis dictis, omnibus vero calcinatis. Decoctum fit ex Sapone Hiſpanico, ſeu Veneto, ex calcinata herba dicta Ambroſia campeſtri, Floribus Chamomillæ, Fol. Fœniculi dulcis, Petroſelini & Bardanæ. Pilulæ parantur ex Domiportis calcinatis, ſemine Paſtinacæ ſylveſtris, ſeu Elaphobosci, & Lappæ majoris; tum ex Fructibus Fraxini, Rubi Idei, & Oxyacanthæ: horum omnium calcinatorum a. q. ſ. Cochleare pulveris cum unc. IV. Saponis Hiſpanici, & Mellis q. ſ. in pilulas redigitur.

Vi-

Videbamus porro hunc puerum, magno cum Parentum gaudio, cum urina quotidie emingere fragmenta alba, lapidea, vel calcarea; ejus quidem formæ, ut adparerent veluti excorticantis ſe calculi ramenta eſſe. Quanvis autem longo tempore ejusmodi materiem copioſe redderet, calculi tamen ſymptomata ideo non mitigabantur, neque imminutus deprehendebatur calculus. Ita quidem, ut tandem poſt collectam magnam ramentis hisce repletam pixidem, puer ſectione liberari a magno calculo debuerit.

An ergo in corpore illius pueri idem a glutine, in veſica calculoſorum contento, productum eſt, quod in cive *Cremzenſi* ab eadem materia in vitro? aut in matula? Et quidem ita, ut indurescens, lapidescensve, hoc gluten, primo adhæſerit circum calculum; deinde fragile nimis, per ramenta cum urina prodeuns, exfoliati in dies calculi ſpecie deceperit? Utique ſi binos hosce caſus inter ſeſe conferamus, videremur ejus fere convicti eſſe, quod talis ſit calculoſæ urinæ diſpoſitio, ut quandoque ſuo in glutine, ſive dum intra veſicam eſt, ſive extra eandem, petrificantem, ut ita dicam, hanc materiem gerat. *Cremzenſis* enim nihil ſumſit, quod ullam habeat cum *Sepfeniano* remedio affinitatem; ut exactiſſimo examine, iterato inſtituto, certus novi. Hanc autem ſententiam confirmabit afferendum deinceps ex clariſſimo *Adamo* exemplum.

Contrariam tamen concluſionem ſequentia videbuntur ſuadere. Rev. *Jacobus Kirkpatrik*, in edito morbi ſui diario narrat ſe, poſtquam 17. annorum ſpatio Nephritide calculoſa, & veſicæ calculo, laboraſſet, Stepfenianis medicamentis ab Octobri menſe 1738. usque ad Aprilem 1739. ſedulo uſum eſſe, & quod nunquam antea ſibi contigerat, jam ab initio curæ ſe ejusmodi fragmenta cum urina excreviſſe, idemque & durante tota cura, & poſt eandem, continuaſſe: ita ut majora minorave fragmenta numero 1036.

 emin-

eminxerit, prætereaque quinque parvos lapillos.

Sed ſecundo idem *Kirkpatrik* ſæpenumero in matula ſua advertit illud ipſum glutinoſum urinæ ſedimentum, in ſimilem, ſed ſæpe craſſiorem, magisque lapideam, abiviſſe ſubſtantiam. Egregius *Morandus* in *Act. Acad. Reg. Scient.* anni 1740. in ſua prima diſſertatione ſuper *Stepfenianis* medicamentis, obſervationes nobiscum communicans, quas circa 40. homines, iisdem uſos, juſſu Academiæ fecerat, adnotaveratque, aſſerit illos homines paſſim omnes ſolere, *Communement ils ont rendu* &c. ab ipſo remedii principio, cum urina gluten, albumque deponere ſedimentum; quod dum ſervaretur, atque ſiccesceret, in flavum pulverem abiret; huncque pulverem, dum igni imponeretur, animale quidquam redolere. Plures porro non niſi hanc ſolam materiem produxiſſe; alios autem etiam veluti *cryſtallizatas* laminas, talco perquam ſimiles; alios ſquammas lapideas, easdemque convexas; nonnullos dura fragmenta calculi; quosdam denique lapillulos. Additque eos, qui ante remedii uſum rubram mingere arenam conſuescerent, eandem ſub remedio ultra non reddere.

His ita utrinque poſitis, qui ab una parte conſiderat in glutine calculoſorum, qui *Stepfeniana* medela nunquam uſi fuerint, hanc calcariæ aut lapideæ materiæ geneſin haud ita deſcriptam eſſe; & e contrario eandem a glutine urinæ eorum, quibus hæc medela exhibita fuerit, fere inſeparabilem eſſe; in eam facile ſententiam abire forſan poteſt, quod ab eodem remedio miſeranda ad Lithiaſin diatheſis paſſim generetur, illudque ideo augere potius calculum, quam ſolvere, contererequе debeat. Equidem contrarium laudatus mox *Morandus* in altera ſua diſſertatione *Act. Academ. Reg. Scient. Pariſ. anni* 1741. evincere conatur; dum calculum hominis, qui poſt ejusdem remedii uſum, crudelitate morbi aucta, periiſſet; dum duos alios

cal-

calculos binorum hominum, quos remedio fruſtra uſos ſectione ſervare oportuiſſet; plenos invenerit inæqualitatibus, crenis, foraminibus. Fateor, cum claro hoc Scriptore in eandem olim ſententiam abiveram, præ argumenti probabilitate: ſed ab eadem diſcedere obſervationes poſtmodum captæ jubent, cogunt.

Obſervo enim 1mo. & civem *Cremzenſem* lapideam hanc, aut calcaream materiem abundanter reddidiſſe, licet nec hoc famoſo olim remedio, nec illi conſimili, unquam uſus ſit; & *Haganum* puerum, poſt tantam emiſſæ hujus materiæ copiam, nullam calculi, ſectione educti, ſolutionem exhibuiſſe. Conſidero 2do. præclaram remedii famam velocius forte evanidam, quam natam fuiſſe; ipſosque *Britannos*, ab octo & pluribus retro annis, in aqua Calcis cum Sapone, vix ulla *Stepfeniani* remedii facta mentione, omnem fiduciam collocare. Sed dico 3^tio^. ejusmodi calculos inæquales, ac veluti corroſos, foraminoſos, hinc inde pumicoſos, frequenter reperiri in his, qui illud remedium non adhibuerint; hasque præterea inæqualitates calculi æque ab adpoſita inæqualiter materie, quam ab eadem ſoluta & ablata, produci poſſe.

Fuiſſe tamen, quis oggeret, quos obſervationes allatæ integre curatos affirment. Reſpondeo nondum convincentia, quæ id ſtatuant, argumenta eſſe. Equidem copioſior Calcis, Saponisque, uſus, multis profuit, ut Nobiliſſimo *Horatio Walpole*, ut Homini noſtro *Tom.* 1. *Rat. Med.*, ut ibidem *Viro militari*, & ut novum exemplum adhuc præ oculis habeo. An vero ideo, qui remedium *Anglicanum* ſine noxa tolerantes, levamen inde experiuntur, curati dici debeant? Et *Kirkpatrik*, & reliqui Angli, Gallique, quos inde curatos fama ferebat, vix notabili tempore a remedio deſtiterant, dum promulgarentur eorum curationes. Imo ipſe *Kirkpatrik* vix ab illo ceſſaverat, quin lum-

borum ſe vexari dolore denuo conquereretur; quem tamen in gratiam, ut apparet, remedii, Lumbagini, quam Nephritidi, acceptam ferre maluit.

§. VI. Sufficiat porro, occaſione experimenti civis *Cremzenſis*, ea argumenta attuliſſe, quæ *Anglicanum* medicamentum laudent, vituperentque. Supereſt meam paucis opinionem dicam, quam novo experimento fundabo.

Urinas enim varias calculo laborantium collegi, gluten inde ſeparavi, & in aëre aperto, limpida urina abjecta, poſui. Brevi glutinoſum hoc exaruit, & dr. 2. aliquando dr. 3. materiæ lapideæ ad figuram vaſis formatæ exhibuit. An autem non detur calculoſus, quin idem phænomenon in ejus urina adpareat, nondum aſſero; ſufficiat experimenti demonſtraſſe frequentiam.

Summa ergo rerum hæc eſto: Quivis homo, etiam ſaniſſimus, calculi rudimenta in ſe habet, eo quod ſolida corporis continuata vitæ actione deterantur, abradantur, humoribus miſceantur, & magnam partem per urinæ vias eliminentur de corpore. Hinc etiam pro magna parte oritur terra illa ſubtiliſſima, quam Chemia in urinis invenit. Nullam inde labem ſanus homo habet; quia ex alimentis tantum ac tale deperditorum loco adplicat, quantum & quale deperditum fuerat: deinde cum nulla in itinere obſtacula terrea hæc materies offendit, innoxie, integreque de corpore eliminatur. Huic nunquam calculus naſcetur. At vero ſi contingat vel minimum corpuſculum alicubi hærere, ut v. g. fibrillæ portionem ſuppurando ſolutam, aut tantillum puris mora exſiccati, aut grumum ſanguinis, &c. id tunc inde proficiſci poteſt, ut terrea materies ad ejusmodi obſtaculum retardetur, adplicetur, & adhæreſcat: id quod dum continuo ſic pergit, ideam calculi nobis facile format.

Sed 2do. Experimenta, ut vidimus, docent in urina cal-

calculoſorum multorum copioſam materiem terreſtrem haberi, quæ in his cito, in illis tardius; in quibusdam ex ipſa urina ſtagnante, in aliis duntaxat ex aſſervato poſt effuſam urinam glutine; cretam quandam, lapillosque formet. Quæri hic poteſt, num omnis illa cretacea materies tantummodo a ſolidis humani corporis detritis? An vero dentur alimenta, potulentaque, quibus ſubtiliſſima hæc terra contineatur; quæ idoneo vehiculo miſta, lacteorum oscula ſubeat, cum ſanguine commisceatur, ab eodem per urinam abluatur? Sane Regiones, in quibus calculoſos vix invenire eſt, ut v. g. multi *Lombardiæ* loci, ejusmodi ſuggerunt ſuſpicionem.

An præterea calculoſam diatheſim id demum appellemus, quod efficiat, ut terreſtre id, quod in aqua, quod in alimentis, quod in vino eſt, minus ſubigatur, ad ſanguinem vehatur, cum ſanguine commisceatur, iterumque humorum circuitu, ac vi vitæ non mutetur, & in renibus tandem cum urina ſecernatur?

Nunquid etiam Arthritica materies eidem producendæ apta? Utique, cum Arthritidem ultimæ digestionis defectus efficiat, videntur minima quædam elementa terreſtria immutata manere; eaque ut ad juncturarum arteriolas adplicantur, ita etiam ad eas renum adplicari poſſe, & urinas generare calcareas. Hujus mentis clariſſimus *Adamus* eſt, in diſſertatione anno 1740. edita, occaſione ſexagenarii hominis, qui perpetuo rerum aut ſaccharo, aut lacte, paratarum, impenſus amator, Arthritidi, quosvis occupanti artus, obnoxius ultra 20. annos vixerat; dolorum vero pertæſus, eosdem novem abhinc annis Theriacæ emplastro ſopiverat. Unde in periculoſum morbum primo prolapſus, dein anomalam prorſus Arthritidem in multis internis corporis partibus per vices expertus erat; a quinquennio autem acerbos veſicæ urinariæ dolores crebro repetentes, Dyſuriam, & varia alia cal-

calculi veſicæ ſymptomata. Biennium erat, quod ramenta calculoſa, nucum putaminum inſtar concava, copioſe emingeret; annus autem, quod his ramentis abſentibus mucum cum urina redderet, qui in cretaceam abire materiem ſoleret. Et quod præprimis notandum, Podagræ acceſſu lotium eo muco carebat; Podagræ receſſu ſcatebat eodem. Confirmat deinde hanc ſuam de materie Arthritica ideam Autor eruditus variorum Scriptorum teſtimoniis. Quin etiam exemplis demonſtrat calcaream Arthriticorum materiem non modo ad vias urinarias, ſed quoque ad quævis alia corporis loca concretiones producere lapidoſas.

Sane quæ mihi hanc ſententiam probabilem reddant, plures habeo rationes. Arthriticum hominem Noſocomium XV. menſium ſpatio aluit, qui ab annis quindecim tum colli vertebris, tum pedum manuumque ambarum articulis, calcaream materiem excreverat, & etiamnum excernebat. Primo tempore urinam pallidam, & admodum furfuraceam emittere ſolebat; ultimo autem ſemianno, multo ſemper pure, una cum furfuribus, onuſtam; denique multis ante obitum diebus & limpidam, & pauciſſimam. In cadavere nullus ullibi puris fomes: verum ipſe ſanguis, qui incredibiliter paucus in corpore ſupererat, adeo polypoſus fuit, ut vix guttula ejus inter ſecandum prodierit; quod, ut obiter notem, clare ea confirmat, quæ Tom. 1. Cap. 11. *de Puogenia* ſcripſeram. Quod autem maxime ad rem noſtram; Renes ambo in corticali ſua ſubſtantia craſſi & ampli, omnino arenoſi erant, ita ut quacumque in parte nitido ſemper cultro ſecarentur, novam ſemper arenam proferrent. Quippe calcarea materies hujus Podagrici partim ad renes delata, videbatur jam urinam calcaream productura fuiſſe, niſi eadem vaſorum urinam ſecernentium ora obſtruxiſſet, hincque tum urinæ ſecretionem fere im-

pe-

pediviſſet, tum ipſam corticalem renum ſubſtantiam reddidiſſet arenoſam. Calculoſus ceterum nunquam fuit.

Præterea relatus a *Sigismundo Koenig* ad Societatem *Anglicanam* caſus Juvenculæ, quæ poſt enormes artuum dolores demum in plurimorum, eorundemque majorum, calculorum vomitum inciderat: deſcripta *Weismanno* hiſtoria quinquagenariæ, quæ crudeles Arthritidis dolores perpeſſa, tandem tum inteſtino Recto, tum ipſa vulva, plurimos excreverat lapillos: notata denique ab ipſo Clar. *Adamo* enarratio *Schneideri* de INVICTISSIMO IMPERATORE MAXIMILIANO II., qui Podagra graviſſima conflictari ſolitus, calculos in corde geſſiſſe poſt mortem inveniebatur: hæc, inquam, omnia Cl. Viri ſententiam mirifice fulciunt.

Porro quod concavas Podagricus ejus reddat has concretiones, id vel ideo eſt, quod calculum in veſica habeat, ad quem adplicata hæc materies, hanc formam induat neceſſe eſt; vel quod veſicæ ipſi, forte contractæ, qualis calculoſorum frequenter reperitur, ſe adplicando, eam figuram adipiscatur. Prius tamen enarrata ſymptomata probabilius reddunt; & Catheteris, quem non adhibuerunt, ope, certum, ni fallor, fieret.

Tandem 3^{tio}. compertum eſſe vidimus, calculoſos homines ab *Anglicano* medicamento ſic diſponi, ut materies illa, toties deſcripta, jam in ipſa eorum veſica lapidescat. Infauſtum ergo remedium hoc tam a priore dici deberet, quam tale eſſe experimentis comprobatur.

§. VII. Ex omnibus hucusque dictis evidens demum fit binas noſtras in calculo methodos ceteris omnibus, hucusque per alios laudatis, tum præſtantiores eſſe, tum conſtantiores. Curæ enim id mihi fuit, ut, quotquot eorum, qui alterutra curati, indagari potue-

fuerant, quærerentur, examinarenturque ſedulo, utrum ab omnibus ſymptomatibus immunes eſſe perſiſterent, nec ne; ut demum, ſi relaberentur, genuinam relapſus hiſtoriam cum publico communicarem; at vero curæ perſtant. Prima noſtra methodus vere *Brittanica* eſt: eandem tamen, æquali copia lactis ad aquam Calcis adjecta, promptiorem, felicioremque, invenimus. Unde etiam eandem *Stepfeniana* methodo, licet nonnulla cum illa communia habeat, tum efficaciorem, tum humano corpori per omnia tutiorem, exiſtimamus. Altera vero methodus, quam compendii cauſa, noſtri Noſocomii voco methodum, Illuſtriſſimo autem Præſidi gratus debeo, numero plurimas conſtantes curas effecit.

Facile ex his omnibus patet, nec in noſtris remediis, nec in omnibus per alios recenſitis, vires ineſſe Lithontripticas, quantumcumque id de ſuis multi jactitarint. Experientia ſane convincere omnes debuit, tum in paucioribus his, quos *Anglicano* medicamento dudum fruſtra adhibito, ſectione liberare a calculo oportuit, tum in omnibus, quibus remedia noſtra profuere. Quippe fuimus in eo Chirurgis Gallis fortunatiores, qui, teſte *Morando*, a nemine eorum, quos *Stepfeniana* remedia juverant, id obtinere potuerint, ut ſe denuo Cathetere examinandos præberent: dum interea noſtri voto morigeri, calculi, ejusque nonnunquam aſperioris, præſentiam, nobis demonſtrarint.

Nunquid tamen calculus veſicæ, longiore tempore in Aqua Calcis maceratus, non ſolvitur? Solvitur certo multorum menſium ſpatio, modo Aquæ Calcis aditus detur ad calculum, auferendo ſæpius id, quod in ejus circumferentia pumicoſum ab aqua redditum fuerat; ceterum minime. Ita demum trium menſium ſpatio ſolvi præcipuam majoris calculi portionem. Similiter in experimentis ſuis calculos in Aqua Calcis

ſol-

ſolvebat Doctiſſimus Vir *Carolus Alſton*, famoſus Profeſſor *Edimburgenſis*, ſcriptis clarus. Videatur in egregia ſua *Diſſ. de Calce viva*, & *Aqua Calcis*. Verum in veſica humana neque calculus ſcalpello abraditur, neque illibata virtus Aquæ Calcis ita veſicam ingreditur, ut in experimentis noſtris. Non mirum ergo hominem, qui 1600. libras Aq. Calc. ſpatio ſex menſium biberat, jam poſt tertium illibatæ valetudinis annum adhuc calculum in veſica gerere, ut exploratione Catheteris conſtat.

Quærat porro nemo a me, qui fieri id, qui concipi queat, quod homo calculum in urinario ſyſtemate gerens, ſecernendi tamen, excernendique urinam, perfectam exerceat functionem; & adeo indolens vivat, ac ſi calculum non haberet? Sufficiat rem, captu difficilem, obſervatu conſtare. Præcedenti Tomo, obſervationis frequentiam plurimis exemplis demonſtravi, quæ exempla ab Autoribus notata, collectaque fuerant, priusquam quæſtio præſens exiſteret. Nunquid ſive in humoribus humanis, ſive in ipſo urinario ſyſtemate, aliquid exiſtit, quod applicatum calculo, dolores, ſpaſmosque excitet; quodque ipſum in quibusdam corporibus vel minime, vel haud ſufficienter adſit, ut creet dolores? An hinc ratio petenda, cur inter diuturna tormenta calculoſorum nonnulli lucidis fruantur intervallis? An tandem Calx, & potiſſimum Uva urſina id in humoribus, aut ſyſtemate urinario, demant, abſorbeant?

CAPUT VI.

De Aneuryſmate.

§. I. *Duo Aneuryſmata curata, & Tom. 1. deſcripta, egregie curata manent.* §. II. *Aneuriſmata non raro cogni-*

cognitu difficilia, imo etiam impoſſibilia. Probatur 1mo. exemplo Aneuryſmatis ad Poplitem, quod ad vitæ finem usque Chirurgo impoſuit. Anatome. Disquiritur an homo culpa Chirurgi periiſſe credendus ſit? Animadverſio in Practicos, quibus Collegarum honori detrahere volupe. §. III. *Probatur idem 2do. exemplo inventi ad pectus Aneuryſmatis. Sequuntur ad hos duos caſus Corollaria Medico-Chirurgica. Quandonam compreſſio Aneuryſmatis externa prodeſſe queat, nocere debeat.* §. IV. *Origo, ac celer progreſſus Aneuryſmatis arteriæ popliteæ, & amputatio cruris. Conſiderationes Medico-Chirurgicæ circa arteriarum interceptiones, ac Fungi Agarici ad abſciſſas arterias adplicationem. Hæmorrhagia letalis, quanvis tanta adhibita eſſet in operatione prudentia. Anatome. Problemata circa hoc infortunium.* §. V. *Varia Phœnomena Aneuryſmatum internorum, eademque palliandi methodus.*

§. I. Dedi anno proxime priore duarum feminarum hiſtoriam, quarum altera compreſſione ſimplici, altera operatione, ab Aneuryſmate in brachio curatæ fuerant. Caput præſens compoſiturus, juſſi ambas in urbe quæri, & ad me adduci, quo conſtantiam curæ, inconſtantiamve, cum publico communicarem. Lætus vidi utriusque perfectam curam fuiſſe, ambas ſaniſſimas eſſe, omnemque, quem vellent, motum, brachio exercere poſſe. Unice modo conquerebantur, quod ad mutatas tempeſtates ingrata titillatio affectam olim arteriam afficeret.

§. II. Cognitio Aneuryſmatum utinam certior eſſet; ſignisque munita pathognomicis deſiſteret turpiſſimis erroribus anſam præbere! Hinc infortunia, quæ vel mihi, vel aliis, defectu horum ſignorum, contigerint, candidus enarrabo: quo demum aut majorem in Diagnoſi certitudinem, aut majorem ſaltem in pertractando eo prudentiam, omnes adipiſcamur.

Homo 37. annorum per omnia ſanus, menſe Octobri 1759. Eryſipelate ad internum ſiniſtri pedis malleolum ſe laboraſſe narrabat; eoque evanido, dolorem ſe ad ejusdem cruris poplitem percepiſſe, deprehendiſſeque ibidem tumorem, qui mole ac dolore indies augeſceret. Hisce compeſcendis Emplaſtro Oxycroceo admoto, non modo tumorem ac dolorem poplitis auctos eſſe, ſed integrum crus, pedemque, occupaſſe.

Hæc porro narrabat Chirurgo, quem medio Januario hujus, quem vivimus anni, ad ſe vocabat. Attente exploratis ille omnibus, detexit ad caput internum oſſis tibiæ quendam veluti materiæ ſtrepitum; in medio vero ejus, externoque capitis latere, materiem fluctuantem. Quantumcunque rem examinabat, malum a vi quapiam externa originem ducere deprehendere non potuit. Itaque crus ac pedem vehementer inflammatum eſſe cernens, cataplasma emolliens circumpoſuit illi. Altera die pars affecta abſceſſus ſimilitudinem hinc inde exhibuit, obſervatusque antea ſtrepitus, conticuit. Die tertio crure ac pede detumeſcentibus, maturum fere abſceſſum poples referebat. Die 19. Jan. turgens pure tumor, ac veluti pus hinc inde transſudando propellens, levi ſcalpelli ictu dilatabatur, effundebatque mox purulentam materiem, ſed ſimul 4. vel 5. cochlearia ſanguinis. Levamen hinc tantum, ut indies redeuntem ſanitatem æger aſſereret. Nitroſis emulſis interea utebatur. Sexto vero demum ab apertura die, quis crederet unquam! Hæmorrhagiam ad usque animi deliquium paſſus eſt. Involvit, ligavitque, quacumque poſſibili arte, partem. Adveniens mox Chirurgus citra guttulam effuſam ſanguinis totum abſtulit adparatum. Sanguis igitur ultra non effluxit; debili tamen ægro ronchus in pectore auditur, deficit reſpiratio, & 12. horis ab hæmorrhagia elapſis moritur.

Re ego percepta, ad ædes me contuli, & emta examinandi venia, Aneuryſmaticum ſaccum pugni magni-

gnitudine inveni, qui ex parva origine, ſuo in collo vix digitum craſſa, in enormem hunc ſaccum abiverat. De corpore ablatum in liquore ſervo.

Facile prævideo multos his lectis fore, qui ſuis in arte Collegis condemnandis aſſueti, in Chirurgi ſive ignorantiam, ſive imprudentiam, acriter invecturi ſint, ac ſi miſerandus ille homo Chirurgi culpa periisſet. Verum antequam eo perveniant, rogatos eosdem volo, ut, vacuo a præjudiciis animo, ad ſequentia mecum attendere velint.

1mo. Aneuryſmati generando nulla cauſa violenta præceſſerat. 2do. Nulla Aneuryſmatici tumoris ſigna ex anxietate ad compreſſionem, vel ex ejusdem pulſatione, aderant. 3^tio^. Strepitus quidem percipiebatur; ſed cum is & in Aneuryſmate aliquando, nonnunquam etiam in tumoribus purulentis & aquoſis obſervatur, ad quos Emphyſema ſive ob aëris acceſſum externum, ſive ab ejusdem generatione interna, accedit; hinc cum nulla alia Aneuryſmatis indicia adeſſent, ſtrepitus loci ad aliam longe originem, quam ad Aneuryſma, referendus videbatur. 4to. Sex diebus continuis apertus tumor pus, nullum vero ſanguinem, dedit; id quod alioquin in Aneuryſmate, ablata reſiſtentia, impoſſibile videtur. Equidem in apertura ipſa aliquot effluxere cochlearia ſanguinis; ſed quis Chirurgorum ignoret expanſo vaſe cutaneo, eoque perſciſſo, quandam hæmorrhagiam obſervari oportere? Sex ſane dies ſine ullo ſanguine aperto de vulnere tranſacti, quamcumque Aneuryſmatis ſuſpicionem, ſi qua nata forte fuiſſet, diſpuliſſent. 5to. Et qui tum in Aneuryſmate, tum variis aliis in tumoribus quandoque adeſt ſtrepitus, jam pridie aperturæ evanuerat. E contrario 6to. communis inflammationis ſigna, Eryſipelas nempe aderant. 7mo. Hæc inflammatio primum malleolum internum occupaverat. 8vo. Nil veriſimilius, quam quod Eryſipelas Metaſtaſin ad poplitem fecerit, relinquens mal-

eſſe, in quo tum facilius, tum turpius, decipiamur. 2do. Poſſe Aneuryſma gigni ſine ullo pulſu externo percepto; idque veroſimiliter tunc, quando in eodem naſcente, mox laminæ concreti cruoris ſe ejusdem applicant parietibus. 3tio. Poſſe in membrana adipoſa, naſcens Aneuryſma tegente, inflammationem, ſuppurationemque, ab affrictu, naſci; & copioſum pus omnem ita motum ſuffocare, ut licet jam forſitan antea pulſatio quæpiam adverti potuiſſet, eadem nunc minime percipi queat. 4to. Poſſe etiam educto pure adhuc veram mali naturam latere, ſi tumor reſiduus, explicata ad nm. 2. de cauſa, non pulſet. 5to. Etiam educto pure fieri poſſe, ut in uno caſu per duos dies, in altero per ſex, copioſior celluloſa ſubſtantia, nondum conſumta, debiliorem Aneuryſmatis pulſationem, ſi qua adeſt, adhuc ſuffocet. 6to. Poſſe quoque reliquam hanc adipoſam membranam in pus converti, atque integris ſex diebus omnem Aneuryſmatis ſuſpicionem, ſuo effluxu, amovere. 7mo. Videri demum ablata reſiſtentia, vel arteriam ſubito frangi, vitamque cum ſanguine profundere; vel extendi ita, ut latens olim, jam manifeſta deprehendatur. 8vo. Conſultum eſſe, ut in poſterum, dum nobis purulenti tumores exhibebuntur, quibus aut inflammationes, aut tumores duri, atque ambigui, dudum præceſſerint, antequam pus adpareat; idque maxime iis in locis, ubi dura tubercula minus frequenter, quam quidem in collo v. g. aliisque glandulosis in locis, purulenta pro parte fieri ſolent; ut, inquam, hic conſideratiſſime procedamus. 9no. Oportere demum, ut dediſcant Chirurgi Medicos laceſſere, ut quidem Publicis Actis fecerint, jactando hos circa plurima incerta, intus latentia, verſari duntaxat; ſe autem maxime externis, ideoque certis, occupari.

Cum optimo noſtro Chirurgo *Leber* in hunc caſum meditatus, cogitavi, num forte compreſſio externa hic non conduceret? Attentior vero contemplatio nos

docuit, vitium in externa arteria locum non habere neque ejus ſedem, præciſe determinatam, ibi eſſe ubi cartilagines jam junctæ firmam baſin præbeant. Veriſimile maxime ex figura rotunda eſſe, quod ſaccus ſit, qui per rimam inter binas cartilagines exſurgat, emineatque; quippe propterea vel arteriæ intercoſtalis, vel cujuspiam alius interioris, degenerationem denotet. Quia nunc egregius *Lanciſius* clare demonſtravit compreſſionem ſimili in caſu mortem accelerare, vitalibus quippe hinc anguſtatis, ab omni externo molimine abſtinuimus. Quin & docuit eventus, ut mox monebam, pag. 84. id minime indicari.

§. IV. Arteriæ *Popliteæ* Aneuryſmatis novum exemplum habeo. Rarius id deſcriptum jam ter *Viennæ* vidi. Primum enerravi Tom. 1, pag. 251. Alterum mox communicavi. Tertium autem ſic ſe habet.

Lanio quadratus 32. annorum me convenit 10. Junii proxime elapſi, narrans tres modo ſeptimanas eſſe, quod ſura ſiniſtra ſibi intumuiſſet; duas ſeptimanas, quod ad poplitem tumorem adverterit, dolentem quidem, & mole in gradiendo auctum. Examine patuit Aneuryſma arteriæ popliteæ eſſe, cujus mole venas comprimente, crus ad ſuram intumeſceret, & varicoſum fieret. Ab aliis poſtea relatum eſt hominem ab alto per multos gradus cecidiſſe, antequam de crure conqueri cepit.

Vena brachii ſecta eſt; ſerum lactis cum Pulpa Tamarindorum, Rob Sambuci, ac Nitro, copioſe datum; Decoctum adſtringens cruri circumpoſitum; Ligatura idonea, quæ ab omni parte ſaccum arctaret, Spir. vini rect. intincta, adponebatur; & ſumma corporis in lecto quies imperata eſt. Ut autem exactius omnia peragerentur, hominem in Noſocomio ſervavi.

Hac methodo ſura intra quatriduum egregie curabatur; poplitæus vero tumor indies crevit, & pugni demum magnitudinem mole æquavit; ita ut menſe ex-

acto,

leolum. 9no. Inflammatio Eryſipelatoſa in abſceſſum abibat. 10mo. Fluctuatio materiæ manifeſto percepta eſt. 11mo. Apertura facta, pus & mox, & ſequentibus exivit diebus.

Suam cuique ſententiam integram relinquens, judico inculpatum Chirurgum fuiſſe, & concludo ita perſonatum Aneuryſma eſſe poſſe, ut decipiat vel oculatiſſimos. Quo ſubinde contingente, neceſſe foret quosvis cordatos Chirurgos Medicosque in defenſionem ejus, qui deceptus fuerit, unitos videri, & probe memores principii tum Naturalis, tum Evangelici: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facito.*

§. II. Confirmare idem poteſt hiſtoria ſequens. Femina quadragenaria 17. Junii præſentis anni me acceſſit, conquerens a 3. vel 4. annis ægram ſe pectore eſſe: ſputa quippe purulenta, ſubinde ſanguine miſta, ſe reddere, cor ſibi palpitare, difficulter ſe reſpirare, vagosque experiri dolores. Lactaſſe quidem infantem ſeſe, at vero cum indies emaciaretur, pejusque pectore haberet, ablactaſſe. Anni ſpatio menſtruis ſe carentem, nempe lactationis tempore, nunc denuo a trimeſtri gaudere. Tandem adjunxit a Feſto Paſchatis, ex nulla nota ſibi cauſa, puſtulam primo animadverſam eſſe ad ſiniſtri lateris thoracis coſtas, & quidem eo a latere ſterni loco, ubi cartilagines infimarum coſtarum pene uniuntur, ſterno jamjam inarticulandæ. Parvam quidem dudum manſiſſe, a quatuor vero retro ſeptimanis in tuberculum caſtaneæ magnitudinis abiviſſe.

Tumor examinatus, non pulſans, ſed durus & elaſticus, veram ſui non determinabat naturam. Eo igitur Emplaſtro Diabotanon tantummodo tecto, curam ad Phthiſin pulmonalem potiſſimum direxi. Spatio trium ſeptimanarum nihil in tumore mutabatur; eo vero elapſo ſenſim emolleſcebat, ita ut 17. Julii apoſtema perfectum referret, manifeſtaque puris fluctuatio genuinam tumoris naturam nunc determinare videretur.

Suſpicio itaque indurati, ſcirrhoſi, aut cujuscumque alius mali, prorſum evanuerat, certitudo apoſtematis aderat, adeoque ejusdem apertura vel ideo maxime ſuadenda erat, quod Pulmo ſuppuratus fortunato caſu viam ſibi extrorſum quandoque capeſſat; qua diu aperta internum ulcus demum evacuetur, & ſaneſcat. Duos ejusmodi caſus ſub oculis præſentes habebamus; tertium, eumque triſtem, lugentes, eo quod, contra monitum noſtrum, Balneator ſalutare hoc incommodum præpoſtera ſua arte deleviſſet, ægerque jam hectice conſumeretur. Et quartum caſum tractabamus, jam vel ideo deſperatum, quod tumor a natura extrorſum ductus, ſed ruptus necdum, iniqua vero Chirurgi arte retropulſus, evanidusque, nunc eundem in locum a nobis revocari nullatenus poſſet.

Igitur tumorem aperuimus, pusque & album, & coctum, eduximus. Erat autem pus illud ratione tumoris parcius; in fundo autem durius quidquam ſupererat. Igitur tumorem partim maturum, partim crudum eſſe concludentes, digeſtivum impoſuimus, & Empl. Diach. c. gum., ſcopo maturandi totum teximus. Biduo elapſo rediit. Horreſcebamus. Loco expectatæ maturationis pulſus ibidem fortiſſimus in tota lata baſi tumoris, digitumque repellens, obſervatur: digito vero per aperturam immiſſo horrendum Aneuryſma obſtupeſcimus. Itaque mox conſolidandæ aperturæ gratia Emplaſtrum ad Rupturas Fernelii impoſuimus, integramque fere conſolidationem ſpatio trium ſeptimanarum obtinuimus. Deinde tumor Aneuryſmatis ſenſim eſt imminutus, & in toto tumoris ambitu ſub coſtis manifeſtum Aneuryſma pulſationis vehementia percipitur. Ita ut quod primo detectum fuerit, id modo veluti appendix ſit, quæ a magno ſacco orta ſeſe inter coſtarum cartilagines inſinuaverit.

De induſtria bigam hanc Aneuryſmatum communicare volui, ut pateſceret. 1mo. Nullum fere morbum

eſſe,

cretam, atque confuſam maſſam. Membrana porro ipſa poſtica ſacci, laterisque externi, adeo tenuis fuit, ut dum vi minima expandebatur, dilaceraretur. Quapropter id certum, quod, dilata operatione, disrumpi cito, ſubitamque facere mortem, debuiſſet.

Interim æger noſter una atque altera hora, poſtquam hæmorrhagia ceſſaſſet, debilitari cepit, brevi dein frigeſcere, leviorem iterum hæmorrhagiam pati, continuo vomere, pulmone angi, leviter delirare, tandemque vultu convelli. Horis 25. ab operatione elapſis obiit.

Examinavimus tunc ſerio amputationis locum. Ligatura arteriam majorem apte claudebat; nervum autem minime comprehendebat. Fungus vaſis ſuis per ſtrata adplicatus inventus eſt. Vulnus integrum pulvere fungi egregie, craſſiusque, tectum. Pectore aperto, cor maximum, at palleſcens, & vacuum. Vacua etiam omnia vaſa majora, arterioſa, venoſa; exiguum modo, gracilemque, polypum ſua in axi gerentia.

Hæmorrhagia inter operationem, ac trihorio poſt illam, nata, homo hic tantum amiſit cruoris, ut ſine vitæ diſpendio ultra amittere non potuerit. Levior poſtea per totum adparatum tranſſudatio abſtulit eum reliquum neceſſarium ſanguinem, vitamque ademit.

Optime tamen cum proviſum hæmorrhagiæ videretur, tum Ligatura, tum Fungo, tum Inſtrumento, quæri poteſt an Fungi hujus viribus nimium non tribuamus? An vero in poſterum forte præſtaret majori arteriæ adplicare eundem, quia habet compreſſio ſuum punctum fixum ad os; reliquas autem duas, tresve arterias, imo etiam venam majorem, quæ, ligata arteria, aliquando vice arteriæ fungens, terribilem Hæmorrhagiam producit, firma interceptione ligare?

§. V. Aneuryſmata interna multa *Auſtria* habet. Plura curavimus methodo deſcripta Tom. 1. pag. 257.

multa vero incurabilia manent. Habuimus hoc anno horrenda exempla, coſtarum remotarum, ſterni elevati, motus aneuryſmatici terribilis ſupra mammam dextram, ſine ullo motu ad regionem cordis, &c. Hos palliatis utcumque ærumnis ſolamur, omnem vigilantiam adhibituri, ut poſt fata eosdem examinemus. Mire interim quosdam levari ſequentia demonſtrant.

Juvencula fortis, toroſa, bene menſtruans, 24. annos nata, finiente Septembri 1759. circa inferiora ſterni dolere cepit, & quoddam Emplaſtrum loco admovit. Sed pedetentim aliquid ſub cartilagine enſiformi tumere percepit, ad tactum dolere, ſimulque fortiter pulſare, & ſomnos valde perturbatos efficere. Cum hæc ingraveſcerent, venit primo ad me 26. Febr. 1760. Cum Chirurgo & Aſſiſtentibus, eam examinans, deprehendi locum pulſantem, palmam manus fere æquantem eſſe, ſtanti quidem magis, minus vero jacenti, percipiendum. Malum ſenſim cepit nocte ingraveſcere, ac tandem gradus conſcendenti reſpiratio fere omnis deficere. A paſtu quoque pejus habuit. Majo menſe minus, Junio parum, Julio nihil ultra femina doluit; pulſatio minime moleſta ſuperfuit modo. Ita quidem, ut jam optime comedat, tranquillime dormiat, & graves ancillares labores, indefeſſa omnino, liberaque pectore, peragat.

Ad inexpectatam hanc mutationem ſumſit tota die ſerum lactis, cum Nitro, & Cremore Tartari; cubitum vero petens $\frac{1}{6}$ ſequentis: ℞. Pulp. Tamarind. Rob. Samb. Syr. Diacod. ā unc. 2. Laud. Liq. Syd. dr. $1\frac{1}{2}$. Et quia etiam nauſeoſo ac debili ventriculo, tum & ſegniori alvo, proſpiciendum erat, ſumſit quovis quarto mane dr. med. Elect. Hieræ picræ. Optime ſe nunc habens, pergit ſero lactis cum melle quotidie uti, alterno autem die Paregorico.

Dubitabit forte quispiam, utrum hæc femina verum

acto, omnis per compreſſionem illum curandi ſpes evaneſceret. Unde demum ipſi ſerio declaravimus bina modo ſupereſſe, quorum alterutrum eligeret: vel certam mortem, ſive poſt calamitoſum martyrium, ſive inopinatam; vel amputationem ambiguam. Hanc ideo ambiguam diximus, quia & per ſe gravis ac periculoſa eſt, & neſciebamus, quam alte inciperet dilatatio aneuryſmatica; quæ quidem ſi amputato crure altior, vix conſtringi idonea ligatura valeret; ſin autem adhuc ligari poſſet, tamen impulſu ſanguinis novum illico ſaccum formaret.

Reſpondit Lanio rem naturæ aliquantiſper committere ſe velle, & Noſocomio valedixit. Interea Balneatoris ſe curæ commiſit. Venam is ſecuit, multaque adplicuit. Tandem prima Auguſti per amicos certiores nos reddidit æger de tumoris incremento, & intolerabilitate dolorum: enixe petens, quo recipi in Noſocomium, amputationemque inibi ſubire poſſet. Mox eum recipientes, invenimus tumorem longe extenſiorem, inque latus productum eſſe; dolores autem tantos, ut ne opio quidem largiore ſopirentur.

Hinc properandum eſſe rati ſumus. Amputationem, præſentibus iisdem fere Medicis atque Chirurgis, qui Lithotomiæ pag. 67. adſtiterant, aliisque, *D. Leber* ſpatio 7. minutorum abſolvit.

Quæſitum fuerat, utrum arteriam majorem, atque unam alteramve minorem, ligatura, an *Fungi Agarici* adplicatione, obturaremus? Conſiderabamus ab una parte ligaturam arteriæ tutiſſimam quidem ſemper haberi; non raro tamen intercepto nervo, ejusve ramulis, convulſiones naſci, quibus ars non eſſet interno externove auxilio compeſcendis. Ab altera parte *Tom. 2. Acad. Reg. Chir. Par.* tria exempla inveneramus, ab egregio *Morando* relata, felicis Agarici ſucceſſus in crurum amputatione. Hinc eo fere inclinaſſemus. Attamen *Pariſina* exempla *Cruris* referebant, non *Femoris* amputationem. Cum igitur hic de

femoris amputatione ageretur, & quidem de eadem longe altius, ne quid de ſacco reliqui faceremus, inſtituenda, ubi certe arteria longe majoris diametri eſſet; præterea cum exemplum in iisdem Actis *Pariſinis*, in Diſſert. *D. Louis*, pag. 395. referretur, quod Agaricum in amputato crure adeo inutilem demonſtraſſet, ut ſemihora elapſa totus adparatus auferendus eſſet, adhibendaque ligatura; rem dubiam experiri noluimus, ſed majorem ſaltem truncum arte ligandum eſſe, minores vero Agarici fungo obturari poſſe, unanimi conſilio decrevimus. Chirurgus itaque eo modo omnia perfecit, & ſoliti pulveris adſtringentis loco totum vulnus Agarici fungi pulvere craſſe texit, Inſtrumentum tornatile quoque ad arteriam apte comprimendam adpoſuit.

Hoc pacto nos ab omni hæmorrhagiæ metu exemptos credentes, turpiter tamen nos eluſos vidimus; trihorio ab operatione ſanguine per univerſum transfluente adparatum, lectoque toto inde madente. Chirurgus faſciis novis ſuper vetera adductis, arctiusque appreſſo ſtringente Inſtrumento, egoque Diacodio largiore, hæmorrhagiam imminuimus, moderavimus, ſtitimus.

Saccus nunc erat amputata in parte examinandus. Arteria ſupra ſaccum naturalis magnitudinis demonſtrabat amputationem debito peractam in loco eſſe. Arteria, non ut in caſu pag. 82. deſcripto, uno latere, ſed toto ſuo ambitu in ſaccum quaquavorſum extenſum, abiverat, excreſcente ſepimento membranoſo, ſed ſurſum deorſumque abrupto, illum bifariam dividente. Nervus magnus adjacens tota ſacci longitudine arctiſſime cum eodem coiverat. Ipſumque Aneuryſma cum ſuperiore portione Gaſtrochemii inſeparabiliter connatum erat. Unde hominem ita a motu minimo doluiſſe non mirabamur; quia ſaccus, nervusque, & muſculus, unam exhibebant, eandemque con-

cre-

rum Aneuryſma habuerit, an potius Deuteropathicum a ventriculo, pyloro, pancreate? Idque 1mo. quia haud inſolitum hic Medicos decipi, ut exemplis patuit; *Tom.* 1. *cap. de Aneur.* 2 . Quia ſigna adfuere hærentis cujuſpiam labis in ventriculo, aut prope illum. 3^{tio}. Quia poſt multa ſolventia, & repetitam ſæpius quartanam purgationem inſigniter lucrata eſt ægra. Huic reſpondeo: Etiamſi res ita haberet, conferret vidiſſe, qua demum methodo ambiguum hoc malum ſuperetur. Attamen longe veroſimilius Prothopaticam eſſe affectionem; cum morbus medium annum jam emenſus eſſet, priusquam inciperet ventriculi incommoda ſibi juncta habere; & antea cum optima functione naturali, ſolo tumore, dolore, ac pulſu conſiſteret.

Femina 26. annorum menſe Auguſti 1758. brachia in altum, onus grave depoſitura, extendens, medio in pectore crepitum obſervabat. Paulo poſt œdemate totius corporis affecta eſt; quod copioſo Rob Sambuci dispuliſſe ſe credit. Tuſſis inde nata, ſputumque ſanguinis, veſpertini quoque horrores, & pectoris dolores continui. Remediis aptis a Tuſſi multum, a ſputo ſanguinis penitus, ubi liberata erat, conqueſta eſt 15. Martii 1759. interna, eaque violenta pulſatione os ſterni ſibi attolli videri. Examine inſtituto deprehendimus media, eaque inferiore ſterni parte tota, ejusmodi pulſum, ut digiti, vi quaſi, repellerentur. Cum adderet vehementius ibidem ſe ardere ac dolere, nec dorſo ultra incumbere poſſe, ſuſpicari Aneuryſma debuimus. Tandem pulſatio, tumorque magnus, colli totius anteriora & lateralia occupabat; dumque ſe in lecto convertebat, os pectoris veluti ſibi findi lamentabatur. Imo & ſupra ſiniſtram orbitam pulſatio & dolor extendebantur. Nocte aliquoties ſuffocatum iri ſe credebat, niſi erecta ſediſſet. Demum cordis palpitationem

nem moleſtumque in dorſo pulſum, conqueſta eſt. Cum omnibus his ærumnis menſtruo fluore optime gaudet.

Iterata V. S. & methodo demum eadem, qua ægra præcedens, ſenſim tantum lucrata eſt, ut jam dudum vitam maxime tolerabilem gerat.